1a-6-8

CANADA
A
2 15
191

3a-4-22

№ 1
14-1-91

2 400 40 Safta MADE IN SPAIN

1a-6-8

[illegible]
[illegible]
A
[illegible] 15
[illegible]
191

3a-4-22

№ 1
14-7.91

R. 5-884

DIVI

ANSELMI CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPI, THEOLOGI SVO TEMPORE PRAESTANTISSIMI, ATQVE CELEBERRIMI, OMNIA QVAE REPERIRI POTVERVNT

OPERA,

Tribus distincta tomis: quæ autem in singulis contineantur, post authoris vitam Catalogus indicabit.

Quid in hac editione accesserit, quidque in eadem alioqui præstitum sit, licebit cùm ex præfatione, tum ex tomorum etiam catalogo cognoscere.

CVM INDICE NECESSARIO
ET COPIOSO.

DE LA LIBRERIA
DEL REAL COLEGIO MAYOR
Reunido de Santa Cruz, y
Santa Catalina.
Æ. 4 C. 88 N. 10.

COLONIAE,
APVD MATERNVM CHOLINVM.
M. D. LXXIII.
Cum gratia & Priuilegio Cæsareæ Maiestatis.

fray Alonso Cabrera.

REVERENDISSIMO
ILLVSTRISSIMOQVE IN CHRISTO
PRINCIPI ATQVE DOMINO, D. FRIDERICO,
S. E. HERBIPOLENSIS EPISCOPO, ET FRANCIAE ORIENTALIS DVCI, &c. PRINCIPI ATQVE

domino suo clementissimo, salutem
à Deo precatur optatissimam.

QVVM ego Princeps Reuerendiss. atque Illustriss. Ecclesiæ Catholicæ statum animo contueor, procellasque, quibus miserè ea passim agitatur, mecum considero & perpendo: conspicio item indies eandem magis magisque vexari & affligi: non possum non vehementer ingemiscere, communemque laborantis matris deplorare calamitatem: taciteque adeò cogitatione execrari quorundam ignauiam & ingratitudinem, quorum alij, qui ingenij, doctrinæque fœlicitate pollent, vt opitulari possint: alij autem plerique, qui etsi ab eadem tanquam matre fidissima foueantur, vlnisque eius placidè & amanter excipiantur: nihil tamen aut consilij, aut opis, aut solatij eidem afferant, quo vel tantillum iuuari, erigi, & confirmari possit, sed quibus eius benignitate aucti sunt copijs & opibus contenti, tot illius incommodis rebus nihil aut parum admodùm moueri videantur: immò ne significationem quidem vllam dent concepti hinc doloris sui: & quod imprimis ipsos deceret, vt quod per se non possunt eruditione destituti, id per alios sua liberalitate sarcirent, vix quicquam conferant in tenuioris fortunæ adolescentes, quorum præclara ingenia, si excolantur, iuuandæ aliquando Ecclesiæ spem insignem præbeant: tantum abest, vt ijs ceu Ecclesiæ seminarijs res necessarias omnes suppeditent. Hanc tristem in cogitationem quum inquam subinde stimulante dolore prolabor, erigit me contrà Episcoporum, principum, insigniumque aliorum virorum pius conatus, propensumque studium, qui & ingenij sui dotes omnes atque facultates, & opes in Ecclesiæ propugnationem, eidemque futuros quandoque idoneos ministros cum multa sua laude, & multiplici sanctissimæ suæ matris vtilitate impendunt: adeò vt certò futurum sperem, vt horum authoritate, studio, labore, pietate, hostium impetus reprimantur, auitaque nostra, eademque Catholica religio conseruetur. Quorum vtrumque quum Celsitudo tua, Antistes Reuerendissime, magno, constantique præstet animo, haud immeritò in horum est reponenda numero, atque hoc nomine cum primis celebranda. Præterquàm enim quòd ipsa per sese demandatum sibi munus Episcopale, concionando, sacramentisque administrando, magno zelo, & eximio ad posteritatem exemplo, obit, etiam subditos suos cum Ecclesiasticos, tum politicos, ad functionis suæ diligentem executionem, & Christianæ pietatis studium re ipsa, quod est genus doctrinæ præstantissimum, non verbis duntaxat, inuitet. Et quum ea non ignoret, non nisi in rectè & legitimè constituta politia, Religionem illæsam & integram constare posse, Diœcesis, ditionisque suæ administrationem sapienter in duos ordines partita est: quorum alterius, Ecclesiastici nimirum, curam, Reuerendis, grauissimis atque doctissimis Theologis quibusdam attribuit, qui Consiliarij Ecclesiastici dicantur: alterius autem, ciuilis scilicet, Reuerendis item, atque nobilitate & eruditione præstantissimis alijs viris demandatam voluit, qui quòd ciuilis status gubernationem sustineant, Consiliarij politici vel seculares nuncupentur: atque ordinis vtriusque Præsides suum munus ea dexteritate, fide & integritate sustinent, vt neutri aliquid perturbationis accedat, sed tranquillus, constans atque inuiolatus vterque persistat. Vt verò vtrique parti Celsitudo tua sua quædam seminaria præparet, nouis collegijs, scholisque instituẽdis, atque ijsdẽ locupletãdis officio suo minimè deest: vti Herbipoli cõspicere licet Collegium societatis Iesu, tum viris pijssimis doctissimisque illustre, tum verò structura amplitudineque eximium. Cæterùm quo ego

etiam, si paruis magna componere fas est, meo, quantum tenuitas nostra permittit, officio non deessem, & erga Catholicam religionem studium nostrum haud obscurè declararem, proque virili nostra, quantum equidem possem, illi adiumenti adferrem, non destiti hactenus ijs sanctissimorum Patrum & doctorum virorum monimentis excudendis, tenuitatem operamque nostram impendere omnem, vnde Reipub. Religionique Christianæ atque Catholicæ vtilitas aliqua promanaret, eiusq; cõseruandæ rationes suppeterent. Quæ quũ hoc tempore vix aliunde vberiùs petantur, quàm ex eorundẽ SS. Patrum monimentis, qui ceu columnæ quædam Ecclesiæ molem sustinuere: delegi quosdam, qui deinceps me, prælaque nostra potissimum occupent, quique industriæ, studij, voluntatis & animi nostri publicum sint testimonium. Primum autem in ijs locum tribuere libuit Diuo Anselmo, Cantuariensi Archiepiscopo sanctissimo, religiosissimo, atque doctissimo, cuius opera tanta sunt pietate, doctrinaque condita, vt haud sciam, num alterius cuiusquam lectio, hoc præsertim exulceratissimo sęculo, queat necessaria videri magis: testante id haud obscurè ætatis nostræ literarum principe amplissimo, longeque doctissimo D. Cardinali Hosio, qui in Christiana confessione sua, (quam nunc etiam permultis ab eo locis auctam & emendatam excudimus) Diuum hunc Anselmum non paucis, ijsque clarissimis effert laudibus, cuius censuram quum meritò vt in alijs omnibus, sic in hoc quoque maximi fecerim, ea me ad hanc æditionem cum primis incitauit: à qua etsi me initio impendendi in eam maximi sumptus deterrerẽt, vicit tamen Ecclesiæ inseruiendi & gratificandi institutum, à quo impensæ quantumuis magnæ me reuocare nequiuerunt. Vti enim Deus facultates, ceu potissima quædam Typographiæ administra largitur, sic easdem in eum sanè vsum collocatas, cum fœnore etiam ipsum redditurum confido. Atque ea spe & fiducia æditionem aggressus sum, ad finemque Deo iuuante perduxi, quæ cùm noua quorundam accessione prioribus æditionibus locupletior existit, tum etiam sublatis mendis innumeris, purior nunc prodit, vt ei, qui hanc nostram cum superioribus contulerit, facilè constabit. Author certe ipse hactenus in Ecclesia Catholica eo in loco & precio & habetus est, & habetur, vt meo hic non egeat preconio aut cõmendatione maiori. Quingentos ante annos sub Imperatore Henrico tertio cum summa laude præfuit Ecclesiæ Cantuariensi in Anglia, nec tamen illius vnius duntaxat, sed totius adeò orbis Christiani sua tempestate lumen fuit, cum propter vitæ raram sanctitatem, tum etiam singularis doctrinæ præstantiam: vti Cels. Tua ex subsequenti ipsius vita, duobus libris ab Edinero Anglo, Diui Anselmi conuictore, conscripta patebit. Porrò verò, vt æditio hæc nostra cõmendatior, plauũibilior, & vberiori cum fructu in manus hominum exiret, alicuius principis viri authoritate ornandam eam existimaui. Vbi sane mihi imprimis sese obtulit Celsitudo tua, cui etiam inscribẽdam censui, adductus eò minime leuibus argumentis: maximè autem, quòd ea Diui Anselmi in Episcopalibus, vti suprà dictum est, munijs obeundis, vestigijs præclarè insistat, atque veræ Catholicæ religionis propugnationem & conseruationem pari studio & cura complectatur. Tum etiam, quòd quum ego superiori anno Cels. tuam isthic salutassem, coràm eas animi principe dignas dotes in ea perspexerim, quæ meritò passim debeant celebrari. Postremò, quòd ea me tanta benignitate, tantaque humanitate excepit, tale nihil vnquam promeritum, vt gratitudinis significatione perpetua me sibi obligarit. Cuius declarandæ ratio, cùm mihi nulla alia opportunior, conuenientior, & honestior appareret, libuit publico hoc testimonio eam hîc, debitamque adeò erga Cels. Tuam, obseruantiam nostram testari. Quam Christus Iesus sua immensa benignitate, Ecclesiæ Catholicæ, suisque adeò ditionibus quàm diutissimè incolumem & saluam conseruet. Coloniæ Calendis Februarij 1573.

Celsitudini Tuæ meritò
deditissimus

Maternus Cholinus.

F. EDINERI ANGLI DIVI ANSELMI ARCHIEPISCOPI CANTVARIENSIS CONVICTORIS, DE EIVSDEM vita libri duo.

PROLOGVS.

QVONIAM multas & anteceſſorum noſtrorum temporibus inſolitas rerum mutationes, & noſtris diebus in Anglia accidiſſe & coaluiſſe conſpeximus, ne mutationes ipſæ poſterorum ſcientiam pœnitùs laterent, quædam ex illis ſuccinctè excepta, literarum memoriæ tradidimus. Sed quoniam opus ipſum in hoc maximè verſatur, vt ea quæ inter reges Anglorum & Anſelmum archiepiſcopum Cantuarienſem facta ſunt, inconcuſſa veritate deſignet, quæq; omnibus puram illorum hiſtoriam ſcire volentibus, tunc temporis innoteſcere potuerunt, licèt inculto, plano tamen ſermone deſcribat. Nec adeò quicquam in ſe contineat, quod ad priuatam conuerſationem, vel ad morum ipſius Anſelmi qualitatem, aut ad miraculorum exhibitionem pertinere videatur, placuit quibuſdam familiaribus meis me ad hoc ſua prece perducere, vt ſicut deſcriptione notarum rerum poſteris ita deſignatione ignotarum ſatagerem, tam futuris quàm & præſentibus aliquod officij mei munus impendere. Quos eo quod offendere ſummopere cauebam, dedi operam voluntati eorum pro poſſe morem gerere. Opus igitur ipſum de vita & conuerſatione Anſelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis titulatum, taliter Deo adiuuante curaui diſponere, vt quamuis aliud opus quod præſignaui iuuenis ex maiori parte de eiuſdem viri conuerſatione ſubſiſtat, ita tamen in ſua materia integræ narrationis formam prætendat, vt nec illud iſtius, nec iſtud illius pro mutua ſui cognitione multum videatur indigere. Plenè tamen actus eius ſcire volentibus, nec illud ſine iſto, nec iſtud ſine illo ſufficere poſſe pronuntio.

VITA D. ANSELMI CANtuarienſis Archiepiſcopi.

INſtituta vitę & conuerſationis Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi literarum memorię traditurus, primo omnium vocata in auxilium meum ſumma Dei clementia & maieſtate, quædam breuiter dicam de ortu & moribus parentum eius, vt hinc lector aduertat, de qua radice prodierit, quod in ſtudijs naſcituręprolis poſtmodum fulſit. Patet igitur eius Gundulphus, mater Ermerberga vocabatur. Vtrique iuxta ſeculi dignitatem nobiliter nati, nobiliter ſunt in Anguſta ciuitate conuerſati. Quæ ciuitas confinis Bourgundiæ & Langobardiæ, Ermerbergam in ſe ędidit: Gundulphum in Langobardia natum, ciuem ſui ex aduena fecit. Coniuncti ſunt lege coniugali, ambo diuitijs non ignobiles, ſed moribus ex quadam parte diſſimiles. Gundulphus enim ſeculari deditus vitæ, nõ adeò curam ſuis rebus impẽdere, ſed habita frequenter ab re diſtribuere, in tantũ, vt nõ modò largus atque beneficus, verùmetiam prodigus atque vaſtator â nonnullis ęſtimaretur. Ermerberga verò bonis ſtudijs ſeruiens, domus curam bene gerens, ſua cum diſcretione diſpenſans atque conſeruans, bonę matrisfamilias officio fungebatur. Mores erant probi & irreprehenſibiles, ac iuxta rectam conſiderationem ratione ſubnixi. Hæc fuit vita eius, in hac dum vixit permanſit, in hac finem vitæ ſortiri promeruit. Gundulphus verò circa diem obitus ſui, ſpreto ſeculo Monachus factus, Monachus defunctus eſt. At Anſelmus filius horum, cùm puer paruulus eſſet, maternis prout ætas ſua patiebatur, colloquijs libenter animum intendebat. Et audito vnum DEVM ſurſum in cœlo eſſe, omnia regentem, omnia continentem, ſuſpicatus eſt, vtpotè puer inter montes nutritus, cœlum montibus incumbere, in quo & aulam Dei eſſe, eamque per montes adiri poſſe. Cumque hoc ſæpius animo volueret, contigit vt quadam nocte per viſum videret ſe debere montis cacumen aſcendere, & ad aulam magni regis Dei properare. Verùm priuſquàm montem cœpiſſet aſcendere, vidit in planicie qua pergebat ad pedem montis mulieres, quæ regis erant ancillæ ſegetes metere, ſed hoc nimis negligenter faciebant & deſidioſè. Quarum puer deſidiam dolens ac redarguens, propoſuit animo ſe apud Dominum regem ipſas accuſaturũ. Dehinc monte tranſcenſo, regiam aulam ſubit. Dominum cum ſolo ſuo dapifero inuenit. Nam familiam ſuam vt ſibi videbatur, quoniam autumnus erat, ad colligendas meſſes miſerat. Ingrediens itaque puer, à Domino vocatur. Accedit atque ad pedes eius ſedet. Interrogatur iucunda affabilitate quis ſit, vel vnde, quidnè velit. Reſpondit ille ad interrogata, iuxta quod rem eſſe ſciebat. Tunc ad imperium Domini panis ei nitidiſſimus per dapiferum affertur, eoque coram ipſo reficitur. Mane igitur cùm quid viderit ante oculos mentis reduceret, ſicut puer ſimplex & innocẽs, ſe veraciter in cœlo ex pane Domini refectum fuiſſe credebat, hocque coram alijs ita publicè aſſerebat. Creuit ergo puer, & ab omnibus diligebatur. Mores etenim probi in eõ erant, qui magnoperè

eum diligi faciebant. Traditur literis, discit & in breui, plurimum proficit. Nec dum attigerat ętatis annum quintum decimum, & iam qualiter secundum Deum vitam melius instituere posset, mente tractabat, idque concepit apud se, nihil in hominum conuersatione monachorum vita præstantius esse. Quam assequi cupiens, venit ad quendam sibi notum Abbatem, rogans illum vt se monachum faceret. Sed Abbas voluntate illius agnita, quod petebat inscio Patre illius, ne offenderet animum eius, facere recusauit. At ille in suo proposito perstás, orauit Deũ, quatenùs infirmari me reretur, vt vel sic ad monachicum quem desiderabat, ordinem susciperetur. Mira res. Vt enim Deus declararet, quantum etiam in alijs de suæ pietatis auditu cõfidere posset, preces illius exaudiuit, ac illi protinus validam corporis debilitatem immisit. Acriter igitur infirmatus ad Abbatem mittit, mortem se timere pronunciat, orat vt monachus fiat: præfato timore obstante, non fit quod postulabat, & hoc quidem ad humanũ tantùm spectabat examen. Cæterùm Deus quẽ futura non fallunt, seruum suum ipsius loci conuersatione noluit implicari, propterea quod alios quosdam in sinu misericordię suæ reconditos habebat, quos vt postmodum claruit magis, per illum ad suam voluntatẽ in posterum disponebat informari. Post hæc sanitas redit iuueni, quodque tunc nequibat, in futuro se per gratiam Dei facturum mente proponit.

Exinde cũ corporis sanitas, iuuenilis ætas, seculi prosperitas ei arrideret, cœpit paulatim feruor animi eius à religioso proposito tepescere, in tantum vt seculi vias magis ingredi, quàm relictis eis monachus fieri cuperet. Studium quoque literarum, in quo se magnopere solebat exercere, sensim postponere, ac iuuenilibus ludis cœpit operá dare. Veruntamen pia dilectio & diligens pietas, quas in matrem suam habebat, nonnihil eum ab istis restringebãt. Defuncta verò illa, illico nauis cordis eius, quasi anchora perdita, in fluctus seculi penè tota, dilapsa est. Sed omnipotens Deus, præuidens quid de illo facturus erat, ne animam suam pace transitoria potitus perderet, infestum ei & intestinum bellum generauit. Hoc est animum patris eius acerbo contra illum odio inflammauit, in tantum vt æquè, aut certè magis ea quæ bene sicut quæ perperam faciebat, insequeretur. Nec aliqua poterat Patrem humilitate lenire, sed quanto illi se exhibebat humiliorem, tãto illum sibi sentiebat asperiorem. Quod nimis intollerabile cernens, & ne deterius quid inde contingeret timens, elegit potius paternis rebus & patriæ renuntiare, quàm patri suo vel sibi, quamlibet infamiam ex sua cohabitatione procreare. Paratis itaque his, quæ necessaria erant in viam ituris, patria egreditur, vno qui sibi ministraret clerico comitatus. Cumque de hinc in transcensu montis Senisij fatigaretur, & laboris impatiens corpore deficeret, vires suas niuem mandendo reparare tentabat. Nec enim aliud quo vesceretur, præstò fuit. Quod minister illius aduertens, doluit, & ne fortè quid edendum haberetur in sacculo qui asino illorum vehebatur, diligenter inuestigare cœpit, & mox contra spem panem in eo nitidissimum repperit. Quo ille refectus, recreatus est, & viæ incolumis restitutus.

Exactis de hinc partim in Bourgundia, partim in Francia fermè tribus annis, Normaniam adit, ibi quendam nomine Landfrancum, virum videlicet valdè bonum, prę̃stanti religione ac sapientia verè nobilem, videre, alloqui, & cohabitare volens. Excellens siquidem fama illius circumquaque percrebuerat, & nobilissimos quosque clericorum ad eum de cunctis mundi partibus agebat. Anselmus igitur viro adito, eumq; singulari quadam sapientia pollere agnito, eius se magistrio subdit, eiq; post modicũ, familiaris prę cæteris discipulis fit. Occupatur die noctuque in literarum studio, non solùm quæ volebat à Landfranco legendo, sed & alios quæ rogabatur studiosè docendo. Propter quæ studia, cùm corpus vigilijs, frigore & inedia fatigaretur, venit ei in mentem, quia si aliquando monachus, vt olim proposuerat esset, acriora quàm patiebatur, eum pati non oportere, nec tunc sui laboris meritum perderet, quod nunc vtrum sibi maneret, non perspiciebat. Hoc ergo mente concepto, totam intentionem suam ad placendum DEO dirigere cœpit, & spernendo mundum cum oblectationibus suis, reuera cupit fieri monachus. Quid plura? Cogitat vbi melius proficere queat, quod facere desiderat, & ita secum tractat. Ecce, inquit, monachus fiam. Sed vbi? Si Cluniaci vel Becci, totum tempus quod in discendis literis posui, perdidi. Nam & Cluniaci districtio ordinis, & Becci supereminens prudentia Lantfranci, qui illic monachus est, mihi aut nulli prodesse, aut nihil valere comprobabit. Itaque in tali loco perficiam quod dispono, in quo & scire meum possum ostendere, & multis prodesse. Hæc vt lubens ipsemet referre solebat, secum meditabatur. Addebatque. Nec dum eram edomitus, necdum in me vigebat mundi contemptus. Vnde quod ego vt putabam, fretus aliorum charitate dicebam, quàm damnosum esset non aduertebam. Postmodum autem in se reuersus. Quid inquit? Esse ne monachus, hoc est, velle scilicet alijs præponi, præ alijs honorari, ante alios magnificari? Non. Illic ergò deposita contumacia monachus deueni, vbi sicut ęquum est, cunctis propter Deũ postponaris, cũctis abiectior habearis, prę cunctis parui pẽdaris, & vbi hoc esse poterit? Equidé Becci. Ibi siquidẽ nullius põderis ero, quandoquidẽ ille ibi est, qui prę̃eminẽtis scientiæ luce cõspicuus cũctis sufficiẽs, cũctis honorabilis & acceptus. Illic ergò requies mea, illic solus deus, intentio mea, illic solus amor eius erit contẽplatio mea, illic beata & assidua memoria eius, felix solamẽ & sacietas mea. Hæc cogitabat, hęc desiderabat, hęc sibi puenire sperabat. Raptabatur quoq; mens eius per id tẽporis in alias sectádę semitas vię, sed vis desiderij eius in hanc

hanc quam maxime declinauerat. Sciens itaque scriptum esse, omnia fac cum consilio, & post factũ non pœnitebis, nolebat se alicui vni vitæ earum quas mente voluebat inconsulte credere, ne in aliquo videretur scripturę prę̃ceptis non obedire. Amicos insuper multos habens, sed cui se totum in istis cõmitteret consiliarium vnum de mille videlicet prę̃fatum Lantfrancum eligens, venit ad eũ, indicans voluntatem suam ad tria pendere, sed per consilium eius ad vnum quod potissimum iudicaret, duob⁹ relictis, se velle tenere. Quę tria sic ei ex posuit. Aut enim, inquit, monach⁹ fieri volo, aut heremi cultor esse desydero, aut ex proprio patrimonio viuens, quibuslibet indigentibus propter Deum pro meo posse exinde ministrare, si consulitis, cupio. Iam enim pater eius obierat, & tota hereditas ad illum respiciebat. In his inquam tribus voluntatem meam domine Lantfrance, fluctuare sciatis, sed precor vt me horum potissimo stabiliatis. Differt Lantfrancus sententiam ferre, suadetque negotium ad venerabilis Maurilij Rotomagensis episcopi audientiam magis referre. Acquiescit Anselmus consilio, & comitatus Lantfranco pontificem petit. Tanta autem vis deuotionis pectus Anselmi tunc possidebat, tantumque veri consilj Lãtfranco inesse credebat, vt cùm Rotomagum petentes, per magnam quæ super Beccum est syluam pergerent, si Lantfrancus ei diceret, in hac sylua mane, & ne dum vixeris hinc exeas caue, proculdubio vt fatebatur imperata seruaret. Peruenientes ergo ad episcopum aduentus sui causas ei exponunt, quid inde sentiat quærunt. Nec mora, monachicus ordo præ cęteris laudatur, eiusque propositũ omnibus alijs ante fertur. Anselmus hæc audiens & approbãs, omissis alijs, sæculo relicto, Becci monachus factus est, anno ętatis suæ vicesimo septimo. Regebat eo tempore, cœnobium ipsum dominus abbas Herluinus nomine, vir grandeuus, & magna probitate conspicuus, qui primus ipsius loci abbas, monasterium ipsum à fundamentis de suo patrimonio fecerat. Sæpe dictus autem Lantfrancus gradum prioris obtinebat. Anselmus verò nouus monachus factus, studiose vitam aliorum religiosius viuentium emulabatur. Imo ipse sic religioni per omnia seruiebat, vt quisquis religiose in tota ipsa cõgregatione viuere volebat, in eius vita satis inueniret quod imitaretur, & ita per triennium de die in diem semper in melius proficiens, magnus & honorandus habebatur.

Venerabili autem Lantfranco Incadomensis cœnobij regimen assumpto, Prioris officio functus est, sicque Deo seruiendi ampliorem libertatem potitus, totum se, totum tempus suum in illius obsequio expendere, sæculum & cuncta negotia eius ab intentione sua, funditus cœpit amouere. Factumque est vt soli Deo, cælestibusque disciplinis iugiter occupatus, in tantum speculationis diuinæ culmen ascenderit, vt obscurissimas, & ante tempus suum insolitas de diuinitate Dei & nostra fide quæstiones, Deo referãte perspiceret, ac perspectas enodaret, apertisq; rationibus quę dicebat rata & catholica esse probaret. Diuinis namque scripturis tantam fidem adhibebat, vt indissolubili firmitate cordis crederet nihil in eis esse, quod solidę veritatis tramitem vllo modò exiret. Quapropter summo studio animum ad hoc intenderat, quatenus iuxta fidem suam mentis ratione mereretur percipere, quæ in ipsis sensit multa caligine tecta latere. Contigit ergo quadá nocte, vt ipse in huiusmodi mente detentus, ante nocturnas vigilias vigilans in lecto iaceret, & meditando secum rimari conaretur, quo nam modo Prophetæ præterita simul & futura, quasi præsentia olim agnouerint, & indubitanter ea dicto vel scripto protulerint. Et ecce cũ in his totus esset, & ea intellẽ gere magnopere desyderaret, defixis oculorũ suorũ radijs, vidit per medias maceries oratorij ac dormitorij monachos, quorum hoc officiũ erat, pro apparatu matutinarũ altare & alia loca ecclesię circumeuntes, luminaria accẽdentes, & ad vltimũ vnum eorum sumpta in manibus chorda pro excitandis fratribus scillam pulsantem, ad cuius sonitum conuentu fratrum de lecto surgente, miratus est de re quę acciderat. Concepit ergo apud se Deo leuissimũ esse, prophetis in spiritu ventura mõstrare, cum sibi conceserit quæ fiebant per tot obstacula corporeis oculis posse videre.

Hinc perspicatiori interius sapientię luce perfusus, mores omnis sexus & ętatis ita discretionis ratione mõstrá tepenetrauit, vt eũ palá inde tractátẽ, aduerteres cuiq; sui cordis arcana reuelare. Origenes insuper & ipsa vt ita dicã, semina atque radices, nec nõ processus omniũ virtutũ ac vitiorũ detegebat, & quemadmodum vel hæc adipisci, vel hæc deuitari atque deuinci posset luce clarius edocebat.

Tantã autẽ omnis boni consilij vim in eo elucere cerneres, vt pectori eius spiritũ cõsilij præsidere nõ ambigeres. Quã promptus verò atque assiduus in sanctis exhortationibus fuerit, superuacuũ est dicere, cũ illũ semper in ipsis infatigabilẽ omnes ferme audientes cõstat fatigasse, quodque dicitur de sancto Martino, eius ori nũquã defuit Christus, siue iustitia, vel quicquid ad verá vitã pertinet, in cũctáter cõfirmamus sine mẽdacio posse dici de illo. In his leue est lectorem aduertere, eum de mẽsa domini non sine quodam præsagio peruisum iam olim nitido refectum pane fuisse.

De corporalibus eius exercitijs, ieiunijs dico, orationibus atque vigilijs, melius æstimo silere quàm loqui. Quid namque de illius ieiunio dicerem, cũ ab initio Prioratus sui tanta corpus suum inędia macerauit, vt nõ solũ omnis illecebra gulæ penitus in eo postmodũ extincta sit, sed nec famẽ siue delectationẽ comedẽdi pro quauis abstinentia, vtpote dicere cõsueuerat, aliquando pateretur. Comedebat tamẽ vt alij homines, sed omnino parcè, sciẽs corpus suũ sine cibo nõ posse subsistere. In orationibus autem quas ipse iuxta desyderium & petitionem amicorum suorum scriptas ædidit, qua sollicitudine, quo timore, qua spe, quo amore Deum & sanctos eius interpellauerit, nec non

interpellandos docuerit,ſatis eſt & me tacente videre,ſit modo qui eis pie intendat, & ſpero quia cordis eius affectum,ſuumque profectum in illis & per illas gaudens percipiet.

Quid de vigilijs? Totus dies in dandis conſilijs ſæpiſsime non ſufficiebat,addebatur adhuc pars maxima noctis.Præterea libros,qui ante id temporis nimis corrupti vbique terrarum erant, nocte corrigebat,ſanctis meditationibus inſiſtebat,ex contemplatione ſummæ beatitudinis & deſiderio vitę perennis immenſos lachrymarum imbres effundebat. Huius vitę miſerias,ſuaque ſi quę erant peccata & aliorum amariſsime flebat, & vix parum ante vigilias nocturnas,ſepeque nihil ſomni capiebat.Talibus ſtudijs vita eius ornabatur.

Qualiter autem erga ſubditos ſe habebat,det Deus ad æmulationem prælatorum poſse vel quid modicum dici.Cum primum igitur Prior factus fuiſset,quidam fratres ipſius cœnobij facti ſunt æmuli eius,videntes & videndo inuidentes illum præponi,quem iuxta conuerſionis ordinem iudicabant eis deberi ſupponi.Itaque turbati,alioſque turbantes, ſcandala mouent, diſſenſiones pariũt,ſectas nutriunt, odia fouent,at ipſe cum his qui oderant pacem,erat pacificus,& detractionibus eorum reddebat officia fraternæ charitatis,malens vincere malitiam in bono, quàm à malitia eorum vinci in malo.Quod miſerante Deo factum eſt,ſiquidem illi animaduertentes eum omnimodis pure ac ſimpliciter in cunctis actionibus ſuis incedere,neque quod iure blaſphemari poſſet in illo reſidere,mala voluntate in bonam mutata, dicta eius & facta in bono æmulari cœpere. Verùm vt clareat quo pacto id prouenerit,vnum ex ipſis exempli gratia ponam,quatenus agnito quo dolo Anſelmi,à ſua prauitate ſit mutatus,qualiter & alij per eum correcti ſint perpendatur. Osbernus quidam nomine,ætate adoleſcentulus,ipſius erat monaſterij monachus:ingenio quidem ſagax, & artificioſis ad diuerſa opera pollens manibus, bonam in ſe bonę ſpei materiam præferebat. Sed mores qui in eo valde peruerſi erant,iſta multum decolorabant, & inſuper odium quod omnino more canino contra Anſelmum exercebat.Quod odium quantum ad ſe Anſelmus non magni pẽdens, ſed tamen mores illius conuenire ſagacitati ingenij eius magnopere cupiens,cœpit quadam ſancta calliditate puerum pijs blandimentis delinire, puerilia facta eius benigne tolerare, multa illi quæ ſine ordinis detrimento tolerari poterant concedere,in quibus & ætas eius delectaretur,& effrenis animus in manſuetudinem curuaretur.Gaudet puer in talibus,& ſenſim à ſua feritate ipſius demitur animus.Incipit Anſelmum diligere,eius monita ſuſcipere,mores ſuos componere. Quod ille intuens,prę cæteris eum familiariter amplectitur,nutrit,fouet,& vt ſemper in melius proficiat omnibus modis hortatur & inſtruit.De hinc paulatim ei quæ conceſserat puerilia, ſubtrahit, eumque ad honeſtam morum maturitatem prouehere ſatagit. Non fruſtratur pia ſolicitudo eius,proficiunt in Iuuene ac roborantur ſacra monita eius. Ergo vbi de firmitate boni ſtudij adoleſcentis ſe poſſe confidere animaduertit, mox omnes pueriles actus in eo reſecat,& ſi quid reprehenſionis eum admittere comperit,non modo verbis,ſed & verberibus in eo acriter vindicat. Quid ille? Aequanimiter cuncta ſuſtinet,confirmatur in propoſito omnis religionis, feruet in exercitio diſcendę omnis ſanctæ actionis,ſuffert patienter aliorum contumelias,opprobria, detractiones, ſeruans erga omnes affectũ ſinceræ dilectionis. Lętatur pater in his,vltra quã dici poſsit, & diligit filiũ ſancto charitatis igne,pluſquàm credi poſſet.Sed cum ipſe(vt flẽs referebat) eum ad magnum eccleſię fructũ proficere ſperaret,ecce graui corporis infirmitate prępripitur lectoque recipitur. Videns tum bonũ patrem felicis iuuenis amicum,lecto iacentis diu noctuque aſsidere,cibũ & potũ miniſtrare,omniũ miniſtrorũ ſuper ſe miniſteria ſuſcipere,veri amici morẽ in omnib⁹ gerere,ipſe corpus, ipſe animã eius ſtudioſiſsime refouebat.Appropinquanti autem ad exitum,familiari præcepit alloquio,quatenus poſt obitum ſuum ſi poſsibile eſset,ſuũ eſſe ſibi reuelaret. Spopondit,& tranſijt.Corpus defuncti ex more lotum,veſtitũ,in feretro cõpoſitum, in eccleſiã delatũ eſt.Circũſederũt fratres Pſalmos pro eius anima decantãtes:Anſelmus verò quo liberius pro eo preces fũderet, in ſecretiorẽ eccleſię locũ ſeceſsit.Qui cũ inter ipſas lachrymas ex graui corporis mœſtitudine torpore deficeret, & paululũ oculos in ſomnũ deprimeret, vidit in ſpiritu mentis ſuę quaſdã reuerendi vultus perſonas cãdidiſsimis veſtibus ornatas,domũ in qua idẽ Osbernus vitã finierat introiſſe, & ad iudicandũ circumconſediſse.Verum cũ iudicij ſententiam ignoraret, eamque ſolicitus noſse deſideraret, ecce Osbern⁹ adeſt ſimilis homini ad ſe aut ex lãguore, aut ex nimia ſanguinis minutione acſi fuerit exanimatus redeunti.Ad quem pater:Quid eſt fili? Quomodo es? Cui ille hęc verba reſpondit:Ille antiquus ſerpens ter inſurrexit in me, & ter cecidit in ſemetipſum, & Vrſarius domini Dei liberauit me.Quo dicto Anſelmus oculos à ſomno leuauit,& Osbernus nõ cõparuit.En obedientiá mortuus viuo exhibebat,quam viuens viuenti exhibere ſolebat. Quod ſi quiſpiam audire velit,qualiter hęc obedientis verba defuncti,ipſe Anſelmus fuerit interpretatus,breui accommodet aures. Ter inquit, antiquus ſerpens inſurrexit in eum, quia de peccatis quę poſt baptiſmũ priuſquam à parẽtibus ad ſeruitium dei in monaſteriũ offerretur, illũ diabolus accuſauit,de peccatis etiam quæ poſt oblationem parentum ante ſuam profeſsionem fecerat,illum accuſauit,de peccatis nihilominus quæ poſt profeſsionem ante obitum ſuum egerat,illum accuſauit.Sed ter cecidit in ſemetipſum,quia peccata quę in ſeculo conſtitutus admiſerat,per fidẽ parentũ,quando eum Deo obtulerunt,deleta inuenit. Et peccata quæ poſtmodũ in monaſterio degens ante ſuam profeſsionẽ fecerat,in ipſa profeſsione deleta inuenit.Peccata etiam quæ poſt profeſsionem ante obitum ſuũ egerat,per veram confeſsionem

onem & pœnitentiam deleta atque dimiſsa in ipſo eius obitu cofuſus inuenit,ſicque malignas verſutias ſuas quibus eum ad peccandum elexerat, iuſto dei iudicio in ſe ad cumulum ſuæ damnationis retorqueri ingemuit. Et vrſarius domini Dei liberauerit eum, vrſarij dei,boni angeli ſunt. Sicut enim vrſarij vrſos, ita angeli malignos dæmones à ſua fæuitia coërcent & opprimunt,ne nobis tantum noceant,quantum volunt.Poſt hæc Anſelmus vt ſancte dilectionis munus quod viuo impenderat mortuo non negaret, per integrum annum miſsam pro anima eius omni die celebrauit. Quod ſi aliquando à celebratione ipſius ſacramenti impediebatur,eos qui miſsas familiares debebant,ſuam pro anima fratris miſsam dicere faciebat, & ipſe miſsas eorum dum oportunum erat ante miſsam ſui defuncti alia miſsa perſoluebat. Itaque per ſingulos dies totius anni aut ipſe pro illo miſsam celebrauit,aut ab alio celebratam alia miſsa mutatus eſt. Super hæc miſsis circumquaque epiſtolis pro anima ſui Osberni orationes fieri petijt,& obtinuit,hæc fratres videntes & ſocordiam ſui cordis redarguentes, ſe miſeros ac infelices, Osbernum beatum predicant ac felicem, qui talem amorem, talem meruit inueniſse ſubuentionem. Ex hoc ergo ſinguli quique corpore, & animo ſe ſubdunt Anſelmo, cupientes in amicitiam eius hæreditario iure ſuccedere Osberno.At ille in conuerſione ipſorum Deo gratias agens, omnibus omnia factus eſt, vt omnes ſaluos faceret.

Veruntamen adoleſcentibus atque iuuenibus pręcipuam curam intendebat,& inquirentibus de hoc rationem,ſub exemplo reddebat.Comparabat cære iuuenis ætatem,quæ ad formandum ſigillum apte eſt temperata. Nam ſi cæra inquit nimis dura vel mollis fuerit,ſigillo impreſso,eius figuram in ſe nequaquàm ad plenũ recipit. Si verò inquit ex vtriſque duritia ſcilicet atque mollitie diſcrete habens ſigillo imprimitur,tunc forma ſigilli omnino perſpicua & integra redditur. Sic eſt in ætatibus hominũ. Videas hominẽ in vanitate huius ſeculi ab infantia vſque ad profundã ſenectutẽ conuerſatum,ſola terrena ſapientem,& in his penitus obduratum. Cum hoc age de ſpiritualibus, huic de ſubtilitate contemplationis diuinę loquere,hinc ſecreta cœleſtia doce rimari,& perſpicies eũ nec quid velis quidẽ poſse videre.Nec mirum indurata cęra eſt,in iſtis ætatem non triuit,aliena ab iſtis ſequi didicit.Econtrario conſideres puerum ætate ac ſcientia tenerum,nec bonum nec malum diſcernere valentem,nec te quidem intelligere de huiuſmodi diſserentem: Nimirum mollis cęra eſt & quaſi liquens,nec imaginem ſigilli quoquo modo recipiens. Medius horum adoleſcens & iuuenis eſt,ex teneritudine atque duricia congrue temperatus.Si hunc inſtruxeris atque voles informare,valebis.Quod ipſe animaduertens iuuenibus maiori ſolicitudine inuigilo, procurans cũcta in eis viciorum germina extirpare, vt in ſanctarum exercitijs virtutum,poſtea competenter edocti,ſpiritualis in ſe transformet imaginem viri. Sed cum inter hæc eum diuerſa diuerſorum negotia fatigarent, & nonnunquàm illius mentem à ſua quiete turbarent, conſilium ſuper his à ſupra dicto venerandæ memoriæ archiepiſcopo Rotomagenſi Maurilio poſtulaturns Rotomagum venit.Cumque ſui aduentus cauſam pontifici exponeret, ac inter verba pro amiſſa ſtatus ſui tranquillitate vehementiſsimè fleret,ab onere prælationis quod ſibi fatebatur importabile, vt releuari mereretur magnopere cœpit rogare.At ille ſicuti vir magnæ ſanctitatis, noli inquit,mi fili chariſsime quod quæris quærere,nec te ſubiectione aliorum tui ſolius curam gerens velis retrahere. Vere etenim dico tibi me de multis audiſse,multósque vidiſse, qui quoniá cauſa ſuæ quietis proximorum vtilitati per paſtoralem curam inuigilare noluerunt, per deſidiam ambulantes ſemper de malo in peius profecerunt. Quapropter ne tibi(quod abſit)hoc idem contingat, per ſanctam obedientiam præcipio, quatenus prælationem quam nunc habes retineas,nec eam niſi tuo iubente abbate quomodolibet deſeras,& ſi quando fueris ad maiorem vocatus, eam ſuſcipere nullatenus abnuas.Scio enim quod in hac quam tenes non diu manebis, verùm ad altiorem prelationis gradũ poſt non multum proueheris.Quibus auditis,vę inquit,miſero mihi. In eo quod porto deficio,& ſi grauius imponitur onus, reijcere non audeo? Repetit præſul edictum, & vt primo iubet ne transgrediatur.

De hinc Anſelmus ad monaſterium reuerſus talem ſe cunctis exhibuit, vt ab omnibus loco chariſsimi patris diligeretur.Ipſe enim mores omnium & infirmitates æquanimiter ſufferebat, & vnicuique ſicut expedire ſciebat neceſsaria ſuggerebat. O quot in ſua iam infirmitate deſperati per piam ſollicitudinem eius ſunt ad priſtinam ſanitatem reuocati.Quod tu Hereuualde decrepite ſenex in teipſo perceperiſti,quando grauatus non ſolum ætate ſed & valida infirmitate, ita vt nihil corporis præter linguam haberes in tua poteſtate, per manus illius paſtus, & vino de racemis per vnam in aliam eius manum expreſso,de eius ipſa manu bibens & refocillatus,ac priſtinæ ſanitati redonatus.Neque enim alium aut aliunde potũ ſumere poteras,qui tibi cordi eſſet vt referebas. Ipſe quippe Anſelmus in vſu habebat infirmorum domũ frequentare, ſingulorum ſtatrum infirmitates diligẽter inueſtigare,& quod infirmitas cuiuſque expetebat,ſingulis abſque mora ſeu tędio ſubminiſtrare. Sicque ſanis pater,& infirmis erat mater, imo ſanis & infirmis pater & mater in commune. Vnde & quicquid ſecreti apud ſe quiuis illorum habebat non ſecus quàm dulciſsimæ matri illi reuelare ſatagebat. Veruntamen ſolers diligentia iuuenum hoc præcipue exercebat.

De quorum numero quidam in ipſo conuentu hoc apud ſe propoſuerat quatenus nulla oc-

 caſione

occasione vnquam suam manum suis genitalibus membris admoueret. Cui proposito inuidens diabolus, tantum dolorem & angustiam in eisdem membris fecit eum sentire, vt se iuuenis nullo modo ferre valeret. Sentiebatur etenim caro ipsa tanti ponderis esse, ac si quædam plumbi grauissima moles ad ima eum detrahens, in illa sui corporis parte penderet. Cumque in habitu suo anxietatis magnitudinem dissimulare non posset, requisitus ab Anselmo quid haberet, rem celare non potuit. Admonitus itaque, vt modum ęgritudinis admota manu probaret, verecundatus recusauit, timens ne propositum violaret. Tunc Anselmus assumpto secum quodam grandeuo fratre & religioso, iuuenem languidum in secretiorem locum ducit, vtpote modum infirmitatis illius agniturus, & auxilium pro possibilitate laturus. Quid amplius? Caro sanissima reperitur, & admodùm mirati sunt. Euestigio quippè omnis illa diabolica vexatio cadit, nec in huiusmodi fatigat vlterius iuuenem, quem simplex Anselmi aspectus à tanta clade fecit immunem. Prætereà quidam ex antiquioribus ipsius cœnobij fratribus, qui veteri odio plurimùm erat infestus Anselmo, nec vllatenùs poterat super eum respicere simplici oculo, infirmitate pressus, ad extrema perductus est. Cùm itaque fratres meridiana hora in lectis ex more quiescerent, ipse in domo infirmorum in qua iacebat, cœpit miserandas voces ædere, & quasi quorundam horridos aspectus subterfugere gestiret, pallens & anxiè tremens vultum suum delitescendo, hinc inde commutare. Territi fratres qui aderant, quid haberet percunctantur. At ille, geminos immanes lupos me inter brachia sua cõpressum tenere, & guttur meum impressis dentibus iam iam suffocare videtis, & quid mihi sit quæritis? Quo audito, vnus ex monachis Riculphus nomine, ad Anselmum qui tunc in claustro emendandis libris intendebat, concitus perrexit, & eo extra claustrum educto, quid circa infirmum fratrem ageretur, patefecit. Iussus ergò Riculphus ad ægrum redijt, & Anselmus in secretiorem locum solus secessit. Post modicum, domum in qua frater qui patiebatur erat ingrediens, leuata manu, signum sanctæ crucis ædidit dicens: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ad quod factum statim æger conquieuit, exhilarato vultu, intimo cordis affectu Deo gratias agere cœpit. Dicebat enim quod Anselmo ostium ingrediente, & extensa manu, signum sanctæ crucis ædente, viderit ex ore illius flammam ignis in modum lanceæ procedentem, quę in lupos iaculata eos deterruit, & celeri fuga delapsos procul abegit. Tunc Anselmus ad fratrem accedens atque cum eo de salute animæ suæ secretius loquens, ad pœnitudinem & confessionem omnium, in quibus se Deum offendisse recordari valebat, cor eius inclinauit. Paterna dehinc auctoritate à cunctis absolutum, dixit eum hora qua fratres ad nonam surgerent, præsenti vitæ discessurum. Quod & factum est. Nam monachis à lecto surgentibus, ipse ad terram depositus est, & illis circa ipsum in vnum collectis, defunctus est.

Præfatus Riculphus secretarij officio in ipso cœnobio fungebatur. Hic quadam nocte dum tempus & horam qua fratres ad vigilias excitaret, per claustrum iens obseruaret, fortè ante ostium capituli pertransiuit, introspiciens verò, vidit Anselmum in oratione stantem, ingenti splendentis flammę globo circumcinctum. Miratur, & quod videbat quid noui prætenderet ignorabat, æstimabat enim Anselmum ex ea hora sopori potiùs, quàm orationi occupatum. Ocius itaque dormitorium ascendit, ad lectum Anselmi vadit, sed eum ibi nequaquam inuenit. Regressus igitur, hominem in capitulo reperit, sed globum ignis quem reliquerat, non inuenit.

Alio quodem tempore eidem Anselmo mandatum ab vno de principibus Normandiæ est, quatenùs ad se in Angliam transire vellet. Cùm propter alia negocia, tùm vt sua prece iter illius per maritima pericula tueretur. Ascendit, abijt, iam dies mutui colloquij in vesperam declinabat, & principem de hospitando Anselmo nulla cura detinebat. Quod vbi Anselmo innotuit, nihil super se cuiquam locutus, accepta licentia loco decessit. Eunti autem, & quo diuerteret incertum habenti (Beccus enim longè aberat) occurrit vnus de monachis Becci, volens illuc ire, quo eum sciebat principis colloquio detineri. Interrogat ergò eum Anselmus quò tendat, ac deinde quid consilij de suo hospitio ferat. Respondit: Et quidem pater, hospitium qualecunque non longè habemus, sed quid vobis & fratribus pręter panem & caseum apponatur, non habemus. At ille subridens, bone vir ait, ne timeas, imo citius procede, & misso reti in vicinum amnem, statim inuenies piscem qui sufficiet omnibus nobis. Ille accepto mandato prævolat, accitoque piscatore, quid Anselmus iusserit, intimat, ac vt velocius rete in fluuium iactet, iubet, hortatur & obsecrat. Admiratus ille, parere petenti moratur, ridendum potiùs quàm attentandum quod dicebat fore, prænuncians. Tandem tamen à fratre coactus, contra spem rete iecit, & illico Tructam insolitę magnitudinis cum alio quodam pisciculo cœpit. Territus piscator ad factum & obstupefactus, asseruit se iam per viginti annos recessus aquæ illius rimasse, & nunquam huiusmodi Tructam in ea reperire potuisse. Parata igitur & viro apposita, iuxta verbum eius sibi & suis copiosè sufficit & superabundauit. Alia vice, vir quidam VValterus nomine, cognomine Tirellus, eundem hominem per terram suam transeuntem detinuit, nolens eum à se impransum dimittere. Verùm cùm ipse de penuria piscium conquereretur, & quod tanto viro ac monachis eius, nisi vilia quædã non haberet quæ apponerentur, alludens dixit ei Anselmus: Sturio en vnus tibi defertur, & animus tuus de deliciarum inopia queritur? Ridet ille, fidem his quæ audiebat præbere nullatenùs valens. Euestigio autem verborum Anselmi duo ex hominibus viri attulerunt Sturionem vnum prægrandem: quem in ripa fluminis Altijæ dixerunt à pasto-

pastoribus suis inuentum, sibique transmissum. Si spiritum Prophetiæ in his viro adfuisse quis dubitat, gestę rei veritas quid sit, tenendum declarat.

His temporibus scripsit tractatus tres, scilicet de veritate, de libertate arbitrij, & de casu diaboli: In quibus satis patet vbi animum fixerit, quamuis ab eis quæ aliorum cura expetebat, talium rerum consideratione nullo se modo subtraxerit. Scripsit & quartum, quem intitulauit de Grammatico: In quo cum discipulo quem secum disputantem introducit, disputat, cùm multas quæstiones dialecticas proponit & soluit, tum qualitates & qualia, quomodo sint discretè accipienda, exponit & instruit. Fecit quoque libellum vnum, quem monologium appellauit: Solus enim in eo secum loquitur, ac tacita omni auctoritate diuinæ scripturæ, quid Deus sit sola ratione, sic nec aliter esse posse probat & astruit.

Post hæc incidit sibi in mentem inuestigare, vtrum vno solo & breui argumento probari posset, id quod de Deo creditur & prædicatur: videlicet quod sit æternus, incommutabilis, omnipotens, vbique totus, incomprehensibilis, iustus, pius, misericors, verax, veritas, bonitas, iustitia, & nonnulla alia, & quomodo hęc omnia in ipso vnum sunt. Quæ res sicut ipse referebat, magnam sibi peperit difficultatem. Nam hæc cogitatio partim illi cibum, potum, & somnum tollebat, partim & quod magis eum grauabat, intentionem eius qua matutinis & alij seruitio dei intendere debebat, perturbabat. Quod ipse animaduertens, nec adhuc quod quærebat ad plenum capere valens, ratus est huiusmodi cogitationem, diaboli esse tentationem, nisusque est eam procul repellere à sua intentione. Verùm quantò plus in hoc desudabat, tantò illum cogitatio ipsa magis ac magis infestabat. Et ecce quadam nocte inter nocturnas vigilias, Dei gratia illuxit in corde eius, & res patuit intellectui, immẽsoq; gaudio & iubilatiõe, repleuit omnia intima eius. Reputás ergo apud se hoc ipsum, & alijs si ciretur posse placere, liuore carens, rem illico scripsit in tabulis, easque sollicitius custodiendas vni ex monasterij fratribus tradidit. Post dies aliquot, tabulas repetit à custode. Quęruntur in loco vbi repositæ fuerant, nec inueniuntur. Requiruntur à fratribus, ne fortè aliquis eas acceperit, sed nequaquàm: Nec enim huc vsque inuentus est, qui recognouerit se quicquam inde sciuisse. Reparat Anselmus aliud de eadem materia dictamen in alijs tabulis, & illas sub cautiori custodia tradit custodiendas. Ille in secretiore parte lectuli sui tabulas reponit, & sequenti die nil sinistri suspicatus, easdem in pauimento sparsas, ante lectum reperit, cera quę in ipsis erat, hac illac frustratim dispersa. Leuantur tabulæ, cera colligitur, & pariter Anselmo reportantur. Adunat ipse ceram, & licet vix, scripturam recuperat. Veritus autem ne qua incuria penitùs perditum eat, eam in nomine Domini pergameno iubet tradi. Composuit ergo inde volumen paruulum, sed sententiarũ ac subtilissimæ contemplationis pondere magnum, quod prologion nominatur. Alloquitur etenim in eo opere, aut seipsum, aut Deum. Quod opus, cùm in manus cuiusdam venisset, & is in quadam ipsius operis argumentatione non parum offendisset, ratus est eandem argumentationem ratam non esse: quam refellere gestiens, quoddam contra illam scriptum cõposuit, & illud fini eiusdem operis scriptum apposuit. Quod cùm sibi à quodam amico suo transmissum, Anselmus considerasset, gauisus est, & reprehensori suo gratias agens, suã ad hoc responsionem ædidit, eamq; libello sibi directo subscriptam, sub vno ei qui miserat amico remisit. Hoc ab eo & ab alijs, qui libellum illũ habere dignantur, petiturum iri desiderans, quatenùs in fine ipsius suę argumentationis reprehensio, & reprehensioni sua responsio subscribatur. Inter hæc scripsit etiam quàmplures epistolas, per eas nonnullis ea, quæ secundum diuersitatem causarum suarum intererant, procurare mandãs, & nonnullis cõsilium de negotio suo quęrentibus, pro ratione respondens. Et quidem de his quæ diuersæ causæ scribi cogebant, mentionem facere supersedemus. Quid aũt consilij cuidam Lanzoni, nouiter apud Cluniacum facto monacho per vnam mandauerit, huic operi inserere curaui, quatenùs in hac vna cognoscatur, quid de alijs perpendatur. Scripsit itaq; inter alia sic: Ingressus es charissime, professusq; Christi militiam, in qua nõ solùm apertè obsistentis hostis violentia est propellenda, sed & quasi consulentis astutia cauenda. Sæpè nanq; dum tyronem Christi, vulnere malæ voluntatis aperte maleuolus nõ valet perimere, sitientẽ tamẽ poculo venenosæ rationis maleuolè callidus tentat extinguere. Nam cum monachum nequit obruere, vitæ quam professus est odio, nititur eum conuersationis in qua est subruere fastidio. Et licet illi monachicum propositum tenendum quasi concedat, tamen quia hoc sub talibus, aut inter tales, aut in eo loco incœpit, illum stultum nimis, imprudentẽq; multimodis versutijs arguere nõ cessat, vt dũ illi persuadet, incepto Dei beneficio ingratũ existere, iusto iudicio nec ad meliora proficiat, nec quod accepit teneat, aut in eo vtiliter persistat. Quippè dũ incessanter laboriosis cogitationibus de mutãdo, aut si mutari nõ valet, saltẽ de improbando initio meditatur, nunquam ad finem perfectionis tendere conatur. Nam quoniam illi fundamentum quod posuit displicet, nullatenus illi structuram bonæ vitæ superædificare libet. Vnde fit, vt quemadmodum arbuscula si sæpè transplantetur, aut nuper plãtata in eodẽ loco crebra conuersione inquietetur, nequaquàm radicare valens, ariditatem citò attrahit, nec ad aliquam fructus fertilitatẽ peruenit, sic infelix monachus si sępius de loco ad locũ proprio appetitu mutatur, aut in vno permanẽs frequẽter eius odio cõcutitur, nusquã amoris stabilitus radicibus, ad omne vtile exercitiũ langueſcit, & nulla bonorũ operũ vbertate ditescit: Cumq; se nequaquã ad bonũ, sed in malũ proficere (si fortè hoc re cõgitat) perpendat, omnẽ suæ miserię causam non suis, sed aliorũ moribus

iniustus

iniustus intendit, atque inde se magis ad odium eorum, inter quos conuersatur, infeliciter accendit. Quapropter quicunque cœnobitarum fortè propositum aggreditur, expedit ei vt in quocunq; monasterio professus fuerit (nisi tale fuerit vt ibi malum facere inuitus cogatur) tota mentis intentione amoris radicibus ibi radicare studeat, atque aliorũ mores aut loci consuetudines, si contra diuina præcepta non sunt, etiam si inutiles videantur, dijudicare refugiat. Gaudeat se iam tandem inuenisse, vbi se non inuitum, sed voluntarium tota vita mansurum, omni transmigrandi solicitudine propulsa, deliberet: vt quietus ad sola piæ vitæ exercitia exquirenda, sedulò vacet. Quod si sibi videtur maiora quædam ac vt illiora spirituali feruore appetere, quàm illi præsentis monasterij institutionibus liceat, æstimet aut se falli siue præferêdo paria paribꝰ, vel minora minoribus, siue præsumêdo se posse qđ nõ possit, aut certè credat se nõ meruisse qđ desiderat. Quod si fallitur, agat gratias diuinę misericordiæ, qua ab errore suo defenditur, ne sinè emolumẽto, aut etiã cũ iactura locũ vel vitę ordinẽ mutãdo, incõstantiæ leuitatisque frustra crimen subeat, aut maiora suis viribus experiẽdo fatigatus, deterius in priora, aut etiã in peiora prioribus deficiat. Si autẽ verè meliora illis quæ in promptu sunt nõdum meritus optat, patienter toleret diuinum iudicium, quod vlli aliquid iniustè non denegat, neque murmurando aut obloquendo Deum offendat, sed æquanimiter omnia sufferat, omnia ad meliora conetur deducere ferendo: ne per impatientiam iudicem iustum exasperans, mereatur quod non habet non accipere, & quod accepit, amittere, aut quod non amat, inutiliter tenere. Seu verò misericordiam seu iudicium erga se in illis quæ non habet & optat, persentiat, lętus ex his quæ accepit largitati supernæ gratias dignas persoluat. Et quia ad qualemcunque portum de procellosis mundi turbinibus potuit pertingere, caueat in portus tranquillitatem, ventum leuitatis & impatientiæ turbinem indicere, quatenus mens, constantia & mansuetudine tu tantibus quieta, diuini timoris solicitudini & amoris delectationi sit vacua. Nam timor per solicitudinem custodit, amor verò per delectationem perficit. Scio quia hæc maiorem aut scribendi aut colloquendi exigunt amplitudinem, vt plenius intelligatur, quibus scilicet dolis antiquus serpens ignarum monachum in hoc genere tentationis illaqueet, & ècontra, quibus rationibus prudens monachus eas callidas persuasiones dissoluat & annihilet: sed quoniam iam breuitatem quam exigit epistola excesi, & totum quod hinc dixi, aut dicendum fuit, ad custodiendam mentis quietem pertinet huius rei breuis exhortatio, epistolam nostram terminet. Nec putes charissime hęc me dicere idcircò, quod suspicer te aliqua mentis inquietudine laborare: Sed quoniam Dominus Vrsio cogit me aliquam admonitionem tibi scribere, nescio quid potius moneam, quàm cauere hoc sub specie rectè voluntatis, quod scio nouitijs quibusdam solere subrepere. Quapropter amice mi & frater dilectissime, consulit, monet, precatur, te tuus dilectus dilector totis cordis visceribus, vt totis viribus quieti mentis studeas, sine qua nulli licet callidi hostis insidias circumspicere, vel semitas virtutũ angustissimas prospicere. Ad hanc verò monachus qui in monasterio conuersatur, pertingere nullatenùs valet, sine constantia & mansuetudine, quę mansuetndo indissolubilis comes est patientiæ, & nisi monasterij sui instituta, quę diuinis non prohibentur mandatis, etiamsi rationem eorum non peruiderit, vt religiosa studuerit obseruare. Vale, & omnipotens Dominus perficiat gressus tuos in semitis suis, vt non moueantur vestigia tua, vt in iustitia appareas in conspectu Domini, & facieris cùm apparuerit gloria eius.

Inter hæc, cùm iã dictis & scriptis suis, mores sui in nullo discordarent, totã suæ mentis intentionem in contemptũ mundi composuisset, & his solis quæ dei erant totũ studiũ suum infixisset, contigit vt infirmitate correptus, grauiter affligeretur. Sed ipse in Deo semper existens, languore paulisper sedato, extra se per mentis excessum raptus, videt fluuium vnum rapidum atque præcipitem, in quem confluebant omnium fluxuum purgaturæ, & quarumque rerum terræ lauaturę. Videbatur itaque aqua ipsa nimis turbida & immunda, & omni spurcitiarum sorde horrida. Rapiebat igitur in se quicquid attingere poterat, & deuoluebat tam viros quàm mulieres, diuites & inopes simul. Quod cùm Anselmus vidisset, & tam obscœnam reuolutionem illorum miseratus vnde viuerent, aut vnde sitim suam refocillarent qui sic ferebantur inquireret, accepisseque responsum, eos qua trahebantur aqua viuere delectarique, indignantis voce inquit: Quomodo? Talí ne aliquis cœno potus, vel pro ipso hominum pudore se ferret? Ad hęc ille qui comitabatur eum, ne mireris, ait: Torrens mundi est quod vides, quo rapiuntur & inuoluuntur homines mundi, & adiecit: Visne videre quid sit verus monachatus? Respondit, volo: Duxit ergo illum quasi in conseptum cuiusdã magni & ampli claustri, & dixit ei, circumspice. Aspexit, & ecce parietes claustri illius obducti erãt argento purissimo. Herba quoque medię planitiei virens erat & ipsa argentea, mollis quidem & vltra humanam opinionem delectabilis: Hæc more alterius herbæ sub his qui in ea pausabant, leniter flectebatur, & surgentibus ipsis, & ipsa erigebatur. Itaque locus ille totus erat amœnus, & precipua iucunditate repletus, hunc ergo ad inhabitandum elegit sibi Anselmus. Tunc ductor eius dixit ei, eia vis videre, quid sit patientia vera? Ad quod cùm ille magno cordis affectu gestiret, & se id quàm maximè velle responderet, ad se subitò reuersus, & visionem, & visionis demonstratorem dolens ac gemebundus pariter amisit. Duas autem quas viderat visiones intelligens, secumque reuoluens, eo magis vnius horrorem fugere, quo alterius amœnitate studuit delectari. Totum ergò deinceps sese dedit in hoc, vt verus monachus esset, & vt vitam monachicam firma ratione comprehenderet

henderet, alijsque præponeret: Nec est priuatus desiderio suo. Quod quidem vt æstimo aliquantum percipi poterit ex verbis eius, quæ per vices huic opusculo indere rati sumus, iuxta quod series gestæ rei quã suscepimus enarrare postulabit: Nec enim mihi videtur, pleniter posse pertingi ad notitiam institutionis vitę illius, si descriptis & actibus eius quis vel qualis fuerit in sermone taceatur.

Quodam igitur tempore cum quidam abbas qui admodum religiosus habebatur, secum de his quæ monasticæ religionis erant loqueretur, ac inter alia de pueris in claustro nutritis verba conferret, adiecit: Quid obsecro fiet de istis? Peruersi sunt & incorrigibiles, die ac nocte non cessamus eos verberantes, & semper fiunt sibijpsis deteriores. Ad quæ miratus Anselmus, non cessatis, inquit, eos verberare? Et cum adulti sunt, quales sunt? Hebetes inquit & bestiales. At ille: Quo bone omne nutrimentum vestrum expenditis? qui de hominibus bestias nutriuistis? Et nos ait, quid possumus inde? Modis omnibus constringimus eos vt proficiant, & nihil proficimus. Constringitis? dic mihi quæso domine abba, si plantam arboris in horto tuo plantares, & mox illam omni ex parte ita concluderes, vt ramos suos nullatenus extendere posit, & cum eam post annum excluderes, qualis arbor inde prodiret? Profecto inutilis, incuruis ramis & perplexis. Et hoc ex cuius culpa procederet nisi tua, qui eam immoderate conclusisti? Certe hoc facitis de pueris vestris, plantati sunt per oblationem in horto ecclesiæ vt crescant & fructificent Deo. Vos autem in omnium terroribus, minis, verberibus, vndique illos coartatis, vt nulla sibi penitus liceat libertate potiri. Itaque indiscrete oppressi, prauas & spinarum more perplexas, intra se cogitationes congerunt, fouent, nutriũt, tantaque eas in nutriendo suffulciunt, vt omnia quæ illarum correctioni possent adminiculari obstinata mente subterfugiant. Vnde fit, vt quia nihil amoris, nihil pietatis, nihil beneuolentiæ, siue dulcedinis circa se in vobis sentiunt, nec illi alicuius in vobis boni postea fidem habeant, sed omnia vestra ex odio & inuidia contra se procedere credant. Contingitque modo miserabili, vt sicut deinceps corpore crescunt, sic in eis odium & suspicio omnis mali crescat, semper proni & incurui ad vicia. Cumque ad nullum fuerint in vera charitate nutriti, nullũ nisi depressis supercilijs, oculoue obliquo valent intueri. Sed propter Deum vellem diceretis mihi, quid causæ sit, quod eis tantũ infesti estis? Nónne homines, nónne eiusdem naturæ sunt, cuius vos estis? Velletis ne vobis fieri quod illis facitis? siquidem quod sunt, vos essetis? Sed esto. Solis eos percussionibus & flagellis, ad mores bonos vultis informare? Vidistis vnquam aurificem ex lamina auri vel argenti, solis percussionibus imaginem speciosam formasse? Non puto. Quid tunc? Quatenus aptam formam ex lamina aptet, nunc eam suo instrumento leniter prępmit & percutit, nunc discreto leuamine lenius leuat & format. Sic & vos si pueros vestros cupitis ornatis moribus esse, necesse est, vt cum depressionibus verberum, impendatis eis paternæ pietatis & mansuetudinis leuamen atque subsidium. Ad hæc abbas: Quod leuamen? quod subsidium? Ad graues & maturos mores illos constringere laboramus. Cui ille: Bene quidem. Et panis & quisque solidus cibus vtilis & bonus est, eo vti valenti. Verùm subtracto lacte ciba inde lactentem infantem, & videbis eum magis ex hoc strangulari quàm recreari. Cur hoc? Dicere nolo, quoniam claret. Attamen hoc tenete, quia sicut fragile & forte corpus pro sua qualitate habet cibum suum, ita fragilis & fortis anima habet pro sui mensura victum suum. Fortis anima delectatur, & pascitur solido cibo, patientia scilicet in tribulationibus, nõ concupiscere aliena, percutienti vnam maxillã præbere alteram, orare pro inimicis, odientes diligere, & multa in hunc modum Fragilis autem adhuc in Dei seruitio, tenero lacte indiget, mansuetudine videlicet aliorum, benignitate, misericordia, hilari aduocatione, charitatiua supportatione, & pluribus huiusmodi. Si taliter vestris & fortibus & infirmis vos coaptatis, per Dei gratiam omnes, quantum vestra refert cura Deo acquiretis. His abbas auditis, ingemuit dicens: Vere errauimus à veritate & lux discretionis non luxit nobis. Et cadens in terram ante pedes eius se pecasse, se reum esse confessus est, veniamque de præteritis petijt, & emendationem de futuris repromisit. Hæc idcirco diximus, quatenus per hęc quàm pię discretionis & discretę pietatis in omnes fuerit agnoscamus.

Tabilus studijs intendebat, in istis Deo seruiebat, per hęc bonis omnibus valde placebat. Vnde bona fama eius non modo Normania tota est respersa, verùmetiam Francia tota, Flandria tota, continguaque his terra omnis. Quin & mare transijt Angliamque repleuit. Exciti sunt quaque gentium multi nobiles, prudentes clerici, strennui milites atque ad eum confluxêre, seque & sua in ipsum mõnasterium seruitio Dei tradidêre. Crescit cœnobium illud intus & extra, intus in sancta religione, extra multimoda possessione. Cũ verò abbas Herluinus cuius supra memiaimus iã decrepitus monasterij causis intendere, & opẽ ferre nõ valeret, quicquid agi oportebat sub Anselmi, vtpote Prioris, dispositione fiebat. Exigentibus igitur multiplicibus causis, eũ foras monasterium ire sępe necesse fuit. Cui dum nonnunquam equi & alia quæ sunt equitaturis necessaria deessent, præcepit abbas ei omnia quę opus erant parari, & illi soli sicut propria ministrari. At ille ad nomen proprietatis inhorruit, & reuersus de itinere quęque specialiter fuerant prępparata in viam ituris, communiter exponi iusit, nec propter secuturam quam forsã erat pasurus penuriam, vnquam se retraxit quin ex sua copia cæterorum suppleret inopiam. Nec mirandum cum iam mundo illuxerat eum se fratribus suis talem exhibuisse, cum sicut ipsemet referre solitus erat, etiam quando adhuc in seculari vita degebat eo circa alios amore feruebat, vt quemcunque sui ordinis minus se habentem videret,

 eius

eius inopiam, de abundantia sua libens pro posse suppleret. Iam tunc enim ratio illum docebat omnes diuitias mundi pro communi hominum vtilitate ab vno omnium patre creatas, & secundum naturalem legem nihil rerum magis ad hunc, quàm ad istum pertinere. Taceo quòd illi sæpè plura auri & argenti pondera à nonnullis sunt oblata, quatenus ea in suos, suorumque vsus susciperet, seruaret, dispenderet: quæ ipse nulla patiebatur ratione suscipere: nisi fortè communi fratrum vtilitati profutura abbati præsentarentur. Sed cùm is qui sua offerebat, econtrà diceret, se nullam tunc voluntatem habere, vt abbati vel monachis aliquid daret, nisi ei soli, referebat ille se taliũ opus nõ habere, nec aliter à quoquam velle quicquam accipere. Illud autẽ breuiter dico, quòd inter huiuscemodi studia die quadam, dum ad lectum suum in dormitorio diuerteret, annulum aureum in eo insperatus inuenit, & admodum miratus est. Reputans ergò apud se, ne fortè aliquis eorum, qui res monasterij procurabant, quouis euentu eundem annulum ibi reliquerit, leuauit eum, & singulis ostendit. Mirantur illi, & se rei conscios omninò negant. Ostenditur alijs atque alijs, sed hucusque nullus fuit, qui recognouerit vnde vel à quo illuc delatus sit. Et tunc quidem annulus idem in opus Ecclesiæ expensus est, & res ita remansit. Postmodum verò cùm ipse Anselmus ad Pontificatum sumptus est, fuerunt qui hoc ipsum pe annulum illum iam tunc quodam præsagio præsignatum fuisse assererent. Nos autem quæ gesta sunt, simplici tantum stilo digerimus.

Inuitabatur prætereà à diuersis abbatijs, quatenus ibi & publicè in capitulo fratribus, & secum priuatim loqui volentibus, verba vitæ ministraret. Namque solenne extiterat omnibus, vt quicquid ab ore illius foret auditum, sic haberetur quasi planè diuinum responsum. Vnde requirendi consilij gratia, ex diuersis ad eum locis festinabatur. Quæ res inuidia graui diabolum vulnerabat. Nonnullos ergò quos ab ea intentione secreta fraude non poterat, manifesta increpatione auertere machinabatur. Exempli causa, miles quidam erat, Cadulus nomine. Hic quadam vice vigilijs & orationibus Deo intentus, audiuit diabolum sub voce scutarij sui extra Ecclesiam in qua erat vociferantem, & turbato murmure, equos & omnia sua facto hospitio, & à latronibus iam tunc direpta esse, atque abducta conquerentem, nec aliquid eorum vlterius recuperandum, ni citius accurreret. Atque cùm ille nequaquam moueretur, maius videlicet damnum deputans orationi cedere, quàm sua perdere, dolens diabolus se despectum, in speciem vrsi demutatus est, & Ecclesiæ per tectum dilapsus, ante ipsum præceps corruit, vt horrore saltem & fragore sui casus, virum à cœpto perturbaret. Sed miles immobilis permanet, & monstrum securus irridet. Post quæ statum vitæ suæ proposito sanctiori fundare desiderans, Anselmum adijt, consilium eius super hoc addiscere cupiens. Verùm dum ad ipsum vadens iter acceleraret, ecce malignus hostis humanam vocem ex aduerso ædens, in hæc verba prorupit. Cadule, Cadule, quo tendis? Igitur cùm ille ad vocem hanc subsisteret, scire volens, quis esset, qui talia diceret, repetiuit dæmon, & ait: Quo tendis Cadule? Quid tantoperè Priorem illum hypocritam cogis adire? Opinio siquidem eius omninõ alia est à conuersatione vitæ illius: Quapropter suadeo, consulo, vt celerius redeas, ne seductus ab ea stultitia, qua modò traheris, illaquieris. Hypocrisi namque sua iam multos decepit, & spe vana delibutos suis vacuos & immunes effecit. Hæc ille audiens, & dæmonem esse, qui loquebatur recognoscens, signo se crucis muniuit, & spreto hoste, quo proposuerat ire, perrexit. Quid plura? Audito Anselmo abnegato seipso & seculo religiosæ vitæ se tradidit, & apud maius monasterium monachus factus est. Hunc etenim vsum Anselmus habebat, vt nunquam alicuius commodi causa suaderet alicui seculo renuntiare volenti, quatenus in suo monasterio potius quàm in alieno id faceret. Quod nimirum eo intuitu, ea consideratione faciebat, ne vllus postmodum loco quem ex propria deliberatione non intrauerat, aliqua vt fit pulsatus molestia detraheret, & scandali sui ac impatientiæ murmur persuasioni illius imputaret, itaque se alijs & alios sibi ad multa diuisus graues efficeret.

Defuncto sæpe superius nominato abbate Herluino, vno omnino fratrum Beccentium consensu in abbatem eligitur. Quod ipse omni studio subterfugere gestiens, multas & diuersas rationes ne id fieret obtendebat. Sed illis nec auditum quidem rationibus eius patienter accomodare volentibus, anxiatus est in eo spiritus eius & quid ageret ignorabat. Transierunt in istis dies quidam. Verum vbi Anselmus vidit se monachorum vnanimem constantiam non posse verbis mutare, tentauit si quomodo eam valeret vel precibus inclinare. Eis itaque Priore sub vno constitutis, ac ei vt omissis obiectionibus solitis, abbas fieri adquiesceret insistẽtibus, ille flens, & miserãdos singultus edens, prosternitur in faciem coram omnibus orans & obtestans eos per nomen dei omnipotentis, per si qua in eis erant pietatis viscera, quatenus respectu misericordiæ dei super eum intendant, & ab incepto desistentes se à tanto onere quietum manere permittant. At illi omnes econtrà in terram prostrati, orant vt ipse potius loci illius & eorum misereatur, ne postposita vtilitate communi se solum præ ceteris singulariter amare conuincatur. Acta sunt de his vtrinque plurima in hunc modum: sed iam nunc eis istum ponimus dicendi modum. Vicit tandem diligens dicendi importunitas & importuna diligentia fratrum, iugum Domini sub eius regimine ferre volentium: vicit quoque & multo maxime vicit præceptum quod vt supra retulimus ei fuerat ab Archiepiscopo Maurilio per obedientiam iniunctum, videlicet vt si maior prelatio quàm illius Prioratus extiterat, ipsi aliquando iniungeretur, nullatenus eam suscipere recusaret.

Nam

Nam sicut ipse testabatur, nunquam se abbatem fieri consensisset, nisi eum hoc quod dicimus imperium ad hoc constrinxisset. Tali ergo violentia est abbas effectus, ac Becci debito cum honore sacratus. Qualem verò se deinceps in cunctis sanctarum exercitijs virtutum exhibuerit, inde colligi potest, quod nunquam de retroacta sanctitatis suæ conuersatione causa abbatiæ aliquid minuit, sed semper de virtute in virtutem, vt deum deorum in Syon mereretur videre, conscendere studuit.

Delegatis itaque monasterij causis curę ac solicitudini fratrum, de quorum vita & strenuitate certus erat, ipse Dei contemplationi, monachorum eruditioni, admonitioni, correctioni, iugiter insistebat. Quando autem aliquid magni in negotijs Ecclesiæ erat agendum, quod in eius absentia non ęstimabatur oportere definiri, tunc pro tempore & ratione negotium quod imminebat, mediante iustitia disponebat. Abominabile quippe iudicabat, si quiduis lucri asequeretur, ex eo quod alius contra moderamina iuris quamuis astutia perdere posset. Vnde neminem in placitis patiebatur à suis aliqua fraude circumueniri, obseruans ne cui faceret, quod sibi fieri nollet. Hinc procedebat quod inter placitantes residens, cum aduersarij eius per sua consilia disquirerent, quo ingenio, quaue calliditate, suæ causæ adminiculari, & illius valerent fraudulenter insidiari, ipse talia nullatenus curans, eis qui sibi volebant intendere aut de Euangelio, aut de aliqua alia diuina scriptura, aut certe aliquid de informatione morum bonorum diserebat. Sæpe etiam cum huiusce auditores deerant suauiter in sui cordis puritate quiescens, corpore dormiebat. Eueniebatque nonnunquam, vt fraudes subtili machinatione compositæ, mox vbi sunt in audientiam illius delatæ, non quasi à dormiente, qui tunc erat, sed sicut à perspicaciter vigilante, & intendente sint detectæ atque disectæ. Charitas enim quæ non emulatur, quæ non agit perperam, quæ non quærit quæ sua sunt, in eo vigebat, per quam quę videnda erant veritate monstrante extemplo perspiciebat.

Quam vigil autem atque solicitus fuerit circa hospitum susceptionem, eorumque in omni humilitatis officio releuationem, ex eo probatur quod illum pio studio in hoc & se & sua nouimus expẽdisse. Se in omni hilaritate, sua in omni largitate. Quod si aliquando ad refectionem corporum victus omnino pro voto suo non sufficiebat, hoc quod deerat eius bona voluntas & vultus alacritas apud hospites gratiose supplebat. Præterea nonnunquàm cibus fratrum suo iussu de refectorio sublatus, & hospitibus est allatus atque appositus. Neque enim tunc in promptu aliud erat, quod eis apte posset apponi.

Victus autem monachorum ita Deo prouidente dispensabatur, vt nihil eorum quæ necessitas expetebat illis deesset, licet sępissime in hoc essent, vt timeretur ne in crastinum eis cuncta deessent: Sicque nonnunquàm inter aliquid & quasi nihil ferebantur, vt aliquid eis non superflueret, & quod erat quasi nihil eos nequaquam per inopiam fatigaret. Quod penitus illis contingebat secundum verba sui patris, qui ea prædicebat, dum ministri ecclesiæ apud eum quærebantur de formidine imminentis necessitatis, frequenter namque à cellarijs, à camerarijs, à secretarijs aditus est, & quid consilij contra penuriam quę cuiusque obedientiam pesundabat daret inquisitus. Quibus cum responderet, sperate in domino, & spero quia ipse necessaria vobis quæque ministrabit, mirabili modo non secus eueniebat in re, quam ipse dicebat se habere in spe. Videres enim post hęc verba statim ipsa die vel certe sequenti mane fine quod falli non poterat, priusquam penuria aliqua illum affligeret, aut naues de Anglia oneratas omni copia in vsum iuxta appelli, aut quemlibet de diuitibus terræ fraternitatem Ecclesiæ quęrentem cum magna pecunia aduentare, aut aliquem relinquere mundum volentem, se & sua in monasterium offerre, aut denique aliunde aliquid apportari vnde per plurimos dies necessaria quęque poterant ministrari.

Habebat prętera ipsum cœnobium plures possessiones in Anglia, quas pro cõmuni fratrum vtilitate necesse erat per abbatis prętentiam nonnunquam visitari. Ipso itaque suę ordinationis anno, Anselmus in Angliam profectus est. At quod licet hęc quam dixi satis firma causa existeret, alia tamen erat non infirmior ista, videlicet vt reuerendum Lantfranctum, cuius supra meminimus videret, & cum eo de his quę corde gerebat, familiari affatu ageret. Ipse siquidem venerabilis vir iam de abbate Codomensi factus fuerat archiepiscopus Cantuariensis omnibus valde honorabilis & sublimi probitate conspicuus.

Cum igitur Anselmus transito mari Cantuariam veniret, pro sua reuerentia & omnibus nota sanctitate, honorifice à conuentu Ecclesię Christi in ipsa ciuitate sitę susceptus est. Pro quo honore nolens ingratus existere, postmodum ipsi monachorum conuentui à gratiarum actione inchoans, procedente in hoc verborum serie de charitate locutus est: rationabiliter ostendens eum qui charitatem habet maius aliquid habere, quàm ille ad quem charitas ipsa habetur, ipse enim inter alia qui charitatem habet: hoc vnde Deus ei scit gratias habet, ille vero ad quem tãtummodo habetur minime. Quas etenim gratias mihi debet deus, si tu me vel quilibet alius diligit. Quid si maius est habere hoc vnde Deus scit homini grates, quam hoc vnde nullas, cum pro habita charitate gratias sciat, pro susceptа non adeo, colligitur eum qui charitatem erga alium habet, maius quid habere quàm ipsum cui impenditur. Amplius. Is cui dilectio alterius seruit, solius cõmodi munus perfunctorie suscipit, verbi gratia: honorẽ vnũ, beneficiũ vnũ, prandium vnũ, vel quodlibet officij genus in hũc modum.

Alius verò charitatẽ quæ cõmodi munus exhibuit, ſibi retinuit. Quod in vobis & in me ſanctiſsimi fratres, libet in præſenti conſiderare. Ecce vnum charitatis officium mihi impendiſtis. Impendiſtis inquam mihi charitatis officium vnũ, & à me iam ipſum officiũ tranſijt, charitas verò ipſa, quę Deo eſt grata, vobis remanſit. Nõnne melius iudicatis bonum permanens bono tranſeunti? Adhæc ſi ex ipſo officio circa vos aliquid charitatis in me creuit, & hoc ipſum vobis ad cumulum retributionis erit, qui feciſtis vnde mihi tantũ bonum prouenit. Si non vobis tantũ charitas veſtra remanſit, à me officiũ quod exhibuiſtis penitus tranſijt. Hęc igitur ſi recta conſideratione attendimus, profecto per ſpiciemus magis nobis eſse gaudẽdũ, ſi alios diligimus, quã ſi diligimur ab alijs. Quod quia nõ omnes faciũt, multi potius ab alijs amari, quã amare alios cupiunt. Hęc & huiuſmodi multa locutus eſt, & accepta fraternitate monachorũ, factus eſt inter eos vnus ex eis. Degens per dies aliquot inter eos & quotidie aut in capitulo, aut in clauſtro mira quadã & illis adhuc tẽporibus inſolita, de vita & moribus monachorum corã eis rationabili facũdia diſserens. Priuatim quoque alijs horis agebat, cũ his qui profundioris ingenij erant, profundas eis de diuinis nec non ſecularibus libris quæſtiones proponẽs, propoſitasq; exponẽs. Quo tẽpore & ego ad ſanctitatis eius notitiã peruenire merui, ac pro modulo paruitatis meę beata illius familiaritate vtpote adoleſcens, qui tunc eram, non parũ potiri.

Inter reuerendum autem pontificem Lantfrancum, & hunc abbatem Anſelmũ, quid in illis diebus actum dictumue ſit, planum eſt intelligere his, qui vitã & mores nouerunt vtrorumq;. Qui verò non nouerunt, ex eo intelligant, quod in quantum noſtra & multorum fert opinio, non erat illo tempore vllus, qui aut Lantfranco in auctoritate, vel multiplici rerum ſcientia, aut Anſelmo præſtaret in ſanctitate, vel Dei ſapientia,

Erat præterea Lantfrancus adhuc quaſi rudis Anglus, nec dumque ſederant animo eius quædam inſtitutiones, quas repererat in Anglia. Quapropter complures de illis magna fretus ratione mutauit ſola auctoritatis ſuæ deliberatione. Itaque dum illarum mutationi intenderet, & Anſelmum vnanimem ſcilicet amicum & fratrem ſecum haberet, quadam die familiarius cum eo loquens, dixit ei: Angli iſti inter quos degimus, inſtituerunt ſibi quoſdam quos colerent ſanctos. De quibus cum aliquando qui fuerint ſecundum quod ipſimet referunt mente reuoluo, de ſanctitatis eorum merito animum à dubietate flectere nequeo. Et ecce vnus illorum eſt in ſancta, cui nec Deo auctore præſidemus ſede quieſcens, Elfegus nomine vir bonus quidem, & ſuo tempore gradu archiepiſcopatus præſidens ibidem. Hunc non modo inter ſanctos, verum inter martyres numerant, licet eum non pro confeſsione nominis Chriſti, ſed quia ſe pecunia redimere noñ voluit, occiſum non negent. Nam cum illum vt verbis vtar Anglorum æmuli eius & inimici Dei pagani cepiſsent, & tamen pro reuerentia illius ei poteſtatem ſe redimendi conceſsiſsent, immenſam pro hoc ab eo pecuniam expetiuerunt. Quam quia nullo pacto poterat habere, niſi homines ſuos eorum pecunia ſpoliaret & nonnullos forſitan inuiſę mendacitati ſubiugaret, elegit vitam perdere quam eam tali modo cuſtodire. Quid hinc igitur tua fraternitas ſentiat, audire deſidero. Et quidem ille, ſicuti nouus Angliæ ciuis hæc ſummatim perſtringens, Anſelmo propoſuit.

Attamen cauſam necis beati Elfegi hiſtorialiter intuentes videmus non illam ſolam, ſed aliã fuiſſe iſta antiquiorem. Denique non ideo tantum quia ſe pecunia redimere noluit, ſed etiam quia paganis perſecutoribus ſuis ciuitatem Cantuariam & eccleſiam Chriſti in eo ſitam concremantibus, ciuesque innocuos atroci morte necantibus, Chriſtiana libertate obſiſtere, eoſque à ſua infidelitate conuertere niſus eſt ab eis captus, & crudeli examinatione eſt occiſus.

Sed Anſelmus vt vir prudens viro prudenti iuxta interrogationem ſibi propoſitam ſimpliciter ita reſpondit dicens: Palam eſt is, qui ne leue quidẽ contra Deum peccatũ admittat mori nõ dubitaret, multo maxime mori non dubitaret, priuſquam aliquo graui peccato Deum exacerbaret Et reuera grauius peccatum videtur eſse Chriſtum negare, quàm quemlibet terrenũ Dominum pro redemptione vitæ ſuæ homines ſuos per ablationem pecunię illorum ad modicũ grauare. Sed hoc quod minus eſt, Elfegus noluit facere. Multo igitur minus Chriſtum negaret, ſi veſana manus eum ad hoc mortem intendendo conſtringeret. Vnde datur intelligi miram pectus eius iuſtitiam poſsediſſe, quando vitam ſuam maluit dare, quàm ſpreta charitate proximos ſuos ſcandalizare. Quamobrem longe fuit ab eo illud væ, quod dominus minatur ei, per quem ſcandalum venit. Nec immerito vt reor inter martyres computatur, qui pro tanta iuſtitia mortem ſponte ſuſtinuiſse veraciter prædicatur. Nam & beatus Ioannes Baptiſta, qui præcipuus martyr & veneratur & creditur à tota Dei Eccleſia non quia Chriſtum negare, ſed quia veritatem tacere noluit, occiſus eſt. Et quid diſtat inter mori pro iuſtitia & mori pro veritate? Amplius: Cum teſtante ſacro eloquio, vt veſtra paternitas optime nouit, Chriſtus veritas & iuſtitia ſit, qui pro iuſtitia & veritate moritur, pro Chriſto moritur. Qui autem pro Chriſto moritur, Eccleſia teſte, martyr habetur. Beatus vero Elfegus æque pro iuſtitia, vt beatus Ioannes paſsus eſt pro veritate. Cur ergo magis de vnius quàm de alterius vero ſanctoque martyrio quiſquam ambigat, cum par cauſa in mortis perpeſsione vtrunque detineat? Hæc me quidem reuerende pater in quantum perſcire poſsum, rata eſſe ipſa ratio docet, attamen veſtræ prudentiæ eſt, & me ſi aliter ſentit ab hoc corrigendo reuocare, & quid potiſsimũ, in tanta re ſentiendum ſit, Eccleſiæ Dei docendo mõſtrare. Ad quod Lantfrancus: Fateor inquit ſubtilem perſpicatiam, & perſpicacem ſubtilitatem ingenij tui vehementer approbo

& veneror, firmaque ratione tua edoctus, beatum Elfegum vt vere magnum & glorioſum martyrem Chriſti deinceps me colere & venerari ex corde gratia Dei iuuante confido, quod ipſe poſtmodum deuote executus eſt, quin & hiſtoriam vitæ ac paſsionis eius diligenti ſtudio fieri præcepit. Quam quidem hiſtoriam, non ſolum plano dictamine ad legendum, verumetiam muſico modulamine ad canendum à iucundæ memoriæ Osberno Cantuarienſis Eccleſię monacho, ad præceptum illius nobiliter æditam, ipſe ſua prudentia, pro amore illius martyris celſius inſigniuit, inſignitam auctoritauit, auctoritatam in Eccleſia Dei legi cantarique inſtituit, nomenque martyris hac in parte non parum glorificauit.

Poſt hæc Anſelmus ad agenda propter quę venerat, terras Eccleſię Beccenſes per Angliam adijt, vtilitate monachorum ſuorum, per omnia ſtudioſe ſecundum Deum inſeruiens. Vadens autem & ad diuerſa monaſteria monachorum, canonicorum, ſanctimonalium, nec non ad curias quorumque nobilium, prout eorum ratio ducebat perueniens, lętiſsime ſuſcipiebatur, & ſuſcepto quæque charitatis obſequia, gratiſsime miniſtrabantur. Quid ille? Solito more cunctis ſe iucundum & affabilem exhibebat, moresque ſingulorum in quantum ſine peccato poterat, in ſe ſuſcipiebat. Nam iuxta apoſtolum his qui ſine lege erant tanquam ſine lege eſſet, cum ſine lege Dei non eſset, ſed in lege Chriſti eſset, ſe coaptabat, vt lucrifaceret eos qui nõ modo ſine lege vt putabatur beati Benedicti, ſed & eos qui ſeculari vitæ dediti in multis viuebant ſine lege Chriſti. Vnde corda omnium miro modo in amorem eius vertebantur, & ad eum audiẽdum famelica auiditate rapiebantur. Dicta etiam ſua ſic vnicuique hominum ordini conformabat, vt auditores ſui nihil moribus ſuis concordius dici poſse fateretur. Ille monachis, ille clericis, ille laicis, ad cuiuſque propoſitum ſua verba diſpenſabat. Monachos vt ne minima quidem ſui ordinis contemnerent admonebat, conteſtansque per cõtemptum minimorum ruerẽt in deſtructionem & deſpectum omnium bonorum. Quod dictum ſub exemplo viuarij proponebat, dicens clauſuram illius diſtrictioni ordinis monaſtici aſſimulari: Quandoquidem inquit ſicut piſces decurrente aqua viuarij moriuntur, ſi clauſuræ ipſius minutatim ac ſæpe crepant nec reficiuntur: ita omnis religio monaſtici ordinis funditus perit, ſi cuſtodia eius per modicarum contemptum culparum paulatim à feruore ſui tepeſcit, atteſtante ſcriptura quæ ait: Qui modica deſpicit, paulatim decidit.

Clericos quoque qualiter ſe in ſorte Dei cuſtodire deberent inſtruebat, eisque magnopere eſse cauendum, ne ſi à ſorte Dei caderent, in ſortem diaboli per neglectum conuerſationis & ordinis ſui deciderent.

Coniugatos etiam qua fide, qua dilectione, qua familiaritate, tam ſecundum Deum, quam ſecundum ſeculum ſibi copulari deberent edocebat: virum quidem vt ſuam vxorem ſicut ſeipſum diligeret, nec prẽter illam aliam noſset, eiusque ſicut ſui corporis abſque omni ſiniſtra ſuſpitione curam haberet. Mulierem vero quatenus viro ſuo cum omni ſubiectione & amore obtemperaret, eumque ad bene agendum ſedula incitaret, nec non animam eius ſi forte contra æquum in quemquam tumeret, qua affabilitate mitigaret.

Hæc autem quæ eum vel admonuiſse vel inſtruxiſse, vel edocuiſse dicimus, non eo vt alijs mos eſt docendi modo exercebat, ſed longe aliter ſingula quædam ſub vulgaribus & notis exemplis proponens, ſolidęque rationis teſtimonio fulciens, ac remota omni ambiguitate, in mentibus auditorum deponens. Lætabatur ergo quiſquis illius colloquio vti poterat, quoniam in eo quodcunque petebatur diuinum conſilium in promptu erat. Hinc eum omnis ſexus & ętas mirabatur, & mirando amplectebatur, quoque potentior alijs erat atque præſtantior, eo magis quiſquis erat ad miniſtrandum ei deuotior atque procliuior. Non fuit comes in Anglia ſeu comitiſsa, vel vlla perſona potens, quæ non iudicaret ſe ſua coram Deo merita perdidiſse, ſi contingeret ſe Anſelmo abbati Beccenſi gratiam cuiuſuis officij tunc temporis nõ habuiſse. Rex ipſe VVilhelmus, qui armis Angliam cœperat, & ea tempeſtate regnabat, quamuis ob magnitudinem ſui cunctis fere videretur rigidus ac formidabilis, Anſelmo tamen ita erat inclinatus & affabilis, vt ipſo præſente omnino quàm eſse ſolebat ſtupentibus alijs fieret alius.

Pro ſua igitur excellẽti fama, Anſelmus toti Angliæ notus, ac pro reuerenda ſanctitate charus cunctis effectus, iter rep etendi Normandiam ingreditur, ditatus multiplici dono, quod honori ac vtilitati Eccleſię ſuę vſque hodie ſeruire dinoſcitur. Familiaris ergo ei dehinc Anglia facta eſt, & prout diuerſitas cauſarum referebat, ab eo frequentata. Vt autem omnipotens Deus demonſtraret ſe gratię ipſius quàm inuenerat apud homines eſſe auctorem, & illum apud ſe quam apud homines gratiam inueniſse potiorem, quoſdam viros per viſum dignatus eſt viſitare, & qualiter per eum ab infirmitate qua nimis grauiter vexabantur, conualeſcerent edocere. Horum quę dico, duos qui inter ſuos non ignobilis fame erant, exempli cauſa proponam, qui ſicut à veridicis ipſius monaſterij, cuius abbas diu extiterat monachis accepi, in eodem ipſo monaſterio illis pręſentibus per eum curati ſunt.

Quidam igitur vir nobilis & ſtrenuus in confinio Pontiui ac Flandriæ præpotens habebatur. Hic in corpore lepra percuſsus, eo maiori mœrore afflictus eſt, quo ſe & à ſuis contra dignitatem natalium ſuorũ pro obſcœnitate tanti mali deſpici deſerique videbat. Conuerſus itaque ad Deũ eſt, & crebris orationibus cum eleemoſynarum largitionibus opẽ ab eo precabatur. Vna igitur noctium

ei per visum quidam apparuit, monens vt si pristinę sanitati restitui vellet, Beccum iret, & apud abbatem Anselmum efficeret, quatenus aquam, vnde manus inter missam suam lauaret, in potum illi cõferret. Qui visioni credulus quo monebatur, impiger tendit, atque Anselmo cur aduenirent secreto innotuit. Stupet ille ad verba, & hominem vt talibus desistat multis modis adiurat. At ipse in precibus perstat, & multo magis vt sibi misereatur exorat, nec patiatur vt ea medicina fraudetur, vnde sibi cœlestem salutem assuturam pro diuino promisso credebat. Quid plura? Vicit pietas pectus humilitatis, & pro homine Deum postulaturus matutino tempore missam secretius celebrat. Admittitur æger, & quam petebat aquam de manu viri accepit. Quæ in potum illico sumpta, & hominem morbidum integerrimæ sanitati restituit, & in laudem Dei multorum ora dissoluit. Clamitaque virum qui venerat à se Anselmus emisit, denuntians ei in nomine Domini ne vnquàm hoc factum sibi ascriberet, sed sola diuina miseratione perfectum esse certissimè sciret, & hoc ita esse tacita funditus mentione suæ personæ scisitantibus responderet.

Quo etiam tempore quidam frater de congregatione, valida corporis infirmitate percussus, ad extrema deductus est. Huic in somno quidam astitit, & quod vitam atque salutem recuperaret, si aqua ab Anselmo sanctificata aspergeretur ipsi promisit, æger vero Anselmum se visitantem solita visitatione, de aqua precatus est, & voluntatis compos effectus, euestigiò sanitati restitutus est. Hęc pro ostendenda gratia viri paucis dicta sunt. Attamen de gratia quam meruerat apud homines, non multum his qui mores illius nouere mirandum video, propterea quòd quædam appetibilis suauitas vbicunque erat ex conuersatione eius emergebat, quæ in amicitiam illius ac familiaritatem cunctos agebat. Ipsius etenim studij semper erga omnes extiterat, vt ea potissimum ageret, quę alijs magis commoda esse posse intelligebat. Vnde cum interrogaretur quid emolumenti acquireret, qui seruata æquitate aliorum voluntati in quibuscunque possent concordare satagerent, quidue detrimenti incurrerent, qui suam potius quam alias cæterorum voluntatem implere studerent, hoc modo respondebat. Qui aliorum voluntati concordare, per omnia in bono nititur, hoc apud iustum iudicem Deum meretur, vt quemadmodum ipse aliorum voluntati in hac vita, ita Deus vt omnia secum suæ voluntati concordent in alia vita. Qui verò aliorum voluntate cõtempta, suam implere contendit, id eiusdem iudicis sententia damni subibit, vt quoniam ipse in vita præsenti voluntati nullius, nullus quoque in futura velit, aut debeat concors esse voluntati illius. Eadẽ quippe mensura, qua quisque alijs mensus fuerit, remetietur ei. Huius igitur rationis Anselmus consideratione subnixus, nulli grauis, nulli volebat onerosus existere, etiamsi à monachicæ institutionis austeritate hac de causa deberet aliquantulum temperare. Et quidem vt eum discretionis ordo docebat, nonnunquam ab ipsa seueritate alijs conscendendo temperabat. In quo quid hi sensuri sint, qui post nos ita fortasis lecturi vel audituri sunt, perscire non possumus. Nos tamen quę vitæ illius modum scire meruimus, magis in eo laudandum æstimamus, quod à rigore sui propositi, aliquando pro ratione descendebat, quàm si continue in ipso rigidus indiscrete persisteret. Ratione siquidem agè virtutis est, vitij verò contrà.

Inter hæc quidam clericus ætate inuenis, Boso nomine Beccum venit, abbatis colloquium expetens. Erat enim idem acer ingenio, & quibusdam perplexis quæstionibus inuoluerat animum, nec reperire quenquam poterat, qui eas sibi ad votum euolueret. Loquens igitur cum Anselmo, ac nodos ei sui cordis depromens, omnia quæ desiderabat ab eo sine scrupulo deceptionis accepit. Miratus ergo hominem est, & nimio illius amore deuinctus. Dehinc ergo cum eius allocutione familiariter potiretur, illectus ad contemptum sæculi emerso breui spacio, Becci monachus factus est. Cuius conuersioni simul & conuersationi diabolus grauiter inuidens, in tantam illum tentionis procellam demersit, vt succedentibus sibi varijs cogitationum tumultibus, vix mentis suæ compos existeret. Transierunt in hoc quidam dies, & seipsa semper fiebat immanior tentatio eadem. Turbatus ergo & mente confusus, Anselmum adijt, animique sui fluctus illi exposuit. At ipse cum singula intellexisset hoc solum pio affectu scilicet consulat tibi Deus ei respondit, illicoque fratrem à se dimisit. Euestigiò autem tanta tranquillitas mentis illum secuta est, vt sicut ipsemet mihi referebat, vltra quàm dictu credibile sit, subito alius fieret ab eo qui fuit. Itaque omnis illa tentatio penitus euanuit nec quicquã huismodi in se vlterius sensit. Fiebant præterea ab Anselmo plurima in hunc modum, quæ nos breuitati studentes ex industria prę terimus. Silentio quoque præterire placuit innumeros homines tam per lauaturas manuum eius, quàm per reliquias ciborum eius ante illum clam eo subtractas, à diuersis languoribus sed maximè febribus curatos, dispensante Deo sua dona iuxta meritum fidei vniuscuiusque. Nam si cuncta quæ inde à veracissimis viris accepimus describere vellemus: loquacitati potius quàm rerum gestarum simplici narrationi nos operam dare (vt reor) iudicari possemus. Quapropter ne nimis longum faciamus huiuscemodi immorando, istis omissis tendamus ad alia. Verùm ne inculta oratio prolixa sui continuatione legentes seu audientes fastidio grauet, hic primum cœpto operi terminum ponamus, quatenus illis quę magis delectant recreati, aliud exordium sequentia ei nosse volentes expediti reperiant.

(·.·)

Vitæ

VITAE D. ANSELMI,

liber secundus.

DEfuncto memorato rege Anglorum VVilhelmo, VVilhelmus filius eius regnum obtinuit. Hic sublato de hac vita venerabili Patre Lantfranco, Ecclesias ac monasteria totius Angliæ graui nimium oppressione afflixit. Cuius oppressionis anno quarto Anselmus inuitatus, immo districta interpellatione adiuratus ab Hugone Cestrensi comite, multisq; alijs Anglorum regni principibus, qui eum animarum suarum medicum & aduocatum elegerant, & insuper Ecclesiæ suæ prece atque præcepto pro communi vtilitate coactus, Angliam ingressus est. Pridie igitur natiuitatis beatæ Dei genetricis & perpetuæ virginis Mariæ Cantuariam venit. Vbi, cùm quasi ex præsagio futurorum multi, & monachi & laici conclamarent illum Archiepiscopum fore, summo mane à loco discessit, nec vllo pacto acquiescere pertentibus, vt ibi festum celebraret voluit. Venienti autem ei ad curiam regis, optimates quique alacres occurrerunt, magnoque ipsum cum honore susceperunt. Rex ipse solio exilit, & ad ostium domus viro gaudens occurrit, ac in oscula ruens, per dexteram eum ad sedem suam perduxit. Considet, & læta interim quædam inter se verba permiscent. Deinde Anselmus secretius cum rege acturus, cæteros secedere monet. Omissis igitur monasterij sui causis, pro quibus maximè illuc venisse putabatur, regem de his quæ fama ab eo ferebat Anselmus arguere cœpit, nec quicquam eorũ quæ illi dicenda esse sciebat, silentio pressit. Penè etenim totius regni homines oẽs talia quotidie, nunc clam nunc palàm de eo dicebant, qualia regiam dignitatem nequaquã decebant. Finito colloquio, diuisi ab inuicem sunt, & de Ecclesiæ suæ negotijs ea vice ab Anselmo nihil actum est. Deinde Cestram ad comitem abijt, ac in partibus illis degere per plures dies ex necessitate compulsus est. Interea rex VVilhelmus graui languore corripitur, & penè ad extrema perducitur. Suadetur ei inter alia à principibus, vt de matre totius regni, Ecclesia videlicet Cantuariensi cogitant, & eá à pristina viduitate & calamitate, per institutionem Ponrificis releuet. Acquiescit ille consilio, & Anselmum in hoc opus fore dignissimum pronuntiat. Acclamatur ab vniuersis, edictum regis laudat clerus & populus omnis, nec resonat ibi vlla contradictio cuiuslibet hominis. Audit hoc ille, & ferè vsque ad exanimationem sui contradicit, reluctatur & obsistit. Prævalet tamen Ecclesiæ Dei conuentus. Rapitur ergò, & violenter in vicinã Ecclesiam cũ hymnis & laudibus portatur magis quàm ducitur. Acta sunt hęc anno Dñicæ incarnatiõis millesimo. xciij. prid. Non. Martij, 1. dominica quadr. In subsequẽti aũt festo Paschæ Vuintoniã Ansel. aduenit, & in suburbio ciuitatis hospitat9 est. Vna igitur nocte in tecta suburbij per incuriã ignis dilabitur. Quo crescẽte, ædificia quæq; passim cõsumebãtur. Et iã ignis adest, hospitiũ Ansel. cõsumpturus, duabus tantũ domib. interpositis aderat. Quibusdã igitur ea quæin domo erãt asportãtibus, interdixit dña domus, affirmãs se nullo modo sibi vel suis aliquid dãni timere, quę tantũ hõspitẽ, hoc est Anselmũ Archiep. meruissẽt secũ habere. Pro quibus verbis Balduinus vir strenuus & monachus, mulieri cõpassus, suasit Anselmo vt hospiti suę subueniret. At ille: Ego in qua re? Egredere inquit, & signũ crucis igni oppone, arcebit illũ forte Deus. Respondit. Pro me? Nihil est quod dicis. Egressus tamẽ domũ est, timore incẽdij ductus, & visis flãmantibus globis, à venerabili Gundulpho episc. & ab eodẽ Balduino contra ignẽ signũ S. crucis, erecta in altum dextera, ædere coactus est. Mirabile dictu. Non prius manum extenderat, quàm in se incendiũ retorqueri, flammas deficere cerneres, ita vt domũ etiã quã vorare cœperant, semiustã relinquerent.

Igitur Ansel. ppter multas ratiões quę interuenerãt nondũ cõsenserat electiõi, quæ de se facta fuerat vt Põtifex fieret, sed tamẽ detinẽte illũ rege morabatur in Anglia, cõuersante cũ eo ex iussu regis prędicto Gundulpho Roffensi episc. & ei quæ opus erant ministrante. Ablatis aũt de medio rationib. illis, tandẽ post longũ tẽporis spaciũ, obediẽtia simul ac necessitate cõstrictus, cõsensit, & prid. Non. decẽ. debito cũ honore ab omnib9 episcopis Anglię, Cãtuarię cõsecrat9 est. In qua cõsecratiõe euãgelica illa sentẽtia super eũ reperta est. Vocauit multos: Et misit seruũ suũ hora cœnę dicere inuitatis vt venirẽt, quia iã parata sunt oĩa. Et cœperũt simul oẽs excusare. Dehinc cũ se regali curiæin natiuitate dñi Iesu præsentasset, & honorificè à rege susceptus, primos dies festiuitatis circa regẽ læt9 trãsegisset, pòst instinctu diaboli hominũq; malorũ, mutatus est animus regis cõtra eũ, eo qd' ipse spoliatis hominibus suis mille libras denariorũ ei p agẽdis munificẽtiæ suę gratijs dare noluit, & ita principe turbato à curia discessit. Veniẽs aũt in villã suã quę Berga vocatur, dedicauit ibi ecclesiã ad parrochiã pertinentẽ, quã quidẽ antecessor eius Lantfrancus cõstruxerat, sed obitu præuẽtus dedicare nequiuerat. Ad quã dedicationẽ quidã clericus inter aliòs de Lõdino veniẽs, seq; inter clericos viri quasi ad cõministrandũ mittẽs, chrismatoriũ Põtificis clã surripuit, & in turbã mersus fugã arripuit. Dũ igitur iter qd' Lõdõ. ducit ingressus cũ furto fuisset, reflexit gressũ nõ autumãs se ad locũ quẽ fugiebat festinare. Sed cũ rediẽs adunarę plebis multitudinẽ reperisset, animaduertit se cupitum iter permutasse, & qua venerat viã reperit. Aliquantum p cesserat, & iterũ visũ est sibi eò tẽdere quo fugiebat. Factũ est hoc frequentius, & nunc hac nunc illac, nescièns quo iret, erroneus ferebatur. Populus aũt qui eũ sic se habentẽ intuebatur, quidnã haberet mirabatur. At vbi ministri Põtificis vas chrismatis perditũ esse cognouerũt, cõfusi tumultuãtes discurrunt, qd' perditũ erat hinc inde quęrunt, ignorãtes à quo vel vbi id quærere certò debeãt. Rumor dãni fertur in populũ, & opinio multorũ cadit erroneum in clericum. Capitur, & sub cappa illius vas abreptũ inuenitur. Refertur Antistiti quod actum erat. At ipse modesto vultu, menteq; tranquilla statim iussit culpã ignosci, & clericum ad sua

liberum

liberum dimitti. Tunc ille iter quod furto grauatus nullatenus tenere sciebat, liber illico, & nihil hę sitans ingressus agebat.

Post hæc paucis diebus interpositis, mandatur ad curiam ire Anselmus, regem mare transiturum sua benedictione prosecuturus. Qui transitus dum vento obstante differtur, Anselmus oportunum se tempus nactum existimans, regem pro Ecclesiarum, quæ de die in diem destruebantur releuatione, pro Christianæ legis, quæ in multis violabatur renouatione, prò diuersorum morum, qui in omni ordine hominum quotidie nimis corrumpebantur, correctione cœpit interpellare. Quę ipse omnia cum magna indignatione suscipiens, nec se causa illius quicquam de omnibus acturum fore protestans hominem discedere, nec se transfretaturum diutius ibi expectare iratus præcepit.

Considerans Anselmus post hæc quid quietis perdiderit, quid laboris inuenerit, anxiatus est spiritu, & vehementi dolore attritus. Ducebat enim ante oculos suæ mentis, qualem in Prioratu & abbatia positus vitam agere solebat, quàm scilicet iucundè in Dei & proximi charitate quiescebat ac delectabatur, quàm deuotè verba vitæ loquens ab omnibus audiebatur, quàm deuotius ad suæ vt sperabat cumulum retributionis, quę dicebat, opere exercebantur, & nunc èconuerso cùm in melius per Episcopatum proficere debuerit, ecce die ac nocte in secularibus laborans, videbat si nec deo nec proximo secundum Deum iuxta pristinum morem intendere posse, nec à deo quemquam ex ore suo verbũ vitę quod facto impleret ad suæ, vt reputabat, detrimentum mercedis audire velle.

Accesserant istis in augmentum mali sui, crebrę suorum hominum oppressiones quotidie auribus suis insonantes, & minæ malignantium deteriora in posterum pollicentium circumquaq; detonantes. Sciebat enim regiam mentem contra eũ in furorem concitatam esse, & ob id hoc quisq; malus beatum se fore credebat, si quod illum exasperaret vllo ingenio facere posset. Multis itaque ac diuersis iniuriarum procellis fatigabatur, & nulla terreni honoris vel commodi suauitate, vnde consolationem haberet fouebatur. Verùm salua in omnibus, & ad omnes innocentia suę cõscientię modicum respirabat, ab his & magnoperè consolabatur, si quando se monachorum claustro inferre, & quæ institutio vitæ ipsorum expetebat, coram eis effari valebat. Quod ipse quadam vice capitulo eorum præsidens, & ex more de huiusmodi liberius agens, dicendi fine completo, iucũnda hilaritate alludens, iocosa comparatione innotuit, dicens: Sicut bubo dùm in cauerna cum pullis suis est lætatur, & suo sibi modo bene est, dum vero inter coruos aut corniculas seu alias aues est, incursatur ac dilaniatur, omninoque sibi male est, ita & mihi.

Quando enim vobiscũ sum, bene mihi est, & grata ac singularis vitæ meę cõsolatio. Quãdo verò remotus à vobis inter seculares cõuersor, hinc inde variarũ me causarum incursus dilacerãt, & quæ non amo secularia negotia vexant. Malè igitur mihi est quãdo sic sum, ac tremẽs pertimesco ne meum huiusmodi esse, procreet immane dispendiũ animæ meę. Ad quod verbum licèt alludẽs vt dixi, cœpit amarissimè flẽs subinferre, & ait: Sed quæso miseremini mei, miseremini mei vos amici mei, quia manus Dñi tetigit me. Quia ergo in tali conuersatione magnopere respirabat, ea sibi deficiente grauiter suspirabat. Deumtestor, me sæpè illũ sub veritatis testimonio audisse protestantẽ, quod libentius vellet in congregatione monachorum pueri loco inter pueros sub virga magistri pauere, quàm per pastoralẽ curam toti Britãniæ prẽlatus in conuentu populorũ cathedræ pontificali prẽsidere. Fortè dicet aliquis: Si tam bonũ, tam iucundum erat illi habitare cum monachis, cur nõ continuè habitabat Cantuariæ cum suis? Ad quod ego: Si hoc solũ sibi possibile esset, magno se consolatum reputaret. Sed & hoc partim remotio villarum suarũ, partim vsus & institutio antecessorum suorum, partim numerositas hominũ, sine quibus eum esse, põtificalis honor non sinebat, illi adimebat, eũq; per villas suas ire, ac inibi degere cõpellebat. Prętereà si Cantuariã assiduè incoleret, homines sui exaduectiõe victualiũ oppidò grauarentur, & insuper appositis vt sæpè contingebat, multis ex causis oppressi, si quẽ interpellarent, nunquàm præsentem haberent magis ac magis oppressi, in destructionem funditùs irent. Nullo tamen loco vel tempore sine suis monachis & clericis erat. His duntaxat exceptis, qui ad eum ex diuersis locis confluentes, rarò deerant. Omnes etenim ad se venientes dulci alacritate suscipiebat, & cuiq; pro sui negotij qualitate efficaciter respondebat. Videres siquidem istos scripturarum sentẽtijs ac quæstionibus inuolutos, mox ratione proposita ab eo euolui, istos minorum discretione nutantes, non segnius informari: illos necessariarum rerum tenuitate laborantes, datis quibus opus habebant, ab inopia releuari. Nec ista largitas solummodò monachorum seu clericorum penuriam subleuabat, sed in quosque laicos ac indigentes, ea sibi subuenire petentes pro posse, & nonnunquàm vltra posse pij Patris redundabat. Quotiens autem oportunitas esse prębebat, in remotiorem camerę suæ locum secedere, solus cœlestibus studijs cõ fuerat inhærere. Vnde fidei Christianæ zelo cõmotus, egregium, & pro illius temporis statu perneceſſariũ opus de incarnatione verbi cõposuit. Quod opus epistolari stilo conscriptũ, venerabili sanctę memoriæ Vrbano Ro. Ecclesiæ summo Pont. dicauit, destinauit. Quod ille gratiosè suscipiẽs, ac inuincibili veritatis ratione subnixũ intelligẽs, in tanta auctoritate habuit, vt postmodũ cõtra Grecos in cõcilo Barẽsi, cuius suo locomẽtio fiet, disputãs inde robur suę disputatiõis assumeret, & quã dánabilis fuerit error eorũ in hoc, qd Spiritũ san. à filio procedere negabãt, astrueret. Sed nos ista prætermittẽtes, & certę narratiõi operã dãtes, dicamus quod ipse Ansel. ad refectionẽ corporis sedẽs, modò de sacra q̃ corã eo legebatur lectiõe, materia loquẽdi sumpta, cõuescẽtes ædificabat, modò ex sua parte sacra verba

verba edisserẽs loco sacræ lectiõnis præsentiũ mentes instruebat, modo de aliqua re vtili vel necessaria requisitus, requirentẽ pariter & coaudientes, mira suauitate reficiebat. Huius rei cognoscendæ gratia quod leuius occurrit exempli causa vnũ subijciã, nõ quo vlla doctrinæ eius efficacia per hoc designetur, sed vt in quib lingua eius inter carnales epulas versari solita fuerit, paulisper intimetur.

Venit ad eum quadam vice quidã ex seculari vita monachus factus, cõsilium de vita sua flagitãs. Hic cùm aliàs familiarius ei locutus fuisset, inter prandendum oportunitate potitus, dixit, quia cùm se in seculari vita teneret, intellexit non rectũ fuisse iter suum pergendi ad vitã: Quãobrẽ inquit, relicto seculo veni ad ordinẽ monachorũ, sperans me ibi posse penitus intendere vitæ perẽni & deo. Ecce autẽ ex præcepto Abbatis mei secularibus negotijs intẽdo, & dũ res Ecclesię cotra seculares defendere tueriq; desidero, placito, litigo, nec mihi forsan magnæ curæ est, si alij perdũt in meo lucro. Qua ppter ferè cogor desperare, dũ ea quæ reliqui cũ tot peccatis videor administrare. Ad hæc Ansel. tali sub exẽplo respondit: Tota vita hominum cõparari potest molendino, super præcipitem fluuium cõstituto. Sit igitur in hoc molendino ad manũ hominis molens mola, qua qui molunt, alij sic suam farinã negligunt, vt tota in fluuiũ labatur ac defluat alij parte retenta, partẽ in præceps ire sinãt, alij colligant atq; in sui custodia cõdant. Horum scilicet qui nihil sibi de farina seruauit, quod in vespere comedat non habebit. Qui parum retinuit, pro portione sua parũ inueniet. Qui totã collegit, largè se pascere poterit. Itaq; molendino assimuletur, vt dixi, vita hominũ. Molę actus eorum: Nã sicut mola dum aliquid molit in circuitu ducitur, & circumducta simili cursu sæpè reducitur, sic & actus humani quibusq; temporibus in se reuertuntur. Verbi gratia: Arant homines, seminant, metunt, molunt, panificant, comedunt. En circuitum suum mola peregit. Vltrà ne quiescit? Nequaquã. Repetitur enim idipsum. Aratur, seminatur, metitur, molitur, fit panis & comeditur. Hæc sunt omni anno, & more molę recurrunt in idipsum. Videas ergò hominem cuncta opera sua pro terreno cõmodo facientem, nihil in eis nisi transitorium quid desiderantem. Iste quidem molit quia operatur, sed tota farina sua, qui fructus est operis, à fluuio, id est, à fluxu secularis desiderij rapitur ac præcipitatur. Hic cùm in fine vitæ suę molendinum egressus, atque in domum suam reuersus, operum suorum fructus manducare voluerit, nihil inueniet, eò quod fluuius torrens totum absorbuit. Ieiunabit ergò, væ misero in æternum. Est alius qui suam non omnimodis farinam perdit, quoniam nunc aliquam pro Deo eleemosynam facit, nunc ad Ecclesiam Dei seruitio vadit, nunc infirmum visitat, nũc mortuũ sepelit, & alijs in hunc modũ bonis intẽdit. Verũ cũ is ipse voluptatibus carnis inseruit, pro illata iniuria per odiũ sæuit, humanis laudibus pascitur, crapula & ebrietate sopitur, horumq; similibus eneruatur, ne farinę pars maxima pereat, nequaquam cautus inuigilat. Quid de isto erit in futuro, nisi quia recipiet prout gesit? Iam tertium genus in ordine monachorum attende. Est igitur monachus pro Abbatis sui imperio positus, obedientiam in omnibus quæ sibi secundum Deum iniunguntur professus, sua quantum in se est voluntate, nunquam claustra monasterij pro quouis seculari negotio egredi volens. Huic fortè præcipitur vt extra claustrum ad custodiendam aliquã Ecclesiæ villam eat. Excusat se, & ne fiat obsecrat. Perstat Abbas in sententia sua, & per obedientiam iubet peragi imperata. Non audens ille recusare, paret. Ecce venit ad molam, necessariò illum molere oportet. Insurgunt hinc inde querelę, placita, lites. Custodiat ergò sapiens monachus farinam suam, eamque in vas suum diligenter recipiat, ne in fluuium defluat. Quo inquis pacto? Nihil per inanem iactantiam agat, nihil quod Deus prohibet cuiuslibet lucri gratia faciat. Obedientiæ quæ sibi iniuncta est ita studeat, vt & res Ecclesiæ contra omnes viriliter iusteque tueatur & protegat, & de alieno per iniustitiam sub dominium Ecclesiæ nil redigere satagat. Si in huiusmodi conuersatur & viuit, quamuis aliquando pro talibus missas perdat, nonnunquam loquatur cùm fratres in claustro tacent, & quędam similia horum faciat vel dimittat, quæ ipsi nec faciunt, nec dimittunt, obedientiæ virtus quam exercet, hæc cuncta consumit, & vas suum integrum seruans, farinam de sua mola fluentem quæ illum æternaliter pascat, tõtam ac puram colligit atque recondit. Non enim secundum carnem, sed secundum obedientiam incedit, ac per hoc vt Apostolus ait, nihil damnationis illi erit. Et quid de illo sentiendum est inquit, qui se vltrò ad dispositionem villarum offert? atque vt id quod cupit ad effectum perueniat, clam sibi adiutores aduocat, munera pollicetur, gratiam spondet, refert. Nihil hoc ad propositum monachi pertinet. Ait. Quare? Nónne hic talis licet hoc quod dixi cupiat, tamen sine licentia sui prælati nil facere tentat? Respondit. Licentia multos decepit. Obedientia enim & inobedientia contraria sunt. Harum media licentia est. Is igitur quem obedientia non constringit claustra monasterij egredi, vult tamen exire, regulæque districtionem licenter declinare, quamuis nolit sine licentia id præsumere, & idcircò actum suum licentia qua nititur possit defendere, peccatum tamen habet ex illicita voluntate. Nec enim postquam mortuus mundo claustrum subijt, ad mundi negotia vel voluntate vllatenus redire debuit. Quia tamen ipsum velle suum non nisi permissus facto implere voluit, obedientia quam in hoc amplexatus est, ipsum factum excusabit, sed velle quod contra obedientiam habuit, periculosum nisi pœnituerit illi erit. Quod nonnulli minus attendentes, licentia quam pro implenda voluntate sua expetunt, sæpè falluntur.

Hęc vt dixi non pro ostendenda doctrinæ suę qualitate proposui, sed quibus inter epulas occupari solitus erat, leui exemplo monstraui. Nam si de humilitate, de patientia, de mansuetudine,

& de

& de hac quam nunc paululum tetigi obedientia, nec non de alijs innumeris ac profundis sententijs, eum vt singulis ferè diebus audiebamus differentem introducerem, aliud opus cudendum, & quod manu habemus, esset intermittendum. Quando ergo ait aliquis, manducabat? Mãducabat planè inter loquendum, parcè quidem, & vt mirareris vnde viueret. Veruntamen fatebatur, & verum esse cognouimus, quia dum alicui longæ disputationi occupatus erat, magis solito nescienter edebat, nobis qui propinquiores sedebamus, clanculo panem ei nonnunquam subministrantibus. Cùm verò absentibus hospitibus priuatim cum suis ederet, & nulla quæstio spiritualis cuiusuis ex parte prodiret, prælibato potiùs quàm sumpto cibo mox cessabat, lectioniq́ue intendens, manducãtes expectabat. Quod si aliquem cerneret aut pro sui expectatione celerius comedentem, aut fortè cibum relinquentem, vtrunque redarguebat, & quo suo commodo nihil hæsitantes operam darent, affectuosè admonebat. Vbi autem alios libenter edentes aduertebat, affabili vultus iucunditate super eos aspiciebat, & adgaudens leuata modicum dextera, benedicebat eis, dicens: Bene faciat vobis.

Expositò igitur quibus modulis Anselmus inter suas epulas delectari consueuerat, vt paucis exponatur quibus etiam alijs horis intenderit, repetam quod de eo me superius dixisse recordor, videlicet eius ori nunquam Christus defuit, siue iustitia vel quicquid ad veram vitam pertinet. Omneq́ue tempus perditum iri asserebat, quod bonis studijs, aut necessariæ vtilitati non seruiebat. Opinari autem illum secùs vixisse quàm docebat, profiteor nefas esse. Nam cùm illum, ex quo religionis habitum sumpsit vsque ad susceptam Pontificatus dignitatem, omnium virtutum ornamentis ratum sit studuisse, ipsasq́ue virtutes in quorumcunque mentibus poterat verbo & exemplo inseruisse, ita nihilominus ratum esse confirmamus, eum totius Britanniæ primatum factum omnimodis in hac parte claruisse. Vnde etiam pro ipsarum indiscreta seu nonnullis, & mihi aliquando visum est, virtutum custodia sæpè reprehensus, & quod monachus claustralis quàm primas tantæ gentis esse deberet, præiudicatus est. Hoc pro excellenti humilitate eius, hoc pro immensa patientia eius, hoc pro nimia abstinentia eius dicebatur, dictum accusabatur, accusatum damnabatur. Præcipuè tamen in seruando mansuetudinem indiscretionis arguebatur, quoniam sicut à pluribus putatum est, multi quos Ecclesiastica disciplina corripere debuerat, intellecta lenitate eius, in suis prauitatibus quasi licitè quiescebant. Verùm audita super his excusatione sua, nam neminẽ spernebat, nemini rationẽ ad inquisita reddere cõtenebat, mox liquidò cognoscebatur, ipsum aliter quàm faciebat, minimè in talibus facere debere vel posse, dum se in regula veræ discretionis vellet absque errore tenere.

Secularia verò negotia æquanimiter ferre nequibat, sed pro suo posse modis omnibus suam eis præsentiam subtrahebat. Si quando autem talis causa emergebat, vt ei necessariò interesse oporteret, soli veritati studere, nulli fraudem, nulli quodlibet præiudicium, quantum sua intererat, patiebatur inferri. Si vani clamores, si contentiones, si iurgia vt fit, oriebantur, aut ea sedare, aut citius sese absentare curabat. Nisi enim ita faceret, tædio affectus, statim animo deficiebat, & insuper grauem corporis ægritudinem incurrebat. Quam consuetudinem eius edocti, sæpè illum reipsa cogere de medio multitudinis eduximus, proponentesq́ue aliquam ex diuina pagina quæstionem, illicò corpus & animam eius quasi salubri anditoto medicatum, in consuetum statum reduximus. Requisitus autem quamobrem sic imbecillis ad seculares causas pusillanimis existeret, respondebat: Qui omnium secularium rerum amorem ac concupiscentiam ab animo meo iam dudum pepuli, qualiter in causis earum fortis & diligens existam? Imò veritatem dico non mentior, quia quando ipse mihi sese importunè & ex necessitate ingerunt, ita mens mea illarum horrore concutitur, sicut infans, cùm aliqua terribilis imago vultui eius ingeritur. Nec in ipsa dispositione magis delector, quàm puer in vberibus matris delectatur, dum illis acerba amaritudine superlinitis ablactatur.

His necessitatibus actus, totam domus suæ curam & dispositionem Domino Balduino monacho, cuius suprà meminimus, imposuit, quatenus ad nutum illius cuncta penderent, & statuta extra ordinationem eius irrita fierent. Ita igitur securitate potitus, spiritualibus disciplinis & contemplationi operam dabat.

Veruntamen diuersæ tribulationes, anxietates, quas tum propter terras Ecclesiæ, quas quidam maligni iniuria Rege non prohibente inuadebant, tum pro pecuniarum exactionibus, quæ totum regnum, sed maximè suos homines in immensum deuastabant, tum pro monasteriorum oppressionibus, quas sedare non poterat, & quotidie ad eum referebantur, tum pro multis alijs in hunc modum sæpè patiebatur, hanc eius quietem interrumpebant, & aliena quædam meditari compellebant. Præterea hi qui ante Episcopatum viro summissi eum diligebant, fauendo quæq́ue electa de suis alacres conferebant, nunc terras Ecclesiæ petere, nunc equos rogare, nunc pecuniam, nunc hoc vel illud ad quod scilicet sua quemque voluptas trahebat, ab eo precari. Aduerteres itaque petita obtinentes in præsentia eius ficta pace adgaudere, retributiones & obsequia polliceri, alios in contraria lapsos honori eius detrahere, homines eius pro posse impugnare, in immensum minari.

Ille aũt in patientia sua sciens possidere animam suam, cum his qui oderũt pacem erat pacificus, verba mansuetudinis & pacis semper reddens impugnatoribus suis, cupiens malum illorũ in bono vincere.

vincere. Attamen ea qui poterant in sequenti tẽpore Ecclesiæ suę damno esse, nequaquã ęquo animo tolerare, aut sub negligentiam cadere patiebatur. Sed quid dicam? Tanta cupiditas ea tempestate dominabatur in mentibus quorundam, vt nec patientia ipsius deliniti, monitis acquiescerent, nec terroribus pulsati, cæcitatem sui cordis exirent. Verùm de extraneis non multum forte mirandum. Ipsi sui proprij ac domestici homines mentiti sunt ei, & infideles facti. Animaduertẽtes quippè mansuetum, lene, simplexq́ue cor eius, in pluribus causis fraudulenta calliditate, compositisq́ue sermonibus eum multotiens circumuenire, & quæ illius iuris esse debebant diminuentes, ac exinde sua non iure augentes, qua ei fuerant alligati, fidem perdidère. Qua de re, cùm à Balduino, alijsque fidelibus suis nimiæ simplicitatis minorisq́ue prudentiæ familiariter reprehenderetur, simplici admiratione respondebat, dicens: Quid est hoc? Nónne Christiani sunt? Etsi Christiani, num alicuius commodi causa vellent contra fidẽ suam scienter mentiri? Nihil est. Tanto nempe studio mihi loquentes, sua verba componunt, & ea fide sua interposita, vera esse iurãt, vt incredulitati putetur posse asscribi, nolle credere eos ipsa veritatis firmitudine niti. Dicebat hæc ille æstimans ipsos sibi nolle, quod sciebat se nemini facere velle. Cumq́ue responderent sui moris illos non esse, aiebat; Fateor, malo decipi, bona de illis credendo, etiamsi me nesciente mali sunt, quàm decipere meipsum, credendo mala de ipsis quos nondum verè probaui, quòd boni non sint. Hæc tamen in principio Pontificatus sui dicta meminerim, Postmodùm enim rei veritas viro innotuit, & quę sibi à verè suis dicta fuerant, nimis vera fuisse cognouit. Quamuis igitur solitam fidem non ex toto verbis eorum deinceps præbuerit, tamen suis rebus in posterum non parùm obfuit, quod ipsis in principio tam credulus fuit. Siquidem illi certò scientes, eum pro malis sibi illatis ad mala reddenda cor non habere, à timore suspensi, sibiq́ue ipsis deteriores effecti, in peius proficere. Quod Pater tractans apud se, magis illorum quàm subsequi præuidebat perditioni, quàm tuæ indoluit transitoriæ deceptioni. Pro qua tamen deceptione, & fidei non seruatæ corruptione, sæpè Anselmus dicere solitus erat, eos quandoque aut in se, aut in liberis suis de rebus Ecclesiæ, quibus tunc in sublime raptabantur exhæredandos, & antiquæ paupertati in qua nati fuerant & nutriti, subiugandos, aut certè aliqua graui & contumelioſa vindicta, ante mortem, vel in morte quod deterius esset, puniendos. Quod dictum eius in quibusdam completum videmus, & ex hoc quid alijs & etiam timendum sit, coniectamus. Ideò autem eos corrigere nequibat, quoniam ipsi more densarum spinarum perplexi, argutis verborum assertionibus se tales non esse, quæ huiusmodi correctione opus haberent, affirmabant. At ille contentioni seruire deuitans, dimittebat eos sibi timens, ne mensuram discretionis excederet, si in rimandis actibus illorum nimis studioſus existeret. Nil enim in mundo, quantum peccare timebat. Conscientia mea teste, non mentior, quia sæpè illum sub veritatis testimonio profitentem audiuimus, quoniã si hinc peccati horrorẽ, hinc inferni dolorẽ cor poraliter cerneret, & necessario vni eorũ immergi deberet, priùs infernũ, quàm peccatũ appeteret.

Aliud quoque, non minus forsan aliquibus mirum dicere solebat, videlicet malle se purum à peccato, & innocentem gehennã habere, quàm peccati sorde pollutum, cœlorũ regna tenere. Quod dictũ cùm aliquibus extraneũ videretur, reddita ratione tẽperabat, dicens: Cùm cõstet solos malos in inferno torqueri, & solos bonos in cœlesti regno foueri, patet nec bonos in inferno, si illuc intrarẽt, posse teneri debita pœna malorũ, nec malos in cœlo si fortè accederẽt frui valere felicitate bonorũ. Hęc propter magno studio semper nitebatur peccatorũ contagia deuitare, & quicquid eis aliquam nascendi occasionẽ poterat ministrare, ab intentione sua omni solicitudine propulsare. Nec in his momentaneus erat. In his deniq; versabatur quotidiana institutio morũ eius, in his stabat assidua conuersatio vitæ eius, in his vigebat indeficiens executio propositi eius, in istis Deo seruiebat, pro his quibusque bonis acceptus erat, per hæc vitam æternam adipisci satagebat.

Regem autem trans mare regressum, Anselmus adijt, & vt sibi Romam ad Papam Vrbanum pro stola sui Archiepiscopatus eundi licẽtiam daret, humiliter petijt. At ille ad nomen Vrbani turbatus, dixit se illum pro Papa non tenere, nec suæ consuetudinis esse, vt absque sua electione alicui liceret in regno suo Papã nominare. Hinc igitur orta quędam dissensio grauis est, sed in aliud tẽpus differenda est dilata. Iubetur ergo, vt totius Angliæ Episcopi, Abbates & Principes, ad discussionem dissidij huius apud castrum quod Rothingeham dicitur veniãt, factum est, & tertia septimana quadragesimæ iuxta edictum conuenerunt. Causa in medium ducitur, & Anselmus diuersis quærelis hinc inde concutitur. Siquidem multi, & maximè Episcopi regiæ voluntati fauere volentes, spreto æquitatis iudicio, id probare nitebantur, quod Anselmus salua fide quam regi debebat, nullatenus posset in regno Vrbanum sedis Apostolicæ præsulem, pro Papa tenere. Quibus cùm plura quæ ratio tulerat obiecta fuissent, & Anselmus eos ex verbis Domini, Reddite quæ sunt Cęsaris Cęsari, & quæ sunt Dei Deo, alijsque nonnullis, quę ratione nulla refellere poterat, penitùs infrenasset: illi ècontra quid dicerent non habentes, eum in Regem blasphemare vno strepitu conclamauêre, quandoquidem ausus erat in regno eius, nisi eo concedente, quicquam vel DEO asscribere.

Igitur ad vnam Regiæ indignationis vocem, quidã ex Episcopis, Archiepiscopo suo atque primati, omnem subiectionem professam obedientiam vno impetu abnegant, eique vnitatem fraternę societatis pari voto miserandi obiurant, quidam verò in eis tantùm, quę ex parte Vrbani Papæ

præciperet,illi se obedituros negant. Episcopi itaque omnes qui affuerant, Rofensi solo excepto, aut vno aut alio modo debitâ ille subiectionem& obedientiam abnegant.Rex etiam ipse cunctam ei confidentiam & securitatem suis in omnibus adimit,nec se illum pro Archiepiscopo vel Patre amplius habiturum iurat,nisi ipse vicario beati Petri se vlterius obediturum statim deneget.Tres dies in isto negotio clamoribus in Anselmum & contumelijs grauidi expensi sunt, & tandem in hoc, quem dixi,fine concluſi sunt.

Tunc Anselmus in suo proposito constans,per internuncium conductum â rege postulat, quo tutus regno decedat.Quod principes multi damnosum fore dinoscentes, pro restituenda pace,inducias vtrinq; ad pentecostẽ vsq; dari precantur & obtinent,ac sic eũ ne regno decedat,impediunt. Spondet igitur rex,se rebus eius vsque ad prefixum tempus iuduciarum,plenam pacem & tranquillitatem indulturum,& tunc voluntati illius pro sua religione multum in negotio, quod emerserat, condescensurum. Verùm omninò in contraria lapsus est, & Anselmus Domino Balduino extra regnum depulso,hominibusque suis captis & expoliatis,territisq; vastatis in immensum afflictus est. Attamen post hæc,& Vrbanum per VValterum Abbanensem Episcopum, qui pallium Anselmo à Roma Cantuariam detulit,pro Papa suscepit,& principum suorum consilio actus,in amicitiam suam virum suscepit. Verùm post aliquantum tempus idem rex Agualis victor regressus, renouata ira propter milites,quos,sicut falsò à malignis dicebatur, malè instructos in expeditionem Anselmus direxerat,contra ipsum turbatus est. Tunc Anselmus considerans apud se,omni tempore talia pro nihilo posse oriri,& se eis occupatum semper ab officio pontificali posse impediri, tractauit secum sibi Romam eundum,& consilium à sede beati Petri super his petendum. Cùm igitur in solennitate Pentecostes,ad Curiam apud Virandlehoram venisset,per familiares suos regi mandauit,sibi perneceſſarium esse Romam ire,& hoc si ei placeret,se per licentiam eius facere velle.At ille nequaquam,inquit: Hæc enim eum,aut in his quæ agenda sunt,cuiusuis consilij inscium,aut alicui gra ui peccato obnoxium esse scimus,vnde vel Papam consulere, vel illius absolutionem necesse sit illi implorare.Et res igitur ita tunc quidem remansit.

Discedente autem Anselmo à curia, & ad villam suam nomine Heysem properante,pueri quos nutriebat,leporem sibi occurſantem in via canibus insecuti sunt, & fugitantem infrapedes equi, quem pater ipse sedebat,subsidentem consecuti sunt. Ille sciens,miseram bestiam sibi sub se refugio consuluisse,retentis habenis equum loco fixit,nec cupitum bestiæ voluit præsidium denegare.Quam canes circundantes,& haud grato obsequio hinc inde lingentes,nec de sub equo poterant eijcere,nec in aliquo lędere.Quod videntes,admirati sumus.At Anselmus, vbi quosdam ex equitibus aspexit ridere,& quasi pro capta bestia lætitiæ frena laxare,solutus in lachymas,ait: Ridetis?Et vtique infœlici huic nullus risus,lętitia nulla est.Hostes eius circa eam sunt,& ipsa de vita sollicita,confugit ad nos præsidium flagitans. Hoc plane est & animæ. Nam cùm de corpore exit,mox inimici, scilicet maligni spiritus, qui eam in corpore degentem , per anfractus vitiorum multis modis persecuti sunt,crudeliter assunt parati eam rapere,& in mortem æternam præcipitare.At ipsa nimis anxia,huc illucq́ue circumspicit,& qua tueatur defensionis & auxilij manum sibi porrigi, ineffabili desiderio concupiscit. Dæmones autem ècontrario rident,& magno gaudio gaudent,si illam nullo fultam adminiculo inueniunt. Quibus dictis laxato freno,in iter redijt,bestiam vltra persequi,clara voce canibus interdicens.Tunc illa ab omni lesione immunis exultans,præpeti cursu campos sylvasque reuisit.Nos verò depositis iocis,sed non modicè alacres effecti, de tam pia liberatione pauidi animalis cœpto itinere viam detriuimus.

Alia vice conspexit puerum cum auicula in via ludentem. Quæ auis pedem filo annexum habens,sæpe cùm laxius ire permittebatur,fuga sibi consulere cupiens, auolare nitebatur. At puer filum manu tenens,retractam vsque ad se deijciebat,& hoc ingens gaudium illi erat.Factum est id frequentius. Quod Pater aspiciens,miserè condoluit aui, ac vt rupto filo libertati redderetur,optauit. Et ecce filum rumpitur,auis auolat.puer plorat, pater exultat. Et vocatis nobis,consideraſtis, inquit,iocum pueri.Et confesis considerasse ait: Simili consideratione iocatur diabolus cum multis hominibus,quos suis laqueis irretitos, pro sua voluntate in diuersa vitia pertrahit. Sunt enim quidam,vt verbi gratia dicam,aut auaritiæ aut luxuriæ,& similium flammis succensi, & ex magna consuetudine illis addicti,his cõtingit aliquãdo,vt sua facta cõsiderent,defleãt,seq; amodò à talib⁹ cessaturos sibi promittunt.En more auis se liberos volare autumant. Sed quia prauo vsu irretiti, ab hoste tenentur,volantes,in eadem vitia deijciuntur.Fitque hoc sæpius. Nec omnimodis liberãtur,nisi magno conatu per respectum gratiæ Dei filum prauæ consuetudinis dirumpatur.

Hinc iterum Anselmus curiam veniens, iam petitam licentiam Romam eundi à rege petiuit, sed eam non obtinuit. Post quæ, in mense octobri inuitatus à rege Vuintoniam vadit, & quod iam bis rogauerat,attentius per internuncios tertiò rogat. Turbatur ille, & nimium se vexari ab eo anxio queritur. Ad quod Anselmus: Et quidem quod Romam ire disponо causa sanctæ Christianitatis, quam in hac terra regere suscepi,causaque salutis animæ meæ, causa etiam sui honoris & vtilitatis, si credere velit,id ago.Si ergò mihi bono animo licentiam dederit eundi, gratiosus accipiam. Si ego vtique,quod Deus præcepit,postponere non debeo,quia scriptum est: Obedire magis Deo oportet,quàm hominibus.Quod ille audiens,turbato animo iubet, vt aut cœpto desistat, & insuper se nunquàm beatum Petrum vel sedem eius pro quolibet negocio appellaturum iureiurando promittat, aut sine mora omni spe remeandi, sublata suo regno decedat. Et subdens ait: Si vero territus istis cœpto desistere & remanere quam ire delegerit, tunc volo quatenus mihi prout iudicabit curia mea emendet, quoniam illud sibi concedi à me tertio petijt, in quo se perleueraturum certus non fuit. Respondit: Dominus est, quod vult dicit.Ego tamen sciens ad quid assumptus sim,& quid in Anglia gerendum susceperim, non mihi esse honestum pronuntio,cuiusuis transitorij commodi causa illud omittere , quod in opere misericordiæ Dei spero futuris temporibus Ecclesiæ eius vtile fore. Acta sunt hinc his multo plura, quæ quoniam alias scripsimus,hic paucis perstringimus.Rege igitur & curialibus contra virum in iram permotis,ipse ad eum placido vultu ingreditur,& dextram eius ex more assidens ait: Ego domine vt dispositi vado,sed primo meam vobis benedictionem si non abijcitis dabo. Quam cum ille se nolle abijcere responderet, conquiescentem regem ad hoc leuata dextera benedixit, sicque relicta curia Cantuariam venit.

Postera die adunatos monachos in ipsa sede Domino Iesu Christo famulantes his verbis allocutus est:Fratres & filij mei dilectissimi,sicut audistis & scitis, ego regno huic proxime sum discessurus. Causa quippe quæ inter DOMINVM nostrum regem & me iam diu de Christianæ religionis correctione versata est,ad hoc est tandem perducta,vt aut ea quæ contra Deum & honestatem meam sunt, me oporteat agere, aut huic regno sine mora decedere. Et ego quidem libens vado,sperans in respectum misericordis Dei iter meum libertati Ecclesiæ futuris temporibus nonnihili profuturum. Super vos tamen quos ad præsens relinquo, non modica pietate moueor,vtpote quos tribulationes & angustias,oppressiones & cõtumelias acerbius solito me absente passuros intueor. Licet enim constet, illas nec me præsente ex toto fuisse remotas, tamen quando emergebant , contra eas vobis quoddam quasi vmbraculum extiti: & ne in immensum vos ferirent scutum me vestræ protectionis medium obieci. Et quidam maiori pace ac securitate vos vlos existimo postquam inter vos veni , quâm à decessu venerandæ memoriæ Lantfranci patris nostri vsi fueritis vsque ad introitum mei. Vnde etiam videor mihi videre,eo magis ipsos qui vos infestare solebant aduersum vos me abeunte sæuituros, quo à dominatu quo vos,opprimebant,vident se in præsentia mei deiectos. Sed vos non estis rudes aut hebetes in schola DOMINI, vt qualiter in huiusmodi si ingruerint, debeatis vos habere, opus habeatis doceri. Paucis tamen suggero, vt quia DEO militaturi in conceptum huius monasterij conueniſtis, præ oculis semper habeatis, quemadmodum militetis. Non enim omnes vno modo militant. Quod etiam in terrenorum curijs principum videre planum est. Est etenim princeps diuersi ordinis in sua curia milites habens. Habet nanqne qui pro terris quas de se tenent,seruitio suo inuigilant,habet qui pro stipendijs in militaribus armis sibi desudant, habet etiam qui pro recuperanda hæreditate,quam in culpa parentum suorum se perdidisse deplorant, inuicta mentis virtute voluntati suæ parere laborant. Hi ergo qui pro terris quas possident seruiunt,iam radicati sunt & fundati,nec euelli formidant, dum se in Domini sui voluntate conseruant. At hi qui pro stipendijs in militiam sese dederunt, nonnunquam fatigati laboribus â militia,quam aggressi sunt,segniter cadunt,dum forte magnitudini exercitij atque laboris magnitudo,sicut ipsi existimant,nõn æquatur impendij ac retributionis. Qui vero recuperandæ causa hæreditatis seruiendi conditionem arripuêre, quamuis nunc istis nunc illis laborum generibus opprimantur, nunc his vel illis contumelijs afficiantur, æquanimiter omnia sustinent, si firmum recuperandæ hæreditatis suæ amorem certę spei gratia tenent. Hęc fieri inter homines liquet,& hinc quod in curia principis omnium fiat, re ipsa monstrante aduertere libet, DEVS enim,cuius sunt omnia quę sunt,in his tribus generibus distinctam ad sui obsequium curiam habet. Habet quippe angelos,qui æterna beatitudine stabiliti, sibi ministrant. Habet etiam homines sibi pro terrenis commodis,quasi milites stipendiarij,seruientes. Habet quoque nonnullos, qui diu noctuque suæ voluntati inhærentes , ad regnum cœlorum , quod in patris sui Adę culpa perdiderunt, hæreditario iure peruenire contendunt.Sed nobis ad beatorum spirituum societatem magis est suspirandum,quàm de eorum procinctu, quo DEO perenniter astant, in præsenti disputandum. Ad solidarios Dei milites verba vertamus. Videatis quam plurimos in seculari vita degentes,DEVM in his quæ possident specie tenus diligentes, & eius per quędam bona opera,quę faciunt, famulatui insistentes. Superuenit his Dei iudicio tentatio aliqua , perdunt sua. Quid dicam? Mutata protinus mente, volant ab amore Dei , deserunt bona quæ faciebant,murmurant, iniustitiæ DEVM accusant. Quid de istis dicendum? Solidarij sunt, & impletur in illis,quod dicit Psalmus:Confitebitur tibi,cum benefeceris ei. Hoc de secularibus dictum. Sed nos monachi vtinam tales essemus,vt horum similes non essemus. Nam qui in proposito sui norma,quam professi sunt,stare recusant , nisi cuncta quæ sibi ad votum sunt copiosius habeant,nec hinc propter DEVM cuiuslibet rei penuriam , nec hinc regulæ disciplinam pati nolunt, quibus obsecro rationibus iuuabuntur, ne horum similes habeantur? In omni quippe opere suo prius mercedem exigunt , quam cui merces debetur ministerij munus exoluant.

***

uât. Et hi tales regni cœlestis hęredes erũt? Fidẽter dico, nequaquã, si nõ pœnituerint se tales fuisse.

Qui vero ad recuperandæ vitæ regnum obsequij sui dirigit intentionem, Deo per omnia inhærere, & totam fiduciam suam inflexibili mentis statu in eum defigere nititur, nulla hunc aduersitas, Dei seruitio detrahit, nulla transeuntis vitæ voluptas ab eius amore compescit. Per dura & aspera viam mandatorum illius incedit, & ex spe retributionis futuræ cor suum indeficienti charitatis ardore succendit, ac sic in cunctis vera patientia fretus cum Psalmista lætus canit: Magna est gloria Domini. Quam gloriam sic in hac peregrinatione positus gustat, gustando ruminat, ruminando desiderat, desiderando à longe salutat, vt ad illam spe perueniendi subnixus, ea se intra mundana pericula consoletur & alacriter cantet: Magna est gloria Domini. Et sciatis quod hîc ipsa gloria Domini nullo modo defraudabitur, quoniam totum quod in eo viget voluntati Domini famulatur, atque ad hanc obtinendam dirigitur. Sed ô iam ab istis inter vos mihi cessandum video. Fratres mei obsecro vos, si hic dolentes nunc ab inuicem separamur, tendite vt in futuro ante Deum læti ad inuicem coniungamur. Estote illi, qui veraciter velitis effici hæredes CHRISTI. His dictis erumpentes ab eius oculis lachrymæ, eum plura loqui prohibuêre. Gemitum fratrum qui subsecutus est quis enarrabit? Ita fretus impleuit omnia, vt vox nulli superesset aduersa. Tandem pater medios rumpens singultus ait: Charissimi mei, scitis quid vos esse, & quo vos tendere cupiam. Sed hora hæc plura loqui vetat, DEO omnipotenti & beatissimo apostolorum principi Petro vos commendo, vt & ipse DEVS inter suas oues vos agnoscat, & beatus Petrus in sui tuitionem sicut oues Dei sibi commendatas, vos suscipiat. Ego vestra licentia, & benedictione vado, ac vt Deus pacis ac dilectionis vobiscum maneat oro. Post hæc surrexit, & dato pacis osculo cunctis, in oratorium iuit, populo sanctum eius alloquium præstolanti, pro instantis qualitate negotij verbum consolationis & exhortationis ministraturus. Quod vbi excellẽter peregit, astante monachorum, clericorum, ac numerosa populorum multitudine peram & baculum peregrinantium more coram altari suscepit, commendatisque omnibus Christo ingenti fletu & eiulatu prosecutus egressus est.

Ipso die ad portum Dofras iuimus, ibique clericum quendam VVilhelmum nomine à rege ad Anselmum directum reperimus. Detenti autem ibi quindecim diebus sumus, vento nobis transitum prohibente. In qua mora idem VVilhelmus cum patre intrans & exiens, & in mensa illius quotidie comedens, nulli propter quam rem missus fuerat denudare volebat. Die vero quintodecimo cũ nos nautæ vrgerent naues petere, & nos transire auidi ad hoc fatigaremur, ecce videres rem miserandam: Patrẽ patriæ, primatẽ totius Britanniæ, VVilhelmus ille quasi fugitiuũ & alicuius criminis reum in littore detinet, ac ne mare transeat ex parte domini sui iubet, donec omnia quæ secum ferebat sigillatim sibi reuelet. Allatæ igitur ante illum Bulgiæ & Manticæ referatę sunt, tota suppellex illius spe pecunię reperendæ subuersa atque exquisita est, ingenti plebis multitudine circumstante, ac nefarium opus pro sui nouitate admirando spectante, & spectando execrante. Rebus ergo euersis, sed nihil horum quorum causa euersę sunt ineis reperto, delusa solicitudo perscrutantis est, & Anselmus cum suis abire permissus.

Itaque nauem ingreditur, ventis vela panduntur. At nautæ submurmurantes affirmant, nullo penitus conatu, nullo numerosorum remorum impulsu, eo quo ferebamur vento, Vuitsandis pertingendum, imo si marinis fluctibus pariter inuolui nollemus sine mora remeandum. Ingemuit Anselmus ad ista, & ait: Si omnipotentis Dei iudicio placet, me magis redire ad pristinas miserias, quam liberatũ ab illis tendere ad id quod ipse nouit me animo proposuisse, ipse videat, ipse dispenset, ego voluntati eius obsequi paratus sum, nec enim meus, sed ipsius sum: & suffusis in lachrymas oculis eius, illico ventus ex alio latere surgens in velum percussit, & nautas iam velo reflexo terram petentes, ad priorem cursum reuerti coẽgit. Nos igitur non modicum exhilarati, & in breui prosperrimè marinis fluctibus euecti, Vuitsandis pro voto appulimus.

Egredientibus autem nobis de naui, hi quorum nauis erat, retinentes dominum Balduinum, quem prouisorem & ordinatorem rerum Anselmi suprà diximus, ostenderunt ei mirabile quiddam quod acciderat. In fundo etenim nauis, quæ virum per vndas transuexerat fractura vnius tabulæ foramen vnum ferme duorum spatio pedum magnitudinis habens, effecerat, quod fluitanti elemento lacum demonstrabat, sed nullum omnino, quam diu Anselmus in ea fuerat, reserabat introitum. Quæ res si admirationem sese tuentibus intulit, non puto mirandum. Tunc Balduinus summo studio cunctis rem celare pręcepit, & ea res per id temporis non multis innotuit. Ego autem cum inde quędam persensissem, ac post longum tempus dum istis, quę in manu habemus, scribendis animum applicuissem, nihil vnde mihi vel leuis dubitatio inesse poterat, describere voluissem, interrogaui eundem virum de negotio, & veritatem magnopere scitatus sum. Qui interposita veritatis assertione, qua seruus Dei ac verus monachus inniti debet, cõfessus est rem ex toto sicut eam retuli factam nec quicquam in ea confictum.

Anselmus itaque extra Angliam positus magnificè lætatus est & multiplices Deo gratias egit, quod se quasi immanem Babylonis fornacen euasisse & culmen quodammodo placidæ quietis contingisse videbat. VVilhelmus autem audito ANSELMVM transfretasse, confestim præcepit, cuncta quæ illius iuris fuerant in suum transscribi Dominium, & irrita fieri omnia, quę

quæ per ipsum statuta fuisse probari poterant, ex quo venerat in archiepiscopatum. Quas itaque tribulationes Ecclesia Christi passa est intus, & cogitatu nedum dictu percipere difficile esse pronuntio.

Igitur Anselmus à Vuitsandis mane discedens, & post dies ad sanctum Bertinum veniens, magna plebis, clericorum, monachorum alacritate susceptus est, & per quinque dies ibi detentus. Interea rogatu amicorum & canonicorum altare apud sanctum Audomarum consecrauit. Quo facto venerunt ad eum honorati quidam de indigenis viri, flexis genibus obsecrantes, quatenus filios eorum per impositionem manus suæ sacri chrismatis vnctione signaret. Ad quod mox ita respondit: Et hos pro quibus petitis libens in hac causa suscipiam, & alios hoc sacramento egentes si præsto fuerint non abijciam. Qua illi facilitate responsi benignitatem viri admirantes magnificè lætati sunt, & gratias egerunt, confirmatisque pueris suis, ilico totam vrbem his quæ ab eius ore acceperant impleuerunt. Videres ergo viros ac mulieres magnos ac paruos è domibus ruere, certatimque currendo ad nostrum hospitium prædicti gratia sacramenti properare. Plures siquidem anni apud eos transierant, in quibus nullus episcoporum illic fuerat tali officio pastus occupari.

Sexto demum die cum iam innumeram multitudinem confirmasset, & nos à loco discessuros longum iter ipsius diei quod instabat festinare compelleret, ecce puella quædam domum de qua equos ascensuri egrediebamur introijt, flebili pietatis affectu se confirmari deposcens. Quod quidam ex socijs nostris audientes, nimis moleste tulerunt, & verba illius, vtpotè qui iam talium erant tædio affecti, contradicendo depressерunt. Quid plura? Virum precibus puellę assensum tribuere volentem, ipsi obiecta longitudine diurnæ viæ, obiectis periculis quæ nocturnos viatores in peregrina quam maxime patria comprehendere solent, detinuerunt, & ne voci ipsius auditum præberet obtinuerunt. Sed vbi aliquantum processimus, venit patri in mentem quibus adquieuerit, quid egerit. Illico nimis impietatis seipsum arguens, tantum ex inde concepit cordis dolorem, vt quam diu vitę presenti superfuit, pœnitudo ipsius facti, vt sæpè fatebatur, ab animo eius non recesserit. Nobis dehinc cœptum iter de die in diem accelerantibus, fama viri multo celerius præcurrebat, & multiplici populos voce replebat. Vnde turbarum concursus, clericorum cœtus, monachorum exercitus ei quocunque veniebat occurrunt, isti gaudio & exultatione concrepátes, illi vexillis & sonoris concentibus Deo pro illius aduentu coniubilantes.

Cum autem Lugdunum veniisset, & ab archiepiscopo ciuitatis ipsius gloriose susceptus fuisset, post dies paucos missis literis consilium à Domino Papa de negocio suo quæsiuit, & quia partim imbecillitate sui corporis, partim alijs pluribus causis præpeditus vltra Lugdunum progredi nequaquam posset, ei suggesit. Ita ergo Lugduni resedit, reditum nuntiorum suorum ibi expectans. Post tempus Roma nuntij redeuntes, quoniam omni sublata excusatione, eum ad se Papa properare præceperit, referunt. Ille nescius moræ pontificalibus iussis obaudit, viæ se periculis mortem pro Deo non veritus tradit. Hinc Secusiam venimus, & nos abbati loci illius præsentauimus. Eramus quippe monachi tres, dominus videlicet & pater Anselmus, dominus Balduinus, & ego qui hæc scribo frater Edinerus. Qui ita ibamus quasi pares esemus, nullo indicio quis cui præstaret coram alijs ostendentes. Ab abbate igitur qui vel vnde essemus interrogati, paucis respondimus. Et audito, quosdam ex nobis Beccensis cœnobij monachos esse, scisitatus est: Fratres obsecro vos, viuit ille adhuc, ille Dei & omnium bonorum amicus Anselmus, scilicet cœnobij ipsius abbas, vir in omni religione probatus & acceptus? Balduinus ad hæc: Ille ait in archiepiscopatum in aliud regnum raptus est. At ille, audiui. Sed nunc quæso qualiter est, valet? Equidem ex eo tempore, ait, quo functus est pontificatu, non vidi eum Becci: diciur tamen benè valere vbi est. Tunc abbas: Et vt valeat õro. Hæc de se Anselmus dici audiens, confestim tecto cucullę suę caputio capite, demisso vultu sedebat. Nolebamus enim agnosci, ne fortè pręcurrente fama, de aduentu tanti viri cuius periculo nostra incuria fieremus obnoxij. Celebratis dehinc, in cœnobio sancti Michaëli archangeli, quod in monte situm Clusa vocatur, passionis ac resurrectionis dominicę solennijs, in iter reuersi Romam festinauimus. Mirum dictu. Pauci atque ignoti per loca peregrina ibamus, neminem agnoscentes, nemini qui vel vnde esemus innotescentes, & ecce solus Anselmi aspectus in admirationem sui populos excitabat, eumque esse virum vitę designabat. Vnde cum iam hospitati etiam inter eos, quorum insidias metuebamus, fuissemus, nonnunqaam viri cum mulieribus hospitium intrauere, & vt hominem videre eiusque mererentur benedictione potiri, obnixè precabantur.

Tali ergo vulgi fauore Romam vsque prosecutus, Lateranis, vbi tunc temporis summus põtifex morabatur, aduenit. Nunciatur pontifici patris aduentus, & ouans iubet illum in parte ipsius sui palatij hospitari, & die illo indulgere quieti. Mane confluit ad Papam Romana nobilitas, & de noui hospitis aduentu sermo conferitur. Adducitur cum reuerentia vir in medium, & in qua coram Papa decenter sedeat sella profertur. Ingressus humiliat se pro more ad pedes summi pontificis, sed statim ab ipso erigitur ad osculum eius. Sedet, ac pro aduentu illius lętari se apostolicus cum Romana curia dicit, acclamat curia dicto. Postea silentio facto, multa in laudem hominis Papa locutus est: virum illum virtutis ac totius religionis esse contestans. Et quidem inquit

ita eſt:Cumque illum vtpote hominem, cunctis liberalium artium diſciplinis innutritum pro magiſtro teneamus,& quaſi comparem velut alterius orbis apoſtolicum,& patriarcham iure veneran dum cenſeamus,ita tamen excellens menti eius humilitatis conſtantia prę ſidet, vt nec marinis periculis,nec longiſsimis peregrinæ terræ ſpacijs terreri potuerit, quin veſtigijs beati Petri noſtræ paruitatis miniſterio ſe præſentare,noſque magis illius quàm illum noſtro egentem conſilio,ſuper cauſis ſuis conſulendos adire ſtuduerit.Quapropter conſiderate,quo amore,quo honore ſuſcipiẽdus ſit & amplectendus.Hæc cum Anſelmus de ſe,& multo his plura pro ſui laude dici audiret,ſicut ipſemet ſæpè fateri ſolebat,non parum erubuit,quoniam ſe talem apud ſe,qualis à tanto viro predicabatur,minime cognouit.Veruntamen erat inter verba tacens, decentius fore perpendens, ad eiuſmodi ſilere quàm loqui.Poſt hæc de ſui aduentus cauſa percunctatus à Papa,eo ſibi modo narrauit eam,quo veritatis ac diſcretionis ratio popoſcit.Ille ad audita miratur,& ſubuentionem plenam pollicetur. Præcepit itaque vt ſubuentionis ipſius effectum circa ſe Anſelmus præſtolaretur.

Verùm quia calor æſtatis in partibus illis cuncta vrebat, & habitatio vrbis nimium inſalubris,ſed præcipue peregrinis hominibus erat,Ioannes quidam nomine olim monachus Becci,tunc autem abbas cœnobij ſancti Saluatoris Teſelim,annuente Papa ſuſcepit eum vt proprium patrem amice,& duxit in ſuam villam Schlauiam nomine,quæ in montis vertice ſita ſano iugiter aëre atque tepenti , conuerſanti illic habilis extat. Igitur habitatio noſtra in montis erat ſummitate locata,à turbarum tumultu inſtar ſolitudinis vacua. Quod Anſelmus aduertens, ex ſpe futuræ quietis exhilaratus ait: Hæc requies mea,hic habitabo. Ad primum igitur conuerſationis ordinem (quem antequam abbas eſset habebat,quemque ſe in pontificatu poſitum maxime perdidiſse deflebat) vitam inſtituit, ſanctis operibus, diuinæ contemplationi, myſticarum rerum enodationi diu noctuque mentem intendens.Vnde Chriſtianæ fidei amore permotus, inſigne volumen ædidit,quod Cur Deus homo titulauit.Quod opus ſicut in prologo eius ipſe teſtatur in Anglia cœpit, ſed hic in Capuana videlicet prouincia conſtitutus abſoluit.

Inter hæc omnia ſeſe omnibus faciens, cunctis pro poſſe ſubueniens, cunctos qui ſe audire volebant,non conſiderata alicuius perſona,ad ſuum colloquium admiſit, & ſingulis pro qualitate motæ quæſtionis benigna affabilitate atque affabili benignitate ſatisfaciens. Quapropter fama illius in breui circumcirca percrebuit,& in dilectionem atque venerationem eius cunctorum corda conuertit.Quicunque igitur eum videre, eiuſque potuit benedictionem habere, beatum ſe propria cenſura iudicij æſtimauit.Monachus etiam, qui villæ ipſius pro abbatis imperio cuſtos erat, quique nobis more boni hoſpitis in nonnullis miniſtrabat,conſiderans vitam & actus patris, concepit apud ſe ſpem boni magni & gratiam Dei in eo vigere, crediditque quod Deus multa libens faceret ob merita eius:homines autem villę multas incommoditates quotidie patiebantur pro penuria aquę. In deuexo tamen latere montis puteus vnus nimię profunditatis habebatur,ſed ita ſingulis diebus exhauriebatur, vt ab hora diei nona nulla quę extrahi poſset in illo aqua vſque mane reperiretur.Quo incommodo frater ille ſubuentum iri deſiderans, rem Anſelmo conquerentis more innotuit,& ſuę voluntati ineſſe ſubiunxit,puteũ in ipſo quo habitabamus loco facere,ſi forte Deus ſua pietate dignaretur hoc incommodum propulſare. Laudat Anſelmus piam fratris voluntatem, & rem tentare ſuadet. Lętatur ille ad hęc, & rogat quatenus ipſe locum inſpiciat,ac premiſſa prece cum benedictione ſua primus terram aperiat. Adquieſcit ille precanti , nolens offendere voluntatem hoſpitis ſui . Quid dicam? Cernebatur mirę celſitudinis rupes, & quaſi dementia videbatur in tali loco fontem velle aquę inueſtigare. Vadit tamen Anſelmus nobis comitatus ad locum,& ſupplici prece premiſſa, hoc eſt, vt abundantiam iugis atque ſalubris atquę DEVS ei largiretur. Tertio feriens terram aperuit,& reliquo operi dare operam iuſsit. Perpauci dies cœpti operis tranſierunt,& ecce fons viuus è duritia rupis erumpens,ingenti cunctos ſtupore percuſsit. Nec mirum.Aqua enim quam ſe magiſter operis nec in plurimis diebus reperturum putabat, non mirum ſi ſtuporem incuſserit breui reperta. Perfectus itaque puteus eſt modicę quidem profunditatis extans,ſed limpidiſsimę, atquę ſalubris aque iugi fonte redundans. Quę res illico diuulgata non paruę admirationis fuit, & eam viri meritis omnis qui audiuit aſcripſit.Itaque puteus ille,puteus Cantuariẽſis epiſcopi vſque hodie ab incolis ipſius terrę vocatur .Fuerunt autem hi,qui ad nos inde ſepè venerunt,quia multi diuerſis languoribus ac febribus tenti,ſumpta in potu eadem aqua,priſtinę ſanitati mox reſtituuntur.

His diebus Rogerus dux Apulię ciuitatem Capuam obſidebat. Qui fama viri permotus, mittens rogauit eum venire ad ſe,aſcendimus,iuimus,& plures in obſidione dies exegimus,remoti in tentorijs à frequentia & tumultu perſtrepentis exercitus. Erat autem vbi eramus quędam Eccleſiola penitus deſerta,& iuxta oſtium ciſterna deſuper dirupta magnę profunditatis hiatum ſua diruptione prætendens. In qua Eccleſia velut in camera pro velle conuerſabamur, tam quieti quam operi in ea indulgentes,& ducem ipſum cum ſuis nobiſcum ſingulis diebus, vt volebamus, in promptu habentes. Quadam vero nocte cum in ea dormiremus, contigit Anſelmum ſui corporis neceſsitate ſilentio ſurgere, & ne inquietaremur ſuo more lento pede ad oſtium tendere.Quod cum exiſset,& immemor foueæ per tenebras in partem diuertiſset,in pro-

profundum cecidit,clamoſa voce cadendo dicens:Sancta Maria.Ad quem ſonitum nos ac ſocij noſtri qui in tentorijs quieſcebant expergefacti,lectis proſiliuimus, accurrentes hominem in profundo vidimus,& præ timore ſimul & anguſtia cordis exanimati fere ſumus. Quod ipſe percipiens, mox leuato capite,vultu iucundo,intuitu nobis innuit,nil læſionis ſeſe perpeſsum. Deſcendentes igitur quidam ex noſtris ex altera parte ipſius præcipitij, qua via erat deſcendendi, eduxerunt eum à loco ſanum omnino atque incolumem.Cum poſt hæc ſedis apoſtolicę pontifex Vrbanus illo aduentaret,& ei ab Anſelmo & principibus totius exercitus obuiam itum eſset,ingenti mundalis gloriæ pompa proſecutus,ductus eſt in tentorium quod iuxta nos ſibi erat cæteris excellentius conſtitutum.Sicque donec ciuitas in deditionem tranſijt obſidio illius dominum Papam & Anſelmum vicinos habuit,ita vt familia vtrorumque magis videretur vna quàm duæ, nec facile quiuis declinaret ad Papam,qui non diuerteret ad Anſelmum.Papa namque colebatur à cunctis,quemadmodum pater & paſtor communis:Anſelmus vero diligebatur ab omnibus,ſicut homo manſuetus & mitis,& cui ſuo iudicio nihil debebatur à quouis.In Papa denique ſupereminẽs vigebat cum dignitatis authoritate poteſtas,in Anſelmo mira & quæ cunctos demulcebat pura cum ſimplicitate humilitas.Multi ergo,quos timor prohibebat ad Papam accedere, feſtinabant ad Anſelmum venire,amore ducti,qui neſcit timere.Maieſtas etenim Papę ſolos admittebat diuites,humanitas Anſelmi ſine perſonarũ acceptione ſuſcipiebat omnes.Et quos omnes? Paganos etiam,vt de Chriſtianis taceam.Siquidem nonnulli talium,nam eorum multa milia,in ipſam expeditionem homo ducis Rogerus,comes de Sicilia,nonnulli inquam talium fama bonitatis eius inter ſuos exciti manſionẽ noſtram frequentabant,& ſumptis ab Anſelmo corporalibus cibis gratioſi reuertebantur, admirandam viri benignitatem ſuis predicantesquam experiebantur. Vnde in tanta deinceps veneratione apud eos habitus eſt,vt cum per clauſtra illorum, quæ in vnum locata erant, tranſiremus, ingens multitudo eorum eleuatis ad cœlum manibus ei proſpera imprecarentur, & oſculatis pro ritu ſuo manibus,proprijs etiam coram eo genibus flexis,pro ſua benigna largitate grates agendo venerarentur.Quorum etiam plurimi velut comperimus ſe libenter eius doctrinæ inſtruendos ſubmiſiſſent,ac Chriſtianæ fidei iugo ſua per eum colla inieciſsent,ſi crudelitatem comitis ſui per hoc in ſe ſæuituram non formidaſsent. Nam reuera nullum eorum pati volebat Chriſtianum impune fieri.Quod qua induſtria,vt ita dicam,hoc faciebat,nihil mea intereſt,viderit Deus & ipſe.

Dehinc ſoluta obſidione,Anſelmus multa prece Papam ad hoc flectere conatus eſt,quatenus ab onere pontificali eum abſolueret,& quieti liberum vacare concederet.Verum cum, quantum quidem ad effectum ſpectabat,in nihilum laboraſset,fretus benedictione eius, Schlauiam reuerſus eſt, operiens ibi tempus concilij,quod idem Papa apud Barum Calend.Octob. erat celebraturus . Cui concilio dum Anſelmus ſe præſentaſset,& perſuaſus à Papa, Græcos in proceſsione ſpiritus ſancti,vtpote quem à patre non à filio procedere aſtruebant,errantes, rationabili atque Catholica diſputatione confutaſset, magni apud omnes habitus eſt, & veneratione digniſsimus comprobatus.

Finito concilio,Romam cum Apoſtolico profecti ſumus. Tranſactis autem aliquantis diebus, venit Romam VVilhelmus ille,cuius in exitu Angliæ mentionem fecimus. Is inter alia hoc effecit apud Apoſtolicum,vt inducias regi Angliæ daret de cauſa Anſelmi vſque ad feſtum Michaëlis archangeli.Quod Anſelmus agnoſcens,ilico Lugdunum redire volebat, ſed prohibitus à Papa eſt propter concilium, quod ſe tertia hebdomada Paſchæ Romæ habiturum ſtatuerat.Morati itaque Romæ ferme per dimidium annum continue circa Papam degentes, & quaſi in commune viuentes.Vnde & ipſe Papa nonnunquam ad Anſelmum veniebat, lætè cum eo ſeſe agendo,& curiam ei faciendo.Dedit ei quoque hoſpitium,in quo conuerſabamur eo iure,vt ſi aliquando Romam rediret,contra omnes homines illud ſibi vendicaret. Ipſe in conuentu nobilium, in proceſsionibus,in ſtationibus,ſemper & vbique à Papa ſecundus erat,prę cunctis honoratus, cunctis acceptus, & ipſe omnibus ſimplici humilitate ſubmiſsus. Præterea Angli illis temporibus Romam venientes, pedes eius ad inſtar pedum Romani pontificis ſua oblatione honorare deſiderabant.Quibus ille nequaquam adquieſcens,in ſecretiorem domus partem fugiebat, & eos pro tali re nullo patiebatur ad ſe pacto accedere.Quod vbi Papæ relatum eſt, admiratus in homine humilitatem mundique contemptum,iuſsit ſeſe in ſe tenere, & nullum benefacere vltra volentem prohibere,ſed omnes pro tali cauſa aduentantes,patienter admittere.At ille modeſta quadam verecundia actus,iuſsa profecto poſtponeret,ſi non inobedientię nęuo corrumpi timeret.

Quid referam nonnullos ciues vrbis quorum ingens multitudo,propter fidelitatem Imperatoris ipſi Papę erat infeſta,nonnunquam in vnum conglobatos, Anſelmum à Lateranis ad ſanctum Petrũ euntẽ cũ ſuis propter odium Papę capere volentes,ſed mox viſo vultu eius territos, proiectis armis terrę procumbere,& ſe illius benedictione inſigniri? Hi honores, & horum ſimiles vulgi fauores illum vbique comitabantur,qua mores ſui in cunctis Deo famulabantur. Hinc etiam erat,quod non facile à quoquam Romę ſimpliciter homo vel archiepiſcopus, ſed quaſi à proprio nomine ſanctus homo vocabatur.Quicunque igitur ei ſeruiebamus, amori & honori cunctis eramus.Cum vero ad præfatum concilium ventum eſſet, & iam quę recidenda reciſa, & quę ſtatuenda videbantur ſtatuta, fuiſſent,excommunicationis ſententiam tam in laicos, qui inueſtituras

Ecclesiarum dant, quam in eos qui de manibus eorum illas suscipiunt, cum toto concilio Papa intorsit. Eadem sententia quoque damnauit & eos, qui in officium sic adepti honoris aliquem sacrant.

Soluto conuentu, accepta licentia Roma digredimur. Via vero redeundi multis erat periculis obnoxia, sed protegente nos Domino pericula cuncta euasimus, ac Lugdunum illæsi peruenimus. Vbi summo cum honore gaudioque suscepti, & à pontifice ciuitatis venerabili scilicet Hugone detenti, mansionem nostram illic firmauimus, amissa omni fiducia, viuente rege VVilhelmo, Angliam remeandi. Habitus est ergo ibi Anselmus non sicut hospes aut peregrinus, sed vere sicut indigena & loci Dominus. Vnde nusquam ipsius vrbis antistes eo præsente suo volebat loco præsidere, sed præsidente vbique Anselmo, ille mira humilitate & honestate præditus, inferioris, & quasi suffraganei loco simul & officio fungebatur. Super hæc vt episcopale officium per totam patrochiam suam pro velle exerceret, in voluntate eius ac deliberatione constituit. Quod vbi per loca vicina innotuit, ilico frequens populorum concursus factus est, vnctionem sacri chrismatis per impositionem manus illius poscentium sibi conferri. At ille omnes ad gratiam ipsius sacramenti admittebat, ita vt sæpissime in hoc totus dies expenderetur, & nos qui ei ministrabamus, graui tædio afficeremur, ipso semper iocundo & hilari vultu existente. Creuit autem ex hoc in eum mira quædam & incredibilis in eum dilectio omnium, & bonitas eius diuulgabatur per circuitum.

Igitur qui illis diebus saltem reliquias de mensa illius poterat habere, contra omnia pericula & infirmitates se salutifera credebat medicina ditatum. Nec ista fides fallebat eos. Nam reuera nonnullos febribus tentos, & quibusdam alijs infirmitatibus pressos, mox sumptis ciborum eius reliquijs, nouimus integræ sanitati restitutos. Exempli gratia. Festiuitas beati Mauricij celebris habetur Viennæ. Rogatus itaque Anselmus à Guidone ipsius vrbis archiepiscopo, in ipsa festiuitate venit eo. Et celebrato solenni missæ ac prædicationis officio, cum ad refectionem corporis sederet, venerunt ante illum milites duo, voce & vultu egrotationis molestiam qua premebantur præferentes, rogantes quatenus de micis sui panis eis dare dignaretur. At ille nequaquam inquit: Nec enim pane integro nedum micis indigere conspicio. Sed si comedere vobis placet, amplus locus est, sedete & cum benedictione Dei quæ vobis apponentur comedite. Responderunt se pro hoc non venisse. Nec ego ait vobis aliud faciam. Intellexerat enim quo intenderent. Vnus ergo ex his qui in eius dextra sedebat intelligens illos salutis propriæ curam habere, & virum in hoc nihil quod miraculo posset ascribi velle facere, quasi eorum importunitate pertæsus, arrepta desuper mensa fragmenta præbuit eis, & ne hominem fatigarent secedere monuit. Qui statim vt exinde modicum gustauerunt, cum benedictione viri egressi sunt. Post mensam in secretiorem locum me tulerunt, magnopere postulantes, quatenus adiuti mea ope ad missam patris mererentur de manu eius dominicum corpus & sanguinem sumere. Quos cum libenter audissem, & quando, & quoue in loco id fieret edocuissem, gratiosa voce responderunt: Et nos quidem omni excusatione semota sicut dicis, veniemus, si hac medicina, quam nunc de mensa ipsius suscepimus, & quartanis, & mortiferis febribus, ac intestinorum tortionibus, quibus intolerabili cruciatu concutimur, liberati non fuerimus. Et hoc erit signũ inter nos & te, quoniam si conualuimus, nõ veniemus: si non venimus, conualuimus. Quibus dictis ab inuicem diuisi sumus. Non venerunt, quia sicut accepi ab eis qui vtrunque nouerunt, eo quod de mensa acceperant ad plenum Dei gratia conualuerunt. Quod quidem si ita non fuisset, quemadmodum illos infirmitate grauatos sanitati voluisse restitui, credibile est: ita eos ab requisitione istius posterioris medicinæ supersedere noluisse, dubium non est.

Nempe tenebant ista se, quin conualescerent falli non posse, scientes quendam non ignoti nominis virum eo solo quod spe recuperandæ sanitatis missæ illius interfuit, à pari tunc inualetudine conualuisse. Siquidem vnus è principibus terræ illius diu eadem qua ipsi languoris molestia vexatus fuerat. Hic agnito Anselmum in Ecclesia beati Stephani missam ex more celebraturum, festinauit illo arbitrans sibi ad recuperandam sanitatem vtile fore, si missa tanti viri ac beatitudine meruisset potiri. Fateor, vidimus hominem suorum manibus innixum Ecclesiam introeuntem, mortuo quasi viuenti similiorem. Sedit, & finita missa egressus est. Nobis vero nec quis vel vnde aut cur aduenerit scientibus atque curantibus. Ijdem vir euolutis paucis diebus ad patrem venit, flexis genibus ei pro adepta sanitate gratias agens. Ad quod cum ille obstupesceret, indicauit ei ordinem gestæ rei, confirmans quod ab ea hora, qua se missæ illius præsentauit, omni doloris vexatione depulsa sanitati restitutus sit. At ille nihil ad se hoc pertinere, sed ipsius fidei ac meritis beati martyris, ad quem diuertit, ascribendum asserens, quę saluti animę illius competerent, eum instruxit, & familiarem sibi effectum correctiori vitæ vt post multorum testimonio comperimus, reddidit.

His fere temporibus, Cluniacum euntibus nobis occurrit quidam sacri ordinis homo, lachrymosis precibus virum deprecans, quatenus & se oculo misericordię & sororem suam nuper amentem effectam dextera suę benedictionis dignaretur respicere. Et subdens, ecce ait in via qua

qua transituri estis inter multos tenetur, sperantes quia si tu Domine ei manum imposueris, continuò fauente gratia Dei suæ menti restituetur. Ad hæc ille muta voce & quasi surda pertransijt aure. Presbyterum eo magis instantem ac preces multiplicantem repulit à se, omnibus modis asserens tã extraneum factum nulla sibi ratione tentandum. Inter hæc procedimus & illam in medio aduna tæ multitudinis cominus teneri conspicimus, furibundos motus, & inhumanos nutus, vultu, ore, oculis, corporis gestu edentem. Populus itaque virum aduenientem circundat, retentis habenis preces ingeminat, vt miserę mulieri manum imponat, orat, obsecrat. Obsistit ille dicẽs, quod postulãt nequaquam esse sapientiæ. Obijciunt illi vulgi more quę occurrebant, saltem improbitate vincere gestientes. Tunc vir aliter se non posse euadere sentiens, hoc solo eis morem gessit, videlicet quod nulli negare solebat, signo eam sanctæ crucis leuata dextera signauit. Quo facto, laxatis habenis ocyor abit, impositoque cucullæ suæ capitio capiti remotis socijs singularis vadit, infœlicis fœminæ ærumnas pietatis affectu perfusus, lachrymis tenerrime deflens. Hac nos contritione afflicti Cluniacum, illa vulgi manibus acta domum tetendit. Necdum limen suæ domus attriuit, integerrimæ sanitati donata in laudem viri linguas omnium soluit. Quam rem sic factam dum certa relatione Cluniaci accepissemus, gauisi sumus, ac pro sua misericordia Deo gratiam & gloriam dedimus.

Actis deinde propter quæ Cluniacum aduenimus, reuersuri Lugdunum iter per ciuitatem Matisconensem arripuimus. Vbi Anselmus rogatu Episcopi & canonicorum missam publicè apud sanctum Vincentium celebrauit, & inter sermonem, quem ad populum habuit, vt omnes Dominum pro siccitate qua in immensum terra aruerat, communiter precarentur, admonuit. Dicunt se iam id sæpius fecisse, sed nil effecisse, & ea re, vt preces eorũ ipse sua prece corã Deo efficaces efficiat, magnoperè orant & obsecrant. Quid dicam? Nec dum pransi eramus, & ecce subitò stupentibus cunctis serenitas cœli in nubilum vertitur, ipsaque die priusquàm ciuitatem egrederemur, pluuia dulcis & copiosa terris illabitur. Plebs igitur viso hoc facto benedixit Dominum, & eius post Deum authorem magnis laudibus prædicant Anselmum. Itaque in habitaculum nostrum Lugdunum reuersi, quietam vitam ab omni tumultu negotij secularis agebamus. Anselmus verò veram vitam serui Dei in sanctis meditationibus, in omni sexu ætatis & ordinis hominum ad se venientium ædificationibus ac in cæterarum virtutum exhibitionibus exercebat.

Per id etiã tẽporis scripsit librum vnũ de conceptu virginali & peccato ōriginali, & aliud quoddam opusculum multis gratum & delectabile, cui titulũ indidit, Meditatio redemptionis humanæ.

Inter hæc Vrbanus sedis Apostolicæ Pontifex huic vitę decedit, & ad inducias quas de causa Anselmi regi dederat, non peruenit. Quo tempore multa etiam de regis interitu à multis prędicebantur, & tam ex signis quæ noua & inusitata per Angliam monstrabantur, quàm ex visionibus quę pluribus religiosis personis reuelabantur, quia vltio diuina in proximo eum pro persecutione Anselmi, oppressura esset ferebatur. Sed Anselmus in nihil horum animum ponens, quotidie pro conuersione & salute eius Deum precabatur. Hinc exilij nostri anno tertio, qui quo à Roma Lugdunũ venimus erat secundus, iuit Anselmus Marciniacum loqui Domino Abbati Cluniacensi Hugoni, & sanctimonialibus. Vbi cùm ante ipsum Abbatem consedissemus, & de his, quę inter Anselmum & regem eo vsque versabantur, verba vt fit nonnulla hinc inde proferrentur, intulit idem venerabilis Abbas sub testimonio veritatis, proximè præterita nocte eundem regem ante thronum Dei accusatum, iudicatum, sententiamque damnationis in eum promulgatam. Ex quibus verbis admirati non modicè sumus, sed perpendentes eminentiam sanctitatis ac reuerentiæ eius, fidem his quæ dicebat, nullatenus habere nequiuimus.

Postera die cùm inde digressi Lugdunum venissemus, & in instanti festo beati Petri, quod colitur Calendis Augusti, dictis matutinis, nos qui circa Anselmum assiduè eramus, quieti indulgere cuperemꝰ, ecce quidã iuuenis ornatu ac vultu nõ vilis clerico nostro qui ꝓpè ostiũ cameræ iacebat, & necdũ dormiens, oculos tamen ad somnum clausos tenebat, astitit, vocans eum nomine suo Adã, inquit, dormis? Cui dum ille responderet, non. Dixit ei: Vis audire noua? Et libẽs inquit. At ille, pro certo ait noueris, quia totum dissidium quod est inter Archiepiscopum Anselmum, & Vuilhelmum regem, determinatum est atque sedatum. Ad quod ille alacrior factus, ilicò caput leuauit, & apertis oculis circumspectans, neminem vidit.

Sequenti autem nocte inter matutinas vnus nostrum clausis oculis stabat & psallebat. Et ecce illi quidam chartulam admodùm paruam legendam exhibuit. Aspexit, & in ea, Obijt rex Vuilhelmus, scriptum inuenit. Confestim aperuit oculos, & nullum vidit præter socios.

Post triduũ ab hinc ad Abbatiã quæ vocatur Casa Dei, multis precibus inuitatus Ansel. perrexit. Vbi cũ honorificè susceptꝰ & hospitatꝰ fuisset, vna dierũ fratribus loci illius post mensã in lectis suis pausantibus, subito fragore cœlũ intonuit, & vibrantibus coruscis crebra per montem fulgura volitant. Crescit tempestas illa, & multiplicata non modicum fulminis super domũ, qua fœnum monasterij seruabatur, præcipitat. Vnde protinus horridus ignis accensus, teterrimum atque fœtentem ex se fumum, per aëra spargit. Quicunque igitur cum Anselmo in hospitio erant, timore concussi dissiliunt. Remansit itaq; solus cum solo. At ille lecto volens decumbere, interrogauit me vtrumnãm ignis, qui eruperat, sopitus esset. Cui cùm responderem, auctum potius quàm sopitum esse, erexit se, ac vultu placido atq; modesto dixit: Melius est vt nobis prouideamus, quia tua

tunc res agitur,paries cùm proximus ardet.Quo dicto ad ignem concitus venit,eoque viso,mox illi sanctæ crucis signum leuata dextera obiecit.Videres èuestigio flammam se ita demittentem, ac pro suscipienda benedictione illius conquiescere.Ignis ergo statim in semet rediês totus elanguit, nec aliquid absumpturus vsque processit.Quotque fortasis non minus stupeas,voratis quibusdam ædibus,quæ circa erant,nil læsionis intulit fœno monachorum,qui Anselmum hospitem habebãt, quo scilicet fœno domus fermê plena erat,super quam fulgur ipsum primò corruerat.

Exinde duo sui monachi ad Anselmum venerunt,nunciantes ei discessum præfati regis.Siquidem secunda die mẽsis Augusti,qui post primam visionem,quam Lugduni factam nouiter retuli secundus,& post secundam primus illuxit,idem rex manè in syluam venatum iuit,ibique illum sagitta in corde percussit,& nulla interueniente mora extinxit. Quo Anselmus vehementi stupore percussus,mox est in acerbissimũ fletum concussus.Quod videntes, admirati admodùm sumus. At ille singultu verba eius interrumpente,asseruit,quod si hoc efficere posset, multó magis eligeret se ipsum corpore, quàm illum sicut erat,mortuum esse.Nobis post hæc Lugdunum reuersis,ecce nuncij vnus post vnum Anselmo occurrunt,literas ei cum precibus ex parte matris Ecclesię Anglorum, ex parte noui regis Henrici,qui fratri successerat,nec non ex parte principum regni,deferunt, summoperè postulantes eum festinato gressu redire,& asserentes totam terrã in aduentũ illius attonitã, omniaque negotia regni ad nutum eius pendere dilata. Verùm vbi Serberiam ad regem venit,& ei quid de Ecclesiarum inuestituris in Romano concilio acceperit,plano sermone innotuit,turbatus est rex,ac vehementer indoluit, nec nutum eius in aliquo sicut nuncij dixerant,expectare voluit. Quæ igitur inter eos per duos semis annos pro isto negotio acta sint,& quot qnantasuè minas ac tribulationes Anselmus passus sit,vel quomodo nuncij semel ac iterum Romam pro mutatione ipsorum decretorum missi sunt,quidque effecerint,qui nosse voluerit opus illud, cuius in prologo opusculi mentionem fecimus legat,& ibi singula planè vt puto,digesta reperiet. Post quæ omnia rogauit Anselmum rex,quatenus ipsemet Romã iret,& cùm nuncio quem eò directurus erat,causæ quæ immersserat,pro suo honore opem ferret.In quo cùm omnes totius Angliæ ipsi Abbates & principes acquiescerent,& eum pro tanta re,qnin iret nullatenus supersedere debere conclamarent, se quidem iturum respõdit, sed nil quod vel Ecclesiarũ libertati,vel suæ posset obuiare honestati, suo vel rogatu vel consilio vnquam Papam acturũ viua voce respondit.Itaque cùm Romam venisset,à Domino Papa Paschali qui Vrbano successerat,totaque vrbis nobilitate honorificè susceptus est. Die dehinc constituto,VVilhelmus ille,cuius suprà meminimus,à rege directus, causam regis in medium tulit,ac inter alia,quod rex ipse,nec pro regni amissione inuestituras Ecclesiarum pateretur amittere,minacibus verbis asseruit.Ad quæ Papa: Si quemadmodum dicis rex tuus,nec pro regni amissione patietur Ecclesiarum donationes amittere,scias,ecce coram Deo dico, quia nec pro sui capitis redemptione eas illi aliquando Paschalis Papa impunè permittet habere.

In his negotium regis ita finem tunc temporis sumpsit,& Anselmus alijs atque alijs cum Papa de Ecclesiasticarum rerum institutionibus actis,in iter reuersus,ciuitatem Florentiam vsq; peruenit,& nocte vna in ea quieuit.Lecto igitur in quo sopori antistes indulserat, dominus domus eo discedente pro amore decubuit.Cui obdormienti astitit quidam ignoti vultus homo,monens vt lecto ocyor decederet.Nec enim decet,inquit te tua præsentia loco præripere,quod ex præsentia tanti viri meruit obtinere.Qui mane consurgens,& visum mente reuoluens,fantasmati deputat,ac nocte sequenti in eodem se lecto nihil hæsitans collocat.Dormit,& ecce qui venerat,secũdo iam vultu paululum minaci astitit,repetens dicta quæ primo protulerat.At ille expergefactus,ac visione vt primum posthabita,nocte tertia in solito loco somno se tradit.Cui obdormienti, idem qui secundo apparuerat,iam tertio apparuit,irati mentem vultu ac voce prætendens.Quare ait,facis quod iã semel tibi & iterũ ne faceres dixi? Nunc igitur vel tertio admonitus surge,& te à lecto pontificis amodò cohibe.Nam dico tibi,quia si vltrà in eo repertus fueris,experieris nihil fantasmatis esse in istis quæ audis.Tunc ille vehementer exterritus lecto desilijt, episcopum ciuitatis super negotio cõsulturus celerius adit,eique ordinem rei in præsentia multorum exponit.Episcopus autem iam dudum viri sanctitatem fama discurrente edoctus,ac nuperrime ex collocutione illius eam nonnihil expertus,hominis audaciam durius increpauit,& quia stultè & insipientium more egerit, quod lecto vbi vir tãtus quieuerat,cubare præsumpsisset,asseuerauit.Eundem itaque lectum reuerenter deinceps seruatum ire præcepit,& ne aliquis in eo vlterius iacere præsumeret,iusit.Quod vsque hodie,vti accepimus,seruatum est.Anselmus autem cùm emenso itinere Lugduno appropinquasset, VVilhelmus præfatus comitatũ illius deserere volens, interdixit ei ex parte Domini sui regis redire in Angliam,nisi ipse omnes Patris & fratris illius consuetudines postposita sedis Apostolicæ subiectione & obedientia,se ei seruaturum certò promitteret Quod ille audiens admiratus est, sciens se non alia conditione Angliam exisse. Perueniens ergò Lugdunum resedit ibi ex more antiquo in pace & quiete propriam præfati reuerendi Hugonis ciusdem vrbis Archiepiscopi domum inhabitans,& ne ad horam quidem ab his quæ Dei sunt,verbo se vel actu elongans.

Accidit autem vna dierum dum ipse pater celebrato solemni missæ officio, solus prout ei consuetudinis erat, in oratorio per fletum Deo sese mactaret, vt quidam homo pedes suos baculo regente, aduenire oratorium ipsum rumpere gestiens. Quem frater & socius noster Alexander

der monachus Ecclesiæ scilicet Cantuariensis,qui pro foribus egressum Patris fortè præstolabatur intuens, Ecclesiam subire volentem, detinuit,sciscitans quidnam vellet. At ille clamosa voce se oculorum lumen amisisse respondit, ac velle vt seruus Dei sibi manum imponeret, sciens quod sancta merita eius sibi subuenirent. Pater igitur clamorem audiens, sed verba minimè discernens, innuit præfato fratri venire ad se, & causam clamoris ipsius intimare. Tunc ille domine Pater ait,pauper quidam venit conquerens se in oculis grauiter affligi, precaturque per vos ei signum sanctæ crucis imponi.

At ille ipse pio vultu veniat dixit:Itaque tertio super oculos eius quod petebat signum crucis cum pollice pingens,orauit sic:Virtus crucis Christi illuminet oculos istos, & ab eis omnem infirmitatem depellat,integræque sanitati restituat.Et aspergens eos aqua sanctificata, hominem præcepit abire. Alexander verò mox illum reducens,monuit vt si factum viri Dei non vsquequaque illi hac vice prima profuit,manè rediret,pollicens quod hoc ipsum illi repetita vice fieri impetraret. Ad quæ ille:Ego quidem bone Domine hac de causa non redibo, quia gratia Dei & fidelis eius famuli, omni cæcitate fugata,clarissimè video.Hæc ita scripsi,sicut ab ore ipsius Alexandri,qui præsentem se fuisse testatur,accepi.

Rex autem Henricus vt comperit Papam in sua sententia stare, mox Archiepiscopatum in suum dominium redegit,& Anselmum suis omnibus spoliauit.Acta sunt hinc inter eos multa,& anno vno ac semis indignatio regis non est sopita.

Inter hæc venit ad nos Vuallo Episcopus Parisiacensis,vir bene religiosus, & Ecclesiasticarũ consuedinum institutionibus ab ineunte ætate imbutus. Hic Romæ notus & apostolicæ legationis ministerio functus,familiaritate Patris Anselmi potiebatur.Igitur iste à Roma ad nos veniens quorundam sanctorum reliquias secum ferebat,quas vt certò comperimus sibi Romæ datas habebat. Itaque cum Anselmo me præsente loquens, innotuit ei quid reliquiarum à Roma secum detulerit. Ad quod cùm ille Deo gratias ageret, Episcopus vnum os quod de capite sanctæ martyris Dei Priscæ esse asserebat è pixide protulit,& id qualiter adeptus fuerit,illicò subinferens ait:Romę eram,& oratorium nominatæ martyris,in quo beatissimus Apostolorum princeps Petrus altare sacrauit,vetustate consumptum,dirutum est, & corpus martyris in noua recondendum Ecclesia me astante leuatum est.Igitur cùm loci ipsius Cardinalis reliquias in suo iure haberet,& ipse idem mihi familiaris existeret,os istud quod videtis de sacro corpore sumptum, mihi pro signo mutui amoris dedit.Finierat præsul in istis. Astergò earundem reliquiarum habendarum amore illectus,vt ex ipso osse mihi partem daret,deprecari Episcopum cœpi.Et ille: Accipe inquit,& quantum inde primo conatu frangere poteris,tuum sit. Accepi,& en extra quam sperabam in principio mei conatus,vna mihi particula in dextera manu remansit. Cumque de paruitate ipsius mœrorem animi dissimulare nequirem, & vt semel adhuc frangerem,inde mihi liceret magnoperè gestire, rupit desiderium meum Anselmus & ait:Noli noli,quod habes sufficiat tibi.In veritate quippe dico tibi,quia pro toto auro quod Constantinopolim & vltra citràue habetur, non omitteret domina ipsa cuius est,quin illud sibi vindicaret in die resurrectionis cunctorum. Quamobrem si debitam illi reuerentiam exhibueris,æque suscipiet ac si toti corpori eius exhiberes. Quod ego audiens acquieui,& quàm decentius potui ipsum ex hoc huc vsque seruaui, de quo osse post plures dies Petrus quidam monachus Cluniacensis, vir suo tempore magnæ auctoritatis, qui camerarius erat Domini Papę Vrbani atque Paschalis ad nos veniens à me percunctatus est quid sentiret.At ille vbi me referente accepit, qualiter id adeptus fuerim,vera omninó esse confessus est, quæ Episcopus inde dixerat,seque præsentem fuisse asseruit,quando idem os à corpore martyris sublatum à Cardinali susceperat.

Post hæc cùm pro exercendo Ecclesiasticæ disciplinę rigore,tum pro Ecclesiarum in Anglia constitutarum releuatione,relicta Burgundia, Anselmus Franciam iuit. Quod vbi regi Anglorum Henrico innotuit,rogatus ad eum in Normania venit, ibique ex timore simul & amore Dei correptus,reuestiuit illum de suis,& in amicitiam eius receptus est. Conuersante dehinc Anselmo in Normania, reuersisque Balduino & VVilhelmo, qui ex iussu regis atque Pontificis Romam pro expletione negotij quod de inuestituris Ecclesiarum inter eos eo vsque versabatur,directi fuerant, VVilhelmus Angliam ad Regem vadit,ac in breui Beccum ad Anselmum regressus,rogat eũ ex parte ipsius regis vt iam sopitis retractis quærelis ocior Angliam visitaret. Cui cùm ille promptus acquiesceret, & iter aggressus Gemmeticum veniret,infirmitate ne iter expleret inibi detentus est. Qua sopita Beccum reuertitur,regem Anglię transfretaturum illic præstolaturus. Vbi cùm pro reditu omnes exultatio mira teneret, ecce infirmitas Anselmi renouata,& ipsum lecto & subuersa exultatione graui cunctos mœrore prostrauit. Igitur ipse nec manducare, nec aliquid vnde salutem eius sperare possemus facere poterat, & de morte illius tantùm nos formido immensa tenebat. Inter hęc vt cibum aliquid sumeret diligenti cura petebatur, sed ille nihil sibi animo esse quomodo poterat, anhelo spiritu fatebatur. Nobis tamen preces multiplicantibus, tandem ne penitùs negando nos magis magisque grauaret, fortè ait, de perdice comederem si haberem. Quid plura? Per campos & syluas dispersi sunt quique suorum,& dies vnus in requirenda perdice casso labore consumptus.

Conti-

Contigit autem, vt vnus ex monasterij seruientibus ipsa die per vicinam syluam iter fortè caperet, negotio quo alij occupabantur nihil intendens, & ecce in via qua gradiebatur bestiola, quam martyram vocant, perdicem in ore ferebat. Quæ bestiola viso homine suam ei prædam reliquit, sibique fuga consuluit. At ille perdicem assumens ad nos detulit. Ex qua æger noster refectus, statim meliari ab ægritudine cœpit, ac demum indies melius meliusque habendo, pristinam est sanitatem adeptus.

Post hæc Episcopis & Abbatibus, qui ad exequias illius causa conuenerant, in sua remeantibus, remeauit etiam Rodulphus Abbas cœnobij Sagiensis, qui vnus erat ex eis. Vnus igitur ex omnibus hominibus eius per viam cœpit Anselmo detrahere, & quod meritò nullus infirmitati eius compati deberet, præsertim inquiens cùm ipse cibo & potu saluti suæ si remota iactantia vellet, facilè succurrere posset, maledica voce astruere. Quod Abbas audiens, hominem monuit vt sileret, nec de tanto viro quid sinistri vltrà proferret. Quæ ille subsannando despiciens, & in his quæ cœperat furore quodam exagitatus, persistens equo calcaribus institit, vt ab Abbate elongatus liberius ederet, quòd sui mentis amaritudo sibi proponeret. Verùm cùm ipse præpeti cursu ferri gestiret, ac remissis habenis ocyor ire inciperet, quem sedebat quadrupes corruit, eumque magno cum dedecore tergo suo excussit, ac per deuexum montem longo rotatu præcipitatum à viri blasphemia linguam compescere docuit.

Dehinc in assumptione beatæ Dei genetricis & perpetuæ virginis Mariæ rex Henricus Beccum aduenies, omnia quæ inter se & Anselmum de sæpè facto negotio resederant, moderante sedis Apostolicæ sanctione deleuit, atque de singulis ad quæ tendebat, suæ illum voluntatis compotem fecit. Cùm igitur Angliam repetendi iter Anselmi certis ex causis aliquantisper demoraretur, rogatus ab Abbate Beccensi, dedicauit capellam vnam infra curiam ipsius cœnobij sitam. In qua dedicatione quidam clericus Phrenesis valetudine tũc nouiter captus, à suis est ante Pontificẽ ductus, illicoque ad benedictionem eius à suæ mentis alienatione sanatus.

Cùm post hoc prospero cursu Angliam veniisset, magno sanctæ Ecclesiæ gaudio & honore susceptus est. In euolutis diebus nonnullis, Anglus vir quidam nobilis quidem & diues valida corporis infirmitate grauatus, ab Anselmo sibi panem à se benedictum transmitti per nuncium petijt, & accepit. Vnde paululum gustans iuxta fidem suam statim conualescere cœpit, integræque sanitati donatus, Deo & Dei viro ex corde gratias egit.

Inter hæc rex in Normannia positus, valdè lætabatur sicut ferebant hi qui ad nos veniebant, quòd fuetat Anselmi pace potitus. Vnde etiam firma sibi spe applaudebat, suo se dominio totã Normaniam subiugaturum. Quod & factum est. Nam conserto graui prælio fratrem suum Robertum, Normanię comitem, & alios principes, qui contra illum in bellum venerunt cœpit, innumerisque peremptis, totam terram victor obtinuit, idque per literas Anselmo gaudenter & gratiosus mox intimauit. Omnes verò qui hęc gesta tunc temporis audiere, ea meritis concordiæ, quam rex cum Anselmo fecerat ascripsere. Ipso anno Anselmus celebrata paschali solennitate, in curia regis apud Lõdinum abijt ad Abbatiam sancti Edmundi, electum inibi Abbatem sua auctoritate roboraturus, & alia quædam officia Pontificalia pro suo iure celebraturus. Quæ vbi solenniter cuncta peregit, grauissima febre correptus, per plures dies penè vsque ad emissionem vltimi flatus vexatus est. Pro quo illic octauas Pentecostes vsque detentus est, & cõsilium quod se viduatis Ecclesijs rex proposuerat collaturum propter eius absentiam in Calendas Augusti dilatum est. Eo igitur tempore adunatis in palatio regis Londini cunctis primoribus Anglię, victoriam de libertate Ecclesiæ, pro qua diu laborauerat Anselmus adeptus est. Rex enim antecessorum suorũ vsu relicto, nec personas quæ in regnum Ecclesiarum sumebantur per se elegit, nec eas per dationem virgę pastoralis Ecclesijs quibus pręficiebantur inuestiuit.

Scripsit inter hæc Anselmus libellum vnum de concordia prescientię & prędestinationis, & gratię Dei, cum libero arbitrio. In quo opere cùm contra morem, moram in scribendo passus est, quoniam ex quo apud sanctum Edmundum fuerat infirmatus, donec pręsenti vitę superfuit, solito imbecillior corpore fuit. Quapropter de loco ad locum migrans, lectica deinceps non equo sedens vehebatur. Vexabatur prętereà frequentibus & acerbis infirmitatibus, ita vt vix illi vitá promittere auderemus. Ipse tamẽ nunquã pristinę cõuersationis obliuiscebatur, sed semper aut meditatiõibus bonis, aut exercitationibus sanctis, aut alijs pijs operibus occupabatur. Tertio igitur anno postquã à secundo exilio per regem Henricum reuocatus est, omnes cibi quibus humana natura vegetatur & alitur, in fastidium ei versi sunt. Manducabat tamen naturę suæ vim faciendo, sciens se viuere non posse sine cibo. Qua vi per dimidium circiter annum vitam quoquo modo transiens, sensim corpore deficiebat, animi virtute semper idem qui esse solebat existens. Spiritu itaque fortis, sed carne nimium fragilis, pedes oratorium adire nequibat. At tamen consecrationi dominici corporis, quod speciali quodam deuotionis affectu venerabatur, interesse desiderans, singulis diebus illuc se in sella faciebat deferri. A quo dum nos ei qui seruiebamus, eum quia multum exinde fatigabatur, declinare niteremur, vix quinto ante sui exitus diem euincere potuimus. Exinde ergo assiduè lecto decubans, anhela voce omnes qui ad eum accedere merebantur, in suo quemque ordine Deo viuere hortabatur. Illuxerat dominica dies palmarum, & nos pro more circa eum sedebamus. Dixit

xit itaque vnus nostrũm, Domine Pater vt nobis intelligi datur, ad paschalem Domini tui curiam, relicto seculo vadis. Respondit: Et quidem si voluntas eius in hoc est, voluntati eius non contradico. Verùm si mallet me adhuc inter vos saltem tam diu manere donec quęstionem, quam de animæ origine mente reuoluo, absoluere possem, gratiosus acciperem, eo quod nescio vtrum aliquis eam me defuncto sit absoluturus. Ego quippe si comedere possem, spero cõualescere. Ná nihil doloris in aliqua parte sentio, nisi quod lacessente stomacho, vt cibũ quem capere nequit, totus deficio.

Vesperascente dehinc feria tertia, cùm ipse verba quæ intelligi possent, ædere iam nulla valeret, rogatus à Rodulpho Rosensi Episcopo, vt nobis qui aderamus, & alijs filijs suis regi quoque & reginę cum liberis eorum, ac populo terræ, qui in eius obedientia se sub Deo tenuerat, suam absolutionem ac benedictionem largiretur, dexteram quasi nil mali pateretur erexit, & signo sanctæ crucis ædito, demisso capite sedit. Iam fratrum conuentus in maiori Ecclesia matutinas laudes decantabat, & vnus eorum qui circa Patrem excubabant, sumpto textu Euangeliorum legit passionem coram eo, quæ ipsa die ad missam legi debebat. Vbi autem venit ad verba Domini, vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam in regno meo, lentius solito spiritũ trahere cœpit. Sensimus igitur eum iam iam obiturum, & de lecto super cilicium & cineres positus est. Adunatóq; circa eũ vniuerso filiorũ suorum agmine, vltimum spiritum in manus creatoris emittens, dormiuit in pace. Transijt autem illucescente aurora quartæ feriæ præcedentis cœnam Domini, quæ xj. Calendis Maij, anno videlicet Dominicæ incarnationis millesimo centesimo nono, qui fuit annus pontificatus eius xiij. vitæ verò septuagesimus sextus.

Loto igitur ex more corpore eius, petijt suprà sæpè memoratus rerum Anselmi peruisor ac dispensator Balduinus, quatenùs facies Patris balsamo quod admodùm parum in paruulo vase sibi maiori eius parte perdita remansérat inungeretur, sperans atque præoptans eo modo illam vel modicè amplius seruatum iri ne corrumperetur. Acquieuimus, viri industriam amplectentes. Vas ergò ipsius liquoris in manum Episcopus sumpsit, & vncturus vultum defuncti digitum fundo vasis immersit. Quẽ illico extrahens, sed vix summitatẽ eius madefactã reperiens, ratus est balsamũ ipsum vngendæ faciei haud quaquam posse sufficere. Quapropter rogat, balsamum, quod conficiendo crismati in maiori Ecclesia seruabatur, afferri, cupiens videlicet vnà cum capite dexteram eius, per quæ multa bona atque diuina dixerat & scripserat, tali vnctura honorari. In his cum Episcopo eram, & eum in ministerio illo iuuabam. Imp resi post eum in vas balsami digitum meum, & æque aut certe minus digito eius madentem extraxi. Itaque rogatus Episcopus mihi vas in palmam versare si fortè inde aliqua gutta deflueret acquieuit, & illicò stupentibus cunctis liquor defiliens copia sui manũ meam compleuit & superefluxit. Hoc ipsum secundò & tertio ac sæpius factum est. Et quid dicam? Tantam abundantiam balsami vas fermè vacuum ministrauit, vt intacto vase Ecclesiæ non solùm caput & manus, sed brachia, pectus, pedes quoque & totum corpus, non vna sed sæpius repetita vice omni ex parte inungeremus. Dehinc more summi Pontificis vestibus est sacris indutus, & in oratorium debita cum veneratione delatus.

In crastino autem cùm sepulturæ traderetur, sarcophagum quod illi fuerat pluribus retroactis diebus pręparatum, longitudine quidem & latitudine aptum, sed profunditate magna ex parte minus habens inuentum est. Quod considerantes animo deficiebamus, nulla scilicet ratione pati valentes, vt superiori lapide pressus, sua integritate aliquatenus lęsus priuaretur. Cùm itaque in hoc plurimi fluctuarent, & alij sic, alij verò sic rem posse componi dictitarent, quidam ex conferta multitudine fratrum, acceptum baculum Episcopi Rosensis, qui funeris officium pręsens agebat, per transuersum sarcophagi super corpus Patris ducere cœpit, & iam illud omni ex parte corpori iacentis præminere magna nobis exinde admiratione permotis inuenit. Ita ergò venerabile corpus Patris Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi ac primatis, totius Britanniæ sepulchro inclusum, quid conditio sortis humanæ habeat in se omnes qui per transeunt, sui exemplo monet attendere. Sanè in obitu & post obitum eius multa à multis visa narrantur, quæ gloriam eius, quam pro meritis suis eum recepisse à Deo non dubitamus, ostentant. Quibus tamen scribendis laborem intrare noluimus, magis videlicet eligentes, silentio nostro omnes qui dormiendo ea viderunt paresfacere, quàm ista scribendo, illa non scribendo, vnum alij quasi potiora viderit anteferre. Vt enim cuncta scribantur, infiniti negotij est. Aperta denique facta, quæ Deus per ipsum facere dignatus est, & nos talium nudi pro posse digessimus, puto sufficere ad notitiam retributionis & conuersationis vitæ eius. Sit itaque DEO omnipotenti & filio, & sancto spiritui laus & gratiarum actio, nunc & per omnia seculorum secula, Amen. FINIS.

EX TRITEMIO.

ANselmus Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia, ex Abbate monasterij Beccensis in Normãnia, ordinis S. Benedicti, Landfranci quondã auditor atq; discipulus, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & secularium literarũ peritia nulli suo tẽpore secundus, vita & cõuersatione integer atq; sanctissimus, mente deuotus, ore facundus, operatione strenuus, vultu angelicus, incessu maturus, progressu exẽplaris, studio scripturarũ continuus, & omni virtute ornatus & insignis fuit. Scripsit penè infinita opuscula, quę partim visa nobis sunt, partim ad notitiã nostrã non venerunt. Claruit sub Henrico Imperatore Ann o M. LXXX. CATA-

CATALOGVS OPERVM DIVI ANSELMI ARCHIEPISCOPI CANTVARIENSIS hisce tribus tomis contentorum.

Tomo Primo.

Vita Diui Anselmi per F. Edinerum Anglum.
Enarrationes in Euangelium Matthæi.
Explanationes in aliquot Euangelia, lectiones vulgò dictæ, noua accessione hîc nunc locupletatæ.
Enarrationes in Cantica Canticorum, quas quidam Anselmo Laudunensi asscribunt.

Tomo secundo.

Commentaria in Epistolas Pauli omnes.
Enarrationes in Apocalypsim S. Ioannis Apostoli: quas item quidam Anselmo Laudunensi attribuunt.

Tomo Tertio continentur subiecta hæc opuscula.

Monologion, id est, soliloquium, liber vnus	*Si quis.*
Prosologion, id est, alloquium, liber vnus	*Ea nunc.*
Pro insipiente, liber vnus	*Dubitanti.*
Contra insipientem, liber vnus	*Quoniam non me.*
De incarnatione verbi, liber vnus.	*Domino & Patri.*
Cur Deus homo, libri duo.	*Sæpè.*
De veritate dialogus vnus.	*Quoniam Deum.*
De libero arbitrio, dialogus vnus.	*Cùm liberum.*
De casu diaboli, dialogus vnus.	*Illud apostoli.*
De conceptu virginali, & peccato originali, liber vnus.	*Cùm in omnibus.*
De fermento & azymo, liber vnus.	*Anselmus.*
De diuersitate sacramentorum, liber vnus.	*Domino & amico.*
De processione spiritus sancti, liber vnus.	*Negatur à Græcis.*
De similitudinibus, liber vnus.	*Voluntas.*
De voluntate Dei, liber vnus.	*Humana ratio.*
De concordia præscientiæ & prædestinationis, nec non gratiæ Dei cum libero arbitrio, liber vnus.	*De tribus illis.*
De miseria hominis, liber vnus.	*Terret me.*
De vestimentis, & membris, & actibus Deo attributis, liber vnus.	*Vbicunque.*
De mensuratione crucis.	*Quoniam.*
De meditatione redemptionis generis humani, liber vnus.	*Domine Deus meus.*
De passione Domini, dialogus vnus	*Beatus Anselmus.*
Speculum Euangelici sermonis, siue stimulus amoris.	*Iesum Nazarenum*
Homilia Euangelij secundum Lucam.	*Intrauit Iesus.*
De excellentia gloriosissimæ virginis Mariæ, liber vnus	*Supereminentem.*
Epistolarum, liber vnus.	*Seruus seruorum.*
De imagine mundi, libri duo.	*Mundus.*

Quibus nunc hîc accessêre

Elucidarium siue Dialogus, summam totius Christianæ religionis complectens.
Carmen diuinum de mundi contemptu, vita Monachorum, adeoque Christianorum omnium.

ENARRATIONVM IN EVANGELIVM MATTHAEI, D. ANSELMI ARCHIEPISCOPI CANTVARIENSIS.

CAPVT PRIMVM.

Liber generationis.) In ipso exordio satis ostendit, quòd de humanitate Christi sit acturus, cùm à carnali generatione incipiat. Generationem enim eius diuinam quis enarrabit? Notandum quòd secundum materiam exordij libro suo etiam nomen posuit, morem Hebræorum secutus, quorum libri ex primordijs intitulãtur. Sicut liber primus Moysi Geneseos vocatur, quia in exordio de genitura mundi agitur: & sicut Exodus, in cuius principio de exitu filiorum Israël de Aegypto tractatur. Bene congruit nouum Testamentum veteri: quia illud incipit à generatione primi hominis & creatione mundi, istud similiter à generatione secundi hominis & restauratione mundi. Illud vocatur Geneseos, istud Liber generationis. Illud agit de præceptis sed imperfectis, istud verò de institutionibus sed perfectis. Illud de sacerdotio & hostijs, sed figuratiuis: istud verò de quodam sacerdote, scilicet vero, sed & quadam hostia perfecta cæteras complente. Illud agit de liberatione Aegypti: istud de liberatione inferni. Illud agit de introductione in terrã promissionis: & istud de introductione nostræ captiuitatis in cœlũ. Sed hæc generatio est oppositа priori: quia illa duxit nos ad damnationem, ista ad reparationem. Illa de paradiso expulit, ista reduxit. Dicamus ergo: Liber generationis, scilicet hic est, sicut dicitur, Visio Isaiæ filij Amos, sine pronomine hic. Cuius autem sit generatio, posteà subdit. Nõ Adæ, nos perdentis, sed Iesu, id est, saluantis. Non expellentis à paradiso: sed Christi, id est, reducẽtis nos ad paradisum. Multi fuerunt antiquo tempore, quibus datũ est hoc nomen, quod est Iesus, sed in figura istius, sicut Iesu Naue, id est, Iosue, filius Nun. Iesus & Iosue idem sunt. Naue & Nun idẽ sunt. Iesus Hebraicum est, & dicitur Græcè Soter, Latinè Saluator. Iesus fuit ei proprium nomen, sicut nunciatum est ab angelo, Christus verò nomen officij. Christus enim significat eum vnctum fuisse in regem & sacerdotem. Nota, quòd non sufficiebat dicere Iesu, nisi diceret & Christi. Cùm enim vellet fidelibus Iudæis ostendere generationẽ illius, qui erat in lege & prophetis promissus, nomen vsitatum Iudæis ponere debuit, quod est Meschiah. Sciendum quòd idem est Meschiah apud Hebræos, quod Christus apud Græcos, & vnctus apud nos. Matthæus ita q; Hebraicè scribens, non dixit Christi, sed Meschiæ, sed Græci translatores posuerũt Christi. Sequitur alia determinatio: filij Dauid. Ostendit enim eum natum esse de patribus illis, de quorũ semine promissus fuerat, scilicet de semine Dauid & Abrahę, quare dicitur specialiter filius Dauid & Abrahæ. Illis enim duobus tantùm promissus fuerat: Abrahæ quidem vbi dictũ est, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Et Dauid, De fructu vẽtris tui, &c. Et in Paralipomenon, (quod interpretatur verba dierum): Et erit, inquit, cùm cõpleti fuerint dies tui, id est, dormieris cũ patribus tuis, suscitabo semẽ tuum post te, &c. Quod patet non dici de Salomone, qui viuo patre cœpit regnare. Quæritur quare Dauid ante Abraham ponitur? Quia si primũ posuisset Abraham, & posteà Dauid, rursus repetendus esset Abraham, vt generationis series texeretur. Ideò etiã Dauid præponitur, qui in multis peccauit, non Abraham, qui in omnibus iustus apparuit, vt ex sola misericordia, non ex meritis hominum natus probaretur. Ideò etiam Dauid præponitur, quia Dauid etiam euidentiùs promissus est, quòd de stirpe sua carnem acciperet. Vnde Iudæi infideles, cùm inrerrogarentur cuius filius esset Iesus, responderunt, Dauid. Nota, quia alter eorum quibus facta est repromissio, est primus patriarcharũ, alter primus regum. Hi duo, sunt illæ duæ columnæ quæ erant ante ostium templi, inter quas veniebatur ad ostiũ: quia per eos duos venitur ad Christũ, dum auditur promissio facta eis. Quæ ideò dicuntur ligatæ esse funiculo triplici duodecim cubitorũ, quia duodecim Apostoli adhærent eis, dum prædicatione sua promissionem factam eis confirmant.

Abraham genuit Isaac.) Quæritur quare incipit generationem ab Abraham? Quia illi primùm promissus est Christus. Quæritur etiã cur Matthæus descendendo, Lucas ascendẽdo cõputant generationem? Ideò Matthæus descendẽdo agit, quia humanitatẽ Christi ostendere intendit, qua Deus ad homines descendit. Descẽdendo ergo narrat, vt quomodo Christus, ab illis descendendo patribus, ad nos venit, ostendat. Lucas verò cùm ascendendo referat, figuram cuiusdã sacramenti nobis notificat. Cùm enim de baptismate Christi egisset, in quo multa mysteria ad nos pertinentia significauerat, in signum cuiusdã nostræ institutionis seriem generationis Christi adiunxit, incipiẽdo à Ioseph,

& perueniens vsq; ad Deum. Cùm enim dixisset, factum est cùm baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato, & orante, &c. suppositum, & ipse Iesus erat incipiens, quasi annorũ triginta vt putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, &c. & ad vltimum, qui fuit Adam, qui fuit Dei: significans per hoc, quòd omnis in baptismate regeneratus, ascendendo de virtute in virtutem, vsque ad hoc quod filius Dei efficiatur debet promoueri: & ideò Christum ascendendo per successionem patrum, esse filiũ Dei cõprobauit. Voluit etiam in numero patrũ, qui sunt septuaginta septem, plenariam remissionem peccatorum in baptismate acquiri, & per hoc filium Dei effici, demonstrare. Septuaginta enim & septem, numerus est remissionis. Vnde dicitur Petro, Non dico tibi septies, sed vsq; septuagies septies. Quasi diceret, Omnem transgressionem dimittes. Septuaginta septem ex vn denario, & septenario conficitur. Septies enim vndecim numerũ illum complent. Vndenarius, ad transgressionẽ mandatorũ pertinet, quia denarius decem legis mandata significat. Septenarius ad vniuersitatem pertinet, propter septem dies, qui vniuersum tempus complent. Vnde dona sanctispiritus, septem dicuntur: nõ quod tantùm septem sunt, sed quia per septem dona vniuersa dona intelliguntur. Quod ergo septuagies septies præcipit dimitti, quasi vniuersa delicta iubet condonari. Itaq; cum Matthæus carnalem generationem ostendere intendat, naturales tantùm patres ponit. Lucas verò cum baptizatum, filium Dei adoptiuum fieri insinuare velit, non solùm naturales, sed etiam adoptiuos patres in generatione interserit, sicut Heli & omnes interpositos vsq; ad Dauid. Nota, quòd in singulis patribus tria debẽt notari: historia, moralitas, & allegoria, in quib⁹ videlicet vnusquisquè patrum Christum præfiguret. Moralitas in hoc notatur, quòd ex singulis patribus, in nobis aliqua virtus, vel per significationem nominis, vel per exemplum ædificatur. Vnde etiam quadraginta duo patres esse considerantur. Sicut enim filij Israël per quadraginta duas mansiones, ad terram repromissionis peruenerunt, sic & fideles per quadraginta duas virtutes, ad Dominum perueniunt. Quid autem numerus iste significet, in sequenti exponetur.

Quæritur cùm Abraham plures habuisset filios, quare solùm Isaac posuit? Et cùm Isaac genuisset Iacob & Esau, quare de solo Iacob mentionem facit, cùm omnes fratres Iudæ cum ipso in generatione computet? Ideò videlicet, quia Ismahel & Esau, non permanserunt in cultu vnius Dei, fratres verò Iudę in populo Dei sunt cõputati: & figura fuerunt duodecim apostolorum. Cùm autem historia non dubitetur, quin Abraham Isaac, & Isaac Iacob genuerit, & de alijs similiter, moralitatem & allegoriam sequamur.

Moralitas.) Abraham in nobis virtutem fidei per exemplũ sui significat, cùm de eo legatur, Abraham credidit Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Ipse enim fuit prima via credendi, qui quando tres vidit, & vnum adorauit, sacramentũ trinitatis & vnitatis nobis indicauit. Sequitur Isaac, qui significat spem: quia Isaac interpretatur risus, qui fuit gaudium parentum, & qui etiam spes fuit patris, dum fidem promissio ni adhibendo, se filium habiturum sperauit, vel dum per eum se multiplicandum sperauit. Spes verò similiter est gaudium nostrum, dum æterna bona sperare facit, & inde gaudere. Abrabam ergo genuit Isaac: quia fides generat spem, iuxta Apostolum, qui ait: Fides est substantia, id est, firmamentum rerum sperandarum. Frustra enim sperat qui non credit. Nascitur Iacob de his duobus parentibus, id est, charitas, quæ nascitur de fide & spe. Quòd enim credimus quod speramus, diligimus. Videamus quare Iacob significet charitatem. Iacob binomius est: priùs enim dictus est Iacob, deinde post luctationem cùm angelo, quando Deũ viderat in angelo, vocatus est Israël, id est, vir videns Deum. Deinde profectus est ad Laban, & seruiuit ei septem annis pro Rachel, sed supposita est ei Lia lippis oculis, quia maior erat. Deinde seruiuit septem alijs annis, & habuit Rachel. Multos filios genera uit Lia, paucos Rachel. Hoc totum significat charitatem.

Dilectio enim habet duos ramos: dilectionem Dei & proximi. Dilectio Dei, prior est natura & dignitate. Dilectio proximi, prior est tẽpore: quod hoc modo ostẽditur: Deus est summum bonum, & per se, nõ per aliud: cætera sunt bona, ex summo bono. Deus ergo diligendus est, quia per se bonus: cætera autem diligenda sunt, quia ex summo bono bona sunt: non propter se, quia per se nõ sunt bona. Cùm ergo creaturæ bonæ sunt, per illud summum bonum diligendæ sunt, in quãtum sunt ex ipso. Sed rationalis creatura quæ adhæret Deo, & Deo seruit, & eum diligit, duplici modo diligenda est: tum quia ex Deo, in quantum creatura est, tum quia sponte Deo adhæret & seruit. Proximus itaque quia bonus est adhærendo Deo, dupliciter est diligendus: tum quia creatura Dei, tum quia bonus est. Malus autem proximus, tantùm diligendus est, quia creatura Dei est. Pasce ergo illam substantiam sustentando, quàm Deus fecit: sed peccatum quod neque per se bonum, neque ex bono Deo debes odisse. Itaque homo diligendus est in quantum ex bono est, in quantum est creatura Dei: Videtur autem esse contrarius Iesus filius Sirach in hoc quod dicit: impio nihil dederis: sed hoc præcipitur ideò, ne aliquis foueat eum ad iniquitatem suam exercendam. Prohibetur ergo ne nutriatur impius, sed non prohibetur vt homo pascatur. Bonum faciamus ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Cæteræ autem creaturæ minus diligendæ sunt: quia

quia non sunt rationales, quæ tantùm sunt bonæ, quia factæ à bono, sed non sunt adeò similes summo bono, sicut vtẽtes ratione. Et cùm quædam animalia data sunt nobis ad pœnam, vt lupus, leo quia nocent proximo, propter amorem proximi, cui plus debemus, à nobis persequenda sunt, sed non tamen in hoc erimus contrarij dispositioni Dei, quia Deus sic nos per illa affligit, vt nobis parcendo, concedat etiam interficere illa. Ecce habem⁹ quòd naturaliter amor proximi descendat ex amore Dei, quia propter Deum proximum, ex quo est, diligimus. Deum autẽ plus diligere, quia per se solùm bonus est, debemus. Sed tamen temporaliter per dilectionem proximi peruenitur ad dilectionem Dei. Non enim cognoscitur Deus nisi per creaturas. Ergo illa bona quæ videntur, prius diliguntur, & per ea creator illorum diligitur. Sed illa perfecta dilectio Dei non erit donec videamus illum facie ad faciem. Tamen dum eum in præsenti per ænigma & fidem videmus, super omnia diligamus. Ideò Iacob priùs vocatus est Iacob, & posteà Israël: quia in præsenti priùs homo luctari debet contra vitia, & in amore proximi laborare, vt posteà Israël dicatur, id est, vt posteà Deum diligat, & diligendo eum videat, in præsenti per fidem, in futuro per rem. Ecce Iacob significat, vt diximus, charitatẽ. Charitas verò amplectitur duas vitas: Actiuã & Contemplatiuam. Actiua, per Liam: Cõtemplatiua, per Rachel significatur. Lia laborans interpretatur: quia actiua in labore est. Rachel, visum principiũ: quia secundũ eam principiũ, id est, Deus videtur. Charitas dum cõtemplationi vacare desiderat, & eam sibi copulare, Lia supponitur nocte: quia prius diligi debet proximus, cùm illa dilectio prior sit tempore, in qua vita multi generantur. Meritò Lia lippa dicitur: quia quàm diu sumus in secularibus, clare Deum videre nõ possumus. Posteà accipitur Rachel: quia per dilectionem proximi ad contemplationem Dei peruenitur, vbi pauci filij generantur, & quę claros oculos habere dicitur. Septem annis idẽ seruiuit, dum septem præcepta quæ sunt de dilectione Dei & proximi custodit. Septem etiã annis, tempus præsens, quòd septẽ diebus agitur, significatur. Septenarium ingeminat secundum perfectionẽ vitæ, si modò queat ad illud quod desiderat peruenire. In his tribus virtutibus est tota perfectio vitæ: & nullæ virtutes sine his ad patriã ducere possunt. Vnde dicitur Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus illorum tãtùm, qui has virtutes habent. Potiùs dicitur Deus Iacob, quàm Israël: quia in præsenti homines potiùs sunt Iacob, id est, vitia supplantantes & luctantes, in futuro verò Israël.

Allegoria.) Præmissa verò moralitate horum trium patrum, videamus quid præfigurent in Christo. Abraham in multis modis & locis figuram Christi portat, & præterea in nomine. Abraham enim pater multarum gentium interpretatur: & Christus est pater multorum fidelium. Cùm ergo Abraham de cognatione sua exiuit, & in terra aliena demoratus est, hoc est, in terra Chanaan, ad quam ex Dei præcepto trãsiuit, Christum significat, qui derelicto Iudaico populo, ad gentes per prædicatores suos transiuit. Christum significat in hoc iterum, quod duos filios habuit, vnum de ancilla, alterum de libera: alterum per naturam, alterum per repromissionem: personam Christi gerit, quia duos populos generauit, scilicet Iudaicum, qui significatur per Ismahelem, quem habuit de Agar, hoc est, de veteri lege. Ismahel enim, auditio interpretatur: quia Iudæi auditores legis fuerunt, non factores. Agar enim interpretatur alienatio: lex enim antiqua, carnaliter intellecta, eos alienauit à Deo. Et alterum scilicet gentilem populum, qui per Isaac designatur, qui natus est de Sara, hoc est, de nouo testamento. Isaac enim risus interpretatur: quia cõuersio gentilium, gaudium fuit angelorum & omnium fidelium credentium. Et Sara, princeps interpretatur, quia noua lex inter omnes leges principatum tenet. Iudaicus populus per naturã generatus est, quia per blanda huius mundi in cultu vnius Dei tenebatur: Gentilis verò populus per repromissionem: quia non pro temporalibus, sed pro promissione inuisibilium Deo seruiuit. Isaac iterum multis locis personam Christi gestauit, & nomine suo eum significauit. Christus enim est risus noster, de quo dicitur, Gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Isaac ab Abraham ductus est ad immolandum, comitantibus duobus pueris, quibus Abraham cum ad montem peruenisset in tertio die, in quo monte Deus Isaac immolari præceperat, dixit: Expectate hîc cùm asino, donec reuertamur ad vos. Et tunc portauit Isaac ligna: Abraham verò gladium & ignem: nec tamen immolatus est Isaac, sed aries hærens cornibus inter vepres. Abraham Deum patrem figurat: filium suum passioni tradidit. Duo verò pueri, Iudaicum populum in duo regna diuisum, id est, regnum Iuda, & regnum Israël. Asinus, stultitiam Iudæorum significat. Iudæi cùm asino expectant, quia adhuc in stultitia sua perseuerant. Aries, non Isaac immolatus est: quia caro Christi hærens cornibus crucis inter vepres tribulationis, non deitas, quæ per Isaac significatur, passa est: & hoc tertio die, id est, in tempore gratiæ. Tria enim tempora sunt: ante legem, sub lege, & sub gratia. Isaac ligna portauit, & Christus crucem tulit. Abraham verò ignem & gladium: quia in manu Dei erat gladius mortis Christi, & ignis persecutionum. Iterum in Isaac, in acceptione Rebeccæ, persona Christi exprimitur.

Seruus qui mittitur ad quærendam Rebeccam ad opus Isaac, significat chorum prædicatorum, ad gentilem plebem conuertendam mis-

ſum. Fons ad quem ſeruus ſtetit, ſignificat fluenta Euangelicæ ſcripturę, de qua haurit Rebecca cum hydria: quia de ſcriptura documentum gentilitas conuerſa accipit, cum capacitatis mẽſura. Rebecca, patientia interpretatur. Gentilis enim Eccleſia multa pro Deo paſſa eſt. Priùs hydriam in ſcapula ponit, deinde in vlnis: quia prędicationem priùs in mente ponit, deinde in opere complet. Ornamenta, quibus ſeruus Rebeccam decorauit, virtutes & præcepta ſunt doctorum. Inaures enim, voluntatem audiendi verba Dei ſignificant, quæ cùm dilectione ſuſcipi debent: gemina enim præcepta charitatis pondus duorum ſiclorum intelliguntur. Armillæ, quæ ſunt ornamenta brachiorum, bonã operationem notant, quæ decẽ ſiclos appendebant: quia omnis noſtra operatio, in decem legis præceptis conſiſtit. Quòd Rebecca non ſolùm viro potum dedit, verùm etiam camelos adaquauit, ſignificat quòd Eccleſia gentium conuerſa, omnibus potum prædicationis obtulit, non ſolùm ſapientibus, ſed etiam inſipientibus. Vnde Paulus: Sapientibus & inſipientibus debitor ſum. Laban, qui vocat ſeruum in domum, & benedictum Domini appellat, ſignificat quoſq; carnales, qui ſanctorum doctorum virtutes annunciant, & eos honorant, nec tamen cùm eis ad Iſaac, hoc eſt, ad Chriſtum vadunt. Locus ſpacioſus, quem Rebecca apud ſe eſſe dixit, lex eſt naturalis, quàm Eccleſia antequam ad Chriſtum veniret, habebat. Per hanc ergo legem Chriſti patuit ingreſſus legi Euangelicæ. Puellæ quę Rebeccam ad Iſaac pergentem ſecutæ ſunt, ſignificat fideles animas, quæ in Eccleſia ſimpliciter verſantur, non tamen ad thalamum contemplationis perueniunt. Inuenit Rebecca Iſaac in via, quæ ducit ad puteũ, cuius nomen eſt viuentis & videntis. Fons ille eſt teſtamentum vetus: quia per ſcripturam viuimus & videmus Deum. Via quæ ducit ad puteum, eſt paſsio Chriſti, per quã venitur ad antiquam legem intelligendam. In ea enim ſunt omnes hoſtiæ impletæ. In hac via, gentilis populus Chriſtum inuenit: quia eum iam paſſum, cùm ad fidem acceſsit, repperit. Rebecca conſpecto Iſaac de Camelo deſcendit: quia Eccleſia cognito Chriſto gentilitatem dimiſit. Cooperit faciem pallio: quia ad Chriſtũ veniens erubuit de ritu præterito. Quod verò inclinato iam die ingreſſus Iſaac in agrum, ſignificabat, quòd extremo tempore huius mũdi velut in diei fine veniens Chriſtus quaſi in agrũ foras exijt. Vnde idem Chriſtus in Euangelio ait: Exiui à patre & veni in mundum, quia cùm ſit inuiſibilis, ſe tamen viſibilem in hoc mundo Eccleſiæ de gentibus demonſtrauit. Iterum Iſaac Chriſtum ſignificat, quia duos filios habuit, vel duos populos, Iudaicum videlicet & Gentilem, & maior ſeruiuit minori: quia Iudaicus populus diſperſus per orbem, modo ſeruit gentibus non ſolùm corporali ſeruitute, verùm etiam librorum ſuorum confirmatione. Quòd Iſaac deſiderat venatione filij ſui Eſau veſci, ſignificat, quòd deſiderat Chriſtus bonis operibus Iudaici populi refici. Sed illo negligente, & in exterioribus, quaſi in venationibus occupato, Rebecca, id eſt, mater gratiæ, minorem filium, id eſt, gentilem populum ſuppoſuit, & priori dignitatem præripuit. Quòd autem Iſaac caligans, Iacob filio futuram benedictionem prędixit, ſed eum non vidit, ſignificat quòd Chriſtus vocationem gentium per Prophetas multipliciter prædixit, ſed eos non vidit, quia eis in propria perſona non prædicauit. Quòd autem Iacob non de venatione, ſed de domeſtico animali, cibos patri parauit, deſignat quòd populus gentilis in ſeipſo holocauſtum Deo obtulit, iuxta Pſalmiſtam: In me ſunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudationes tibi. Veſtes Eſau quibus Rebecca minorem filium veſtiuit, ornamẽta ſunt præceptorum veteris legis, quibus Eccleſia gentilis bene interpretãdo decoratur. Quòd pellibus hœdorum manus & colla reguntur, deſignat quòd gentes ad fidem venientes, peccata mentis & corporis confitentur Deo. Acceſſit & oſculatus eſt eum, quando Chriſtus ſibi gentes reconciliauit, de quo oſculo dicit in Cãticis: Oſculetur me oſculo oris ſui. Poſteà benedicitur, dum virtutibus multiplicatur. Quòd Eſau ſerò ad patrem reuertens, tandem benedicitur, ſignificat quòd Iudaicus populus in fine ſeculi conuertetur. Iacob ſimiliter Chriſtum ſignificat vel figurat. Dormitio enim Iacob in itinere, mortem vel paſsionem Chriſti ſignificat in cruce. Lapis ſuppoſitus capiti, humanitatem ſignificat ſuppoſitam diuinitati. Hic eſt ille lapis qui facit vtraque vnum. Scala verò quæ terram tangebat, & vſque ad cœlum extenſa erat, per quam angeli aſcendebant & deſcendebant, prædicationem ſignificat ſanctorum: in qua aliquando de cœleſtibus, aliquando de terrenis agitur: in qua aliquando de humanitate Chriſti, aliquando de diuinitate. Paulus ſummus angelus erat, qui aſcendebat cum diceret: Nos prædicamus Chriſtum, Dei virtutem & Dei ſapientiam. Deſcendebat, cùm diceret: Nihil iudicaui me ſcire niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Quòd ſurgens mane, erexit lapidem in titulum, ſignificat Chriſti in diluculo reſurrectionem. Quòd oleum fudit deſuper, ſignificat illam reſurrectionem factam eſſe per Spiritus ſancti operationem. Prætereà oleum fuſum ſignificauit eum eſſe regem & ſacerdotem: oleo enim reges & ſacerdotes vngebantur. Vnde & Chriſtus vocatur, id eſt, vnctus. Chriſtum etiam ſignificat, dum duas ſorores ſibi copulauit. Duę enim ſorores, duas Eccleſias ſignificant, actiuorum ſcilicet & contemplatiuorum: qui ſeptem annis pro vtraque ſeruiuit: quia in præſenti vita pro vtraque acquirenda, Deo militauit. Septenarius enim, præſentẽ vitam ſignificat: quia per

per ſeptem dies, omne tempus voluitur. Iacob duodecim filios habuit, & Chriſtus duodecim Apoſtolos per fidem generauit. Iacob ſupplantator interpretatur, & ſignificat Chriſtũ, de quo dicitur: Supplantaſti inſurgentes in me, ſubtus me: Quia in iſtis patribꝰ ſpecialiter ſignificatur Chriſtus, & Deus Abrahã, Deus Iſaac, Deus Iacob, multis in locis nominatur. In iſtis tribꝰ omnis modus generatiõis filiorũ Dei notatur. Generat enim multotiẽs Deꝰ de bono prędicatore bonũ filium, & de malo malũ: quod deſignatur per Abraham, qui de libera vxore, fidelem filiũ habuit, & de ancilla, infidelem genuit. Aliquando verò generat per bonum prædicatorem bonum & malum filium, quod ſignificatur in Iſaac, qui de libera vnum bonum & alterum malum generauit. Aliquando generat bonos per bonum & malum prædicatorem, quòd in Iacob ſignificatur, qui bonos filios & de liberis & de ancillis habuit. *Iacob autem genuit Iudam & fratres eius.* Iudam nominatim ponit, quòd de illo tantùm Dominus deſcendit. *Iudam autem genuit Phares, &c.*

Hiſtoria.) Iudas habuit tres filios, Her, Onan, Sela. Dedit autem vxorem nomine Thamar maiori filio, ſcilicet Her. Sed quia nequiſſimus & nocens erat, occidit eum Deus ſine ſemine. Data eſt ergo ſecundo filio ſuo, ſcilicet Onan, vt ſuſcitaret ſemen fratri ſuo: ſed ille nolens ſuſcitare ſemen fratris ſui, effundebat ſemen ſuum in terram. Mortuus eſt itaq; & ſecũdus. Sela verò adhuc paruulus erat. Dixit ergo Iudas Thamar: Vade & ſede vidua in domo tua, donec filius meus adultus ſit. Illa poſteà conſuluit ſibi. Audiuit enim quod Iudas iturus erat in Tamna, cum opilione ſuo, Ila ſcilicet, qui erat odollamites, ad tondendas oues. Aſſumpſit ergo ſpeciem meretricis, & velata facie ſedit in biuio, vt hac occaſione concumbens cum ſocero, aliquod ſemen inde haberet. Veniens itaq; Iudas, & non cognoſcens eam, promiſit ei hœdum pro concubitu. Cui tamen petenti arram, dedit annulum, armillam & baculum. Facto cõcubitu dixit ei, vt ibi expectaret, donec hœdum mitteret. Miſit ergo per Ilam, ſed illa abierat cum arra. Concepit itaq; Thamar geminos, Phares & Zaram. In partu verò Zaram voluit primus exire, & emiſit manum, quàm obſtetrix coccino ligauit. Retraxit tamen manum Zara, & natus eſt Phares. Quæ cum vidiſſet obſtetrix, ait: Quare per te diuiſa eſt maceria vel natura? quaſi diceret, Quare interrupiſti ædificationem naturæ? Vocauit eum ideò Phares, id eſt, diuiſio. *Phares autem genuit Eſrom.* Iudas autem genuit Phares & Zaram, antequam intraret in Aegyptũ, in quam ambo poſteà cum patre ſuo tranſierũt. In Aegypto verò genuit Phares Eſrom, & Eſrom Aran, & Aran Aminadab, & Aminadab Naaſon. Et ideo Moyſes duxit eos ex Aegypto, & Naaſon fuit dux ſub Moyſe in tribu Iuda per deſertum, in quo genuit Salmon. Iſte Salmon, mortuo patre, fuit princeps in tribu Iuda, qui cum Ioſue in terram repromiſsionis intrauit, qui duxit Raab meretricem: quæ recepit exploratores. Filij enim Iſraël obſederunt Iericho, & per ſeptem dies, clangentes buccinis circuierunt muros. Septimò autem die corruerunt muri in ſeptima tuba. Raab verò meretrix, quæ propoſuerat coccinum in feneſtra, ſicut iuſſerant nuncij, ſaluata eſt ipſa & domus eius tota. Quã poſteà duxit Salmon. Nota, quod iudices cœperunt à Ioſue, & durauerunt vſque ad Dauid. Iſti autem qui computantur in hac linea à Salmon vſque ad Dauid, tantùm quædam capita fuerunt in tribu Iuda, non principes, non duces: quia poſtquàm diuiſi ſunt in terra promiſſionis, non habuerunt principes ſingulæ tribus, ſed tantùm vnum iudicem principalem omnes, qui ſecundum electionem non ſecundum tribum efficiebatur. Iſte Salmon genuit in terra repromiſsionis de illa Raab Booz. *Booz uerò genuit Obeth ex Ruth.* Elimelech fuit quidam de tribu Booz, & pauper, & vxor eius Noemi: qui cum vxore ſua & duabus filijs iuit in terram Moabitarum. Ibi verò filij eius duxerant vxores de terra Gentium. Mortuo itaque patre & filijs eius ſine ſemine, reuerſa eſt Noemi cum Ruth Moabithide, vna de nuribus ſuis in terram ſuam, & ſuaſione ſocrus ſuæ iuit eadem Ruth in agrum Booz, cauſa metendi. In craſtino perſuaſit ei vt ſe lauaret, & melioribus indumentis indueret, & locum nocte conſideraret vbi in agro Booz dormiret, & veniens diſcooperiret pallium à parte pedum, & proijciens ſe ibi iaceret. Factumque eſt ita. Booz verò turbatus, quærit quid quærat. Illa verò dixit, quòd ſuſcitare ſemen mariti ſui vellet: quia ipſe propinquus eius erat. Ille verò ait alium eſſe propinquiorem, ad quẽ priùs eundum erat: & ſi ille eam repudiaret, ipſe eam duceret. Illo aũt repudiante, duxit eam, & inde genuit Obeth. Hanc Gentilem ideò poſuit Euangeliſta, vt Chriſtum non ſolùm oſtendat naſci de Iudæis, ſed etiam de Gentibus: & ſic completam prophetiam quæ ait: Emitte agnum tuum, Domine, dominatorem terræ de petra deſerti, id eſt, de gentilitate, quæ eſt dura vt petra, quia idololatria plena & deſertum, quia ſine lege. *Obeth genuit Ieſſe.* Pater Dauid binominis eſt, frequentius enim vocatur Iſai. Sed quia Propheta eum vocauerat non Iſai, ſed Ieſſe, dicens: Egredietur virga de radice Ieſſe, id eſt, vt oſtenderet illam prophetiam eſſe completam in Chriſto & Maria, poſuit Ieſſe Euangeliſta.

Moralitas.) Iterum videamus quas virtũtes iſti patres in nobis ædificent: quia fides, ſpes & charitas ſunt omnium fundamẽta virtutum: ſequentes virtutes, ſunt quaſi ſuperadditiones. Iudas, interpretatur confeſsio, quoniam aliquis poſſet credere, ſperare & diligere, & tamẽ apud

præsides diceretur ex timore negare, vt Petrus, ideò necessaria est fidei confessio. Duplex cõfessio est: altera fidei, altera peccatorum. Si ergo post tres supradictas virtutes peccet, necessaria est non solùm fidei, sed etiam peccatorum confessio. Meritò datur quartus locus Iudæ, quia & quartum locum in ordine fratrum tenet, vbi & confessio, secundum Allegoriam iure quarta ponitur. Primus est Ruben, secundus Simeon, tertius Leui, quartus Iudas. Ruben, concupiscentiam significat: quia de eo in benedictionibꝰ dicitur, Ruben effusus vt aqua, quia quidem fluens in concupiscentijs fuit. Simeon verò, furor eius pertinax interpretatur, & ideò iram eius significat. Leui verò, quia de tribu illius sacerdotes electi sunt, & sacerdotibus lex commissa est, rationem significat, quæ lege sua vtranque vim animæ temperare debet. Si autem ille tres peccant, debet sequi confessio peccatorum, quæ omnia purgat. Post Iudam sequitur Phares & Zaram. Phares diuisio, Zaram oriens interpretatur, & Thamar amaritudo. Confessio enim generat diuisionem à vitijs, & ortum virtutum, de Thamar, id est, amaritudine pœnitentiæ. Post Phares sequitur Esrom, qui sagitta interpretatur. Postquam enim aliquis diuisus est à vitijs & secularibus, debet fieri sagitta, vt in alijs vitia prædicando puniat, & corda hominum amore Dei pungat. Sequitur, Aram, qui interpretatur electus vel excelsus, quia postquàm aliquis à mundo remotus est, & alijs proficit, necesse est vt Deo electus sublimis & celebris habeatur, & sit excelsus in virtutibus. Sequitur Aminadab, id est, spontaneus populus. Oportet enim vt spontanea voluntate, & bona non coactione non timore faciat, quicquid operatur. Sequitur Naason, qui interpretatur augurium. Hoc augurium non est seculare, sed cœleste. De hoc gloriabatur Ioseph, qui præcepit seruo vt diceret fratribus suis deferentibus sciphum in sacco: Vos detulistis sciphum domini mei, in quo ipse solet augurari. Sciphus enim est diuina scriptura, vbi potus est sapientiæ. In hac auguratur sapiens, quia ibi videt futura, id est, cœlestia. Sic auguratur diuina, qui vtilitati proximi ex bona voluntate intẽtus est. Sequitur Salmon, id est, sensibilis. Postquàm enim aliquis studet in diuina scriptura fit sensibilis, id est, discernens gustu rationis, quid bonum, quid malum, quid dulce, quid amarũ. Sequitur Booz, id est, fortis. Instructus enim bonis scripturis fit ad omnia aduersa tolerãda fortis. Nota, quia dicitur simpliciter fortis, ad differentiam Dauid, qui dicitur manu fortis, quod aliud significat. Iste autem fortis filius est Raab, id est, Ecclesiæ. Sequitur Obeth, id est, seruitus. Qui enim fortis est seruus, idoneus potest effici: non enim idoneus est ad seruitutem Dei, nisi qui fortis est, quę seruitus generatur de Ruth, id est, de festinantia. Oportet enim seruum esse promptum, non pigrum, sed currentem, ne vlla carnalis voluptas detineat. Sequitur Iesse, id est, incensum. Si enim seruimꝰ, ex timore & amore erit deuotio in corde, quæ ex igne & desiderio cordis suauissimum incensum offert Deo.

Allegoria.) Modò videamus quomodo isti patres Christum præfigurent. Iudas cõfitens interpretatur. Et de Christo dicitur: Confiteor tibi pater domine cæli & terræ. Secundũ historiam etiam personã Christi gerit. Thamar enim significat populum Dei antiquum, cui dati sunt mariti duo, scilicet pastores, quorum duo genera in his notantur, nocentes & prodesse nolentes. Her enim significat illos nequissimos pastores, qui non solùm non iuuant, sed etiam nocent populo Dei. Vnde interpretatur pelliceus, id est, obsitus peccatis, quæ significantur per pelles mortuorum animalium, Propterea Adam & Eua post peccatum pelliceas tunicas habuerunt. Onan verò qui effudit semen in terram, significat illos pastores, qui cum possunt prodesse, nolunt, sed effundunt semen suum in terra, id est, in terrenis adhærent, & studium fœcunditatis quod debent populo Dei, secularibus adhibent. Vnde Onan dicitur, id est, dolor eorum, quia magnum dolorem ingerunt subditis inutiles prælati. Quòd Sela non ducit illam, significat illam interruptionem regni, quæ fuit in tẽpore Herodis. Cùm enim multi filij de tribu Iuda essent, nullus tamen eorum populum Dei rexit. Vnde Sela dicitur, id est, dimissio: quia eo tempore dimissa est tribus Iuda, & alienigena subijt in regnum. Tunc venit Iudas, id est, Christus, in tenna, id est, in mundũ: quia tenna defectio interpretatur, quia totus mundus in defectu erat. Venit inquam ad tondendas oues, id est, ad auferenda pondera peccatorum, cum socio suo Hila, id est, cum Iohanne Baptista, qui Hilas interpretatur visio fratris, quia vidit fratrem suum, id est, Christum, qui erat de tribu sua. Iste Hilas erat Odolamites, qui interpretatur habens testimoniũ in aqua, quod bene conuenit Ioanni. Cupit ita ei sociari Thamar, id est, Ecclesia, sed mutata facie, id est, non iam de Iudæis, immo de Gentibus habens speciem meretricis: quia satis priùs cum idolis fornicata fuerat, & quasi ignota Iudæ. Vnde Dauid: Populus quem non cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Sedebat illa in biuio, id est, in erroribus huius seculi. Sociata ergo Christo accipit annulum, id est, fidem, & armillam, quæ est ornamentum brachij, scilicet bonam operationem, & baculum, id est, regnum sui. Vnde vnusquisque rex & sacerdos dicitur. Promisit enim hœdum Christus, id est, increpationem peccatorum, quando peccaret, quam sibi per ministros mitteret. Veniens postea Hilas, id est, Ioannes, in quo omnis ordo prædicatorum, qui quotidie præparant viam Domino, significatur cum hœdo, id est, cum increpatione pec-

ne peccatorum: quærit meretricem in biuio, & non inuenit, quia accepta fide Ecclesia desiuit esse meretrix, & non habet locum increpatio in ea. Thamar interpretatur amaritudo, quia intra amara huius seculi conuersatur. In filijs verò est aliud sacramentum per se, non continuatum superiori. Zaram qui primus manum emittit, significat primum fidelem populum, scilicet Abel, Noë, Abraham, Isaac, Iacob, & alios, qui primi manum bonæ operationis ostenderunt. Quæ operatio ligata & confirmata est coccino, id est, passione Christi, quam credebant & expectabant. Nihil enim sciebant sibi valere bona opera sua sine redemptione sanguinis Christi. Vnde Zaram oriens interpretatur, quia illi primo populo priùs apparuit sol iustitiæ. Sed ille retraxit manũ, quia illis decedentibus opus fidei cessauit, & populus Iudaicus interuenit, & lex, quę populis fuit quasi maceriæ diuisio, quia primum populũ fidelẽ & vltimũ qui subaduẽtu Christi fuit, diuisit, & quasi se in medio interposuit. Vnde Phares dicitur Iudaicus populus, id est, diuisio. Sed Christus illũ populũ interpositũ & legẽ destruxit, & maceriam diuisam vtriusq; populi fidelis coniunxit, id est, ædificationem. Queritur, quare tacitis nominibus sanctarũ mulierũ, scilicet Saræ & Rebeccæ, & aliarũ notauit in Christi generatione notabiles mulieres, scilicet Thamar, & Raab, & Ruth, & Betsabe. Hoc ideo fecit Euangelista, vt ostenderet Christum non solùm nasci ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus, nõ de iustis solùm, sed & de peccatoribꝰ, vnde agnus paschalis præcipitur in lege nõ sumi de ouili, vbi tantùm sunt oues, sed de illo, vbi sunt oues & capræ, quia nasciturus erat de iustis & peccatoribus. Nõ obest nasci de peccatoribus, quia filius non portabit iniquitatem patris. Hoc de illo, qui malitiam patris non fuerit imitatus. Si autem imitatus fuerit, etiam pro patris iniquitate punietur, non per corruptionẽ, sed per imitationem malitiæ cum eo remanens, quasi idem cũ illo punietur. Vnde visitabo peccata patrũ in filios. In benedictione etiam sua, quam recepit à patre suo Iacob, Iudas Christum significauit. Ait enim Iacob, Iuda, te laudabunt fratres tui, manus tuæ in visceribus vel ceruicibus inimicorum, adorabũt te filij patris tui. Ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt leo, quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium, ligans ad vineam pullum suum, & ad vitam asinam suam. Lauabit in vino stolam suã, & pallium suum in sanguine vuæ. Pulchriores sunt oculi tui vino, & dentes tui lacte candidiores. Hæc enim omnia ad Christum pertinent. Hunc enim laudant fratres sui. Hæc est omnis sanctorum multitudo. Manus eius in ceruicibus inimicorũ eius quia aduersarios humiliat, & fidei suæ colla eorum subdit. Hunc adorant filij patris sui, quia oẽs filij Dei hunc vt Deũ venerantur. Christus ad prædam ascendit, quando contra diabolum ad pugnam venit, vt suos, qui in inferno erant, eriperet, quod in die passionis cõpletum est, quando ad inferos descendit. Bene inquit ascendit, quia priùs in mundo humiliter uixerat, tunc potentiam suã declarauit. Requiescens accubuit, quãdo in sepulchro iacuit, accubuit velut leo, quia tertia die velut leo, voce patris excitatus est. Et quis suscitauit eũ? Nullus nisi pater. Non auferetur sceptrũ de Iuda, donec veniat, &reliqua. Quia omnes reges Iudæorum fuerunt de tribu Iuda, vsq; ad tempus Herodis, qui fuit alienigena, sub quo natꝰ est Christus. Ipse Christus fuit expectatio Gentium, quia eas redemit, & ad fidem conuertit. Ligauit pullum ad vineam, quando primitiuæ Ecclesiæ associauit in fide gentilem ecclesiam. Vineam enim vocat Apostolos, & alios à Christo vocatos vel conuersos, quibus ait Christus: Ego sum vitis vera, vos autem palmites. Pullus est gentilis populus, qui fuit filius asinæ subiugalis, id est, populi Iudaici, qui fuit subiugo legis, per eos enim conuersi sunt Gentiles ad fidem. Asinam colligauit ad vitem, quia per seipsum qui vitis est, Iudæos conuertit. Lauit in vino stolam suam, quando sanguine passionis suæ carnem suam perfudit. Pallium suum lauit in sanguine vuæ, quando Ecclesiam suam à peccatis lauit in sanguine suo, quę est vestimẽtum Christi, iuxta prophetam: Ex omnibus his velut vestimento vestieris. Ipsa est vua, vnde vinum exiuit, quia ipse est corpus, vnde sanguis processit. Oculi eius prædicatores sunt, qui subditis suis in Ecclesia prouident, qui pulchriores sunt vino, id est, prædicatoribus veteris legis, quia Euangelica doctrina clarior est legali traditione. Prędicatores veteris legis dicuntur vinum, propter austeritatem comminationum, vbi dictum est: Dentem pro dente, oculum pro oculo, &cæt. Dentes verò dicuntur expositores nouæ legis, qui obscuritatem scripturę conterunt & masticant, vt à ventre, id est, ab infirmioribus membris Ecclesiæ possit incorporari. Candidiores sunt lacte, quia mundiores sunt doctoribus veteris legis, quæ lac dicitur, & rudi populo data est, vt nutrirentur. Phares sequitur, quia Christus est Phares, id est, diuisio, quia separabit oues à dextris, hœdos autem à sinistris, qui etiam discretor est cordium, & illuminator. Ipse etiam est Esrom, id est, sagitta vel atrium, quia tanquam sagitta penetrat corda audientium. Atrium est, eo quòd significat latitudinem charitatis, quia ipse inimicos suos dilexit. Aram Christũ significat, qui electus vel excelsus interpretatur, quia de eo dicitur per prophetam: Ecce puer meus electus, quem elegi. Et per alium: Excelsus super omnes Gentes Dominus. Ipse item est Aminadab, id est, voluntarius populus, qui dicit: Voluntariè sacrifi-

cabo tibi. Naason etiam, qui augurium dicitur, Christum significat, qui nouit omnia, prꝛterita, præsentia, & futura. Naason etiam serpentinus interpretatur, quia Christus more serpentis omnes cauit insidias. Ipse etiam est Salmon, id est, sensibilis, quia omnia sentit. Ipse accepit Raab, id est, ecclesiam Gentium, quę meretricata fuerat cum idolis, quæ ostendit in fenestra coccinum, id est, amorem per confessionem, propalauit Christi passionem. Raab interpretatur fames vel latitudo, vel impetus, quia ecclesiã gentium esurit, & sitit iustitiam, & dilatata est per totum orbem, & impetu doctrinæ philosophos & reges conuertit. Iudæi qui circumierunt Iericho, per septem dies buccinis clangentes, significant Ecclesiæ prædicatores, qui mundum circumuallant buccinis sonantes, id est, prędicationibus suis prædicatores mundi increpantes, qui per Iericho significantur. Iericho enim luna interpretatur, id est, defectus: & paulatim secularia deficiunt, sed in septimo die, hoc est, in fine seculi funditus destruentur. Booz iterũ, qui fortitudo interpretatur, significat Christũ, de quo dicitur: Dominus in fortitudine veniet. Ipse etiam accipit Ruth, id est, gẽtilem ecclesiam, quæ videns vel festinans vel diffiniẽs interpretatur, quia ecclesia videt Deum: festinat ad brauium, desinit perseuerare in bona operatiõe, Ipse etiã est Obeth seruiens, quia non venit ministrari, sed ministrare. Ipse est Iesse, qui interpretatur sacrificium, quia ipse pro nobis hostia factus est.

Dauid genuit Salomonem, ex ea quæ fuit Vriæ.

Historia.) Tacet nomen Bethsabeæ, vt nominando Vriam, reducat ad memoriam illud maximum scelus, quod fecit Dauid in eum. Tacet etiam quia cæteræ cùm essent notabiles, non solùm culpari, sed etiam laudari meruerunt. Ista verò adeò culpabilis est, quòd nomine non est digna, iustus verò est dignus nomine. In ea tamen maximum est sacramentum. Dicit enim historia quòd Dauid in solario existens, vidit Bethsabeæ lauantem se, placuit ei, vocauit, & iacuit cum ea: & facta eâ grauida, reuocauit Uriam de expeditione, vt hac occasione intraret in domum suam, & ita partus ei ascriberetur. Noluit ille intrare, sed iacuit in vestibulo dicens: quia dum archa Dei esset in tabernaculis, non erat congruum eum intrare in domum suam. Acceptis itaq; literis mortis suæ, redit ad expeditionem, & mortuus est, machinante Ioab, sicut præcepit Dauid. Salomon quasi Salemon, à sale, quod est pax, genuit Roboam, Roboam Abiam, Abias Asa, Asa Iosaphat, Iosaphat Ioram, Ioram genuit Oziam. Nota quòd Ioram non genuit Oziam secundum historiam libri Regum, sed potiùs genuit Ocosiam, & Ocosias genuit Ioas, & Ioas Amasiam, & Amasias Oziam. Sed quia Euangelista proposuerat ab Abraham vsq; ad Christum quadraginta duas generationes in diuerso statu temporum ponere, & Ioram filius Iosaphat se miscuerat impijssimo generi Iezabel, ducens filiam eius ad idololatriam conuersus: idcircò vsque in tertiam generationem memoria eius tollitur, ne in ordine sanctæ natiuitatis poneretur. Ioram igitur fornicatus occidit fratres suos, vnde & infirmatus est dolore vteri vt viscera egereret, quẽ secutus filius suꝰ. Ochosias ingressus est per vias domus Achaz. De isto Ochozia legitur in Paralipomenon, quòd quadraginta duorum annorũ erat cùm regnare cœpit, & per vnum annũ regnauit. Quod esse non potuit, quia Ioram pater eius triginta duorum annorũ erat, cùm regnare cœpit, & per octo annos regnauit, qui simul sunt quadraginta, & ita iam esset filius prior illo duobus annis, sed deprauatus est Liber, qui dicit quadraginta duo, & verius in libro Regum legitur, viginti duorũ annorum. Ioas ergò filius Ocoziæ acquieuit adorare sculptilia, & Zachariam filium Ioiadæ sacerdotis, qui eum nutrierat, & regem fecerat, & ne occideretur ab Atholia, custodierat prꝛcepit occidi, quia eum pro idololatria increpabat. Amasias quoq; coluit deos Seir, & ideò hi tres, quamuis regnum quoquo modo obtinuerint, de genealogia sunt excluſi, sicut in lege dicitur: Visitabo peccata patrum in filios vsquè in tertiam & quartam generationem. Sed sciendum hoc esse de eis dictum, qui peccata patrum sequuntur: nam & bonus de malo genitus miseri cordia est dignus, & malus de bono natus pœna plectitur. Alij qui ponuntur quamuis mali, vel bonos generant, vel à bonis generantur, vt Iorã filius Iosaphat viri iusti. Ozias verò in omnibus penè fuit rectus, nisi quòd ipse incẽsum adolere voluit. Vnde in fronte quasi in loco velamine lepra percussus fuit. Et notandum quod sub Ozia, Ioathã, Achaz & Ezechia prophetauit Isaias de Christo. Nota de Ezechia quòd cùm esset sine liberis, dictum est ei: Dispone domui tuæ quia morieris, & ideò fleuit non propter longiorem vitam, cùm sciret Salomonem Deo placuisse, quòd non petisset ampliores annos, sed quia dubitabat ne non promissio Dei impleretur, cùm sciret se esse de Dauid, per quem oporteret venire Christũ, & ipse esset sine liberis, vnde & dicebat: Non videbo Deum, non aspiciam hominem vltrà. Sed econtrà credebat, quia fidelis est qui promiserat. Deus aũt sententiã, quam dederat ad probationem fidei immutat, & generandi spacium præstat: *Ozias genuit Ioatham, Ioatham genuit Achaz, Achaz genuit Ezechiam, Ezechias genuit Manasen, Manases genuit Amon, Amon genuit Iosiam.*)

Moralitas.) Consideremus quid moralitatis isti patres in nobis generent. Postquã aliquis est idoneus seruus & suauissimum Deo sacrificiũ factus, sequitur vt sit Dauid, id est, manu fortis, qui cõtra hostes fortiter dimicauit, & alienigenas idumeos tributarios fecit. Similiter ipse debet carnales hoiẽs verbo & exẽplo Deo subiugare,

iugare, sicut Paulus, qui gentes cõuertit, qui per Idumeos designantur, sequitur. Salomon qui interpretatur pacificus: tunc enim ille fit pacificus cùm Deo seruit, & alios ad Deum conuertit. Tunc enim in eo sedati sunt omnes motus illiciti, & quasi iam in æterna tranquillitate positus, potest cum Apostolo dicere: Nostra conuersatio in cœlis est. Qui meritò in quintodecimo loco ponitur, qui numerum ex septem & octo conficitur, quia post septem quæ ad legalia instituta permanent propter sabbatum, in octaua, id est, in æterna requie & resurrectione futura esse videtur, quæ per octonarium figuratur, quia in octaua die resuscitatus est. Sequitur Roboam, id est, populi latitudo. Postquã enim non habet, quod in se videat, amplecti alios debet, & latè populum Dei ad superna secum trahere. Sequitur Abia, id est, pater dominus: his enim prætermissis, potest se profiteri filium Dei & dicere: Dominus est pater meus: & quia talẽ patrem habet qui in cœlis est, recognoscens se esse in peregrinatione huius mundi, debet esse Asa, id est, attollens, vt de virtute in virtutem ad patrem ascẽdat, spernens istam peregrinationẽ, & tunc erit Iosaphat, id est, iudicans. Qui enim attollit se ad Deum, ipse alios iudicat, & à nemine iudicatur, & omnia discernit ne in aliquo decipiatur, & ita fit Ioram, id est, excelsus, id est, in cœlestibus habitans, & super omnia aspiciens, nec tamen ideò superbit, sed fortitudinem suam Deo ascribit. Vnde efficitur Ozias, id est, robustus Domini, quasi robur suarum virtutum Deo attribuens, & in suo proposito perseuerãs. Sed quia in eodem posset perseuerare, & tamen nunquã crescere, sequitur Ioatham, id est, perfectus, quia cotidiè in maius proficit, & quãto melius proficit in virtutibus, tantò magis fit Achas, id est, comprehendens. Qui enim melius dominica præcepta facit, melius Deum cõprehendit. Ex operatione enim melius augmentatur agnitio, vnde Dauid: Annunciauerunt opera Dei, & facta eius intellexerunt. Priùs enim annunciauerunt, deinde intellexerũt. Sequitur Ezechias, id est, fortis dominus. Dum enim dominum cõprehendit, Deum fortem intelligit, quia omnia fecit & regit, & diabolum vicit, & se vincere facit, & ideò in amorẽ eius accensus efficitur Manasses, id est, obliuiosus, quia omnia temporalia tradit obliuioni pro amore Dei. Qui autẽ temporalia obliuiscitur, quod solent facere fideles, fit Ammon, id est, fidelis. Qui enim temporalia contemnit & obliuiscitur, neminẽ verè suo defraudat. Sequitur Iosias, qui enim terrena contemnit, & fidelis est, & cœlum promeretur, & salutem domini securè expectat. Iosias autem salus domini interpretatur.

Allegoria.) Videndum est in quo Christus in istis patribus præfiguretur. Dauid significat Christum, quia ipse Goliam, & Christus ita diabolum superauit. Dauid manu fortis dicitur, vel viru desiderabilis, ipse est enim de quo dicitur: Dominus fortis & potẽs, Dominus potẽs in prælio. Et iterum: Speciosus forma præ filijs hominum. Gerit etiã Dauid personã Christi in acceptione Bethsabeę. Christus sedẽs in solio patris, vidit Ecclesiam gentiliũ lauãtem peccata sua, & placuit ei, & sibi eã copulauit, quę interpretatur puteus septimus, vel putẽ facietatis, quia Ecclesia cõtinet copiosè profunditatẽ spiritualis gratiæ septiformis. Vrias, id est, diabolus interficitur, qui priùs erat maritus gẽtilitatis. Vrias enim interpretatur lux mea Dei, quia diabolus in initio cõditus, dixit suam lucẽ esse Dei, quia propter eam se voluit facere Deũ, vel Bethsabee significat legem, in qua cõtinebatur sub figuris septiformis gratiæ profunditas quæ copulata erat Uriæ, id est, Iudaico populo, qui gloriabatur de luce Dei, id est, de cognitiõe legis. Vidit de solio, id est, de cœlo Christus legem lauantem, id est, exuentẽ suas figuras, & placuit ei. Tunc conuocãs Iudaicum populũ voluit introducere in domum, id est, in spiritualem intellectum legis, illo renuit & dicit, quia archa, id est, ecclesia est in tabernaculis, id est, sub figuris. Ideò dicit se non intrare in domũ, id est, se accipere alium intellectum. Accepit itaq; literas mortis suæ, id est, literalem intellectũ, qui ducit eum ad mortẽ, dum nõ vult legem spiritualiter intelligere. Christus dicitur Salomon, id est, pacificus, quia ipse est pax nostra, qui fecit vtraq; vnũ. Ipse est Robоã, id est, impetus populi, qui post ascensionem per Apostolos cũ velocitate ad fidẽ conuertit populos. Ipse est iterum Abia, id est, pater dominus, quia ipse est qui dicit: Ego ero illi in patrẽ, quia tanquã dominus omnia fecit quæcunq; voluit. Christus etiam est Asa, id est, attollens, quia ille est, qui abstulit peccata mundi. Ipse est item Iosaphat, id est, iudicãs, quia ipse est qui iudicabit orbẽ terrę. Christus dicitur Ioram, id est, excelsus, quia ipse est qui ait: Nemo ascendit in cœlũ, nisi qui descẽdit. Ipse est Ozias, id est, robustus domini: ille est de quo dicitur: Fortitudo mea & laus mea dominus. Ipse est Ioathas, id est, profectus noster, quia ipse quotidie proficit ecclesię. Ipse est Achaz, id est, Deũ comprehendens, quia nemo nouit patrẽ nisi filius. Christus est Ezechias, id est, cõfortauit me dominus. Ipse est qui dicit Apostolis: Ego sum, nolite timere. Ipse est Manasses, id est, obliuiosus, qui conuerso peccatori dicit: Omnium iniquitatum eius nõ recordabor. Ipse est Ammon, id est, fidelis vel nutricius, de quo dictum est: Fidelis dominus in omnibus vijs suis, qui conuocat filios, vt gallina pullos suos sub alas. Ipse est Iosias, id est, incensum domini, quia ille est qui dicit: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.

Historia. Iosias genuit Iechoniam.) Legitur in libro Regũ, quòd Iosias genuit Ioatham, & Ioachim, & Sedechiam. Ioatham verò successit patri in regno, quo capto à rege Aegypti, substitutus

ſubſtitutus eſt loco eius Ioachim frater eius, ſed Nabuchodonoſor aſcendit in Ieruſalem, & cepit Ioachim, & factus eſt ſeruus tribus annis: & rurſum rebellauit contra eum, & dominus immiſit ei multa mala per inimicos ſuos, & tãdem mortuus eſt, & regnauit Ioachim qui & Iechonias dictus eſt filius eius pro eo, & captus eſt à rege Babyloniæ, & loco eius Sedechias poſitus eſt, cuius tẽpore Ieruſalem deſtructa eſt, & ipſe effoſsis oculis cum populo toto in Babyloniam ductus eſt. Sed in triceſimoſeptimo anno trãſmigrationis eius Merodach rex Babylonis pepercit Ioachim, & faciebat eum comedere panem in conſpectu ſuo cunctis diebus vitæ ſuæ. Quæritur, quare Iechonias dicitur filius Ioſiæ, cùm Ioſias Ioachim, & Ioachim Iechoniam genuiſſet? Si enim mediante Ioachim Iechoniam genuiſſe dicamus, cùm eundem Iechoniam bis numeremus, in fine ſcilicet præcedẽtis teſſareſcedecadis, & in principio ſequentis, ad hoc vt tres plenæ teſſareſcedecades inueniantur, iam non erunt quadraginta duo patres, nec tres diuerſæ teſſareſcedecades reperientur. Hoc autẽ diuerſis modis ſoluitur. Hieronymus ait: quòd vterq;, pater & filius, id eſt, Ioachim, & Ioachim Iechonias vocatur, & ita vnum habemus in fine præcedentis teſſareſcedecadis, & alterum in principio ſequentis, vt cùm dicit Ioſias genuit Iechoniam, Ioachim intelligamus. Cùm verò dicit Iechonias genuit Salathiel, Ioachim accipiamus. Sciendum eſt, nomen prioris Ioachim ſcriptum per c & m, ſequentis per c & n, quod vitio ſcriptorum per lõgum tempus confuſum eſt. Auguſtinus verò dicit eundem Iechoniam debere intelligi, id eſt, Ioachim propter ſignificationem cuiuſdam ſacramenti. Tranſmigratio enim in Babylonem de Ieruſalem, tranſmigrationem Apoſtolorum de Iudæa ad gentes ſignificat, in qua tranſmigratione Chriſtus factus eſt angularis lapis vtrunque populum complectens. Et propterea cùm ageret de tranſmigratione, voluit Iechoniam eundem quaſi in angulo duarum teſſareſcedecadarũ, qui vtrunque complecteretur parietem ponere, qui perſonam Chriſti vtrunq; populum complectentis gereret.

Quæritur: quare filios Ioſias in tranſmigratione genuiſſe dicatur, cùm tranſmigrationem non vidiſſet? Quia videlicet Euangeliſta ſciens euentum rei præteritæ, dixit eum filios genuiſſe non in tempore tranſmigrationis, ſed in tranſmigratione, id eſt, ad hoc vt tranſmigrarent, fratres eius ponit, vt quorum eſt communis iniquitas, eorum ſit ſimul miſeria.

Iechonias genuit Salathiel, & Salathiel Zorobabel, & Zorobabel Abiud.) Sed hoc videtur eſſe contrarium generationi, quæ legitur in Paralipomenon. Dicitur enim ibi, Iechonias genuit Salathiel & Phadaia, & Phadaia Zorobabel, & Zorobabel Moſollam, & non annumerantur filij Salathiel. Sed ſcimus in Paralipomenon multa vitio ſcriptorum deprauata, vnde multæ & indeterminatæ genealogiarum veniunt quæſtiones, quas iubet Apoſtolus vitari. Vel poteſt dici Salathiel & Phadaia eundem eſſe quaſi binomium, vel Salathiel & Phadaia fratres eſſe, & filios eiuſdem nominis habuiſſe, & hiſtoriographum fuiſſe ſecutum generationem Zorobabel filij Phadaia, non Zorobabel filij Salathiel. De Abiud vſque ad Ioſeph nulla hiſtoria inuenitur in Paralipomenon. Credendum eſt tamen Apoſtolum à ſpiritu ſancto, quod dicit de ſequentibus generationibus accepiſſe, ſicuti cætera quæ dicit. Alij etiam multi annales leguntur fuiſſe apud Hebræos, qui dicebantur Verba dierum, ſicut apud Romanos, vbi facta totius anni ponebant, de quibus Herodes rex alienigena dicitur multos combuſſiſſe, vt ordo Regiæ ſtirpis confunderetur. Et forſitan Ioſeph eo tempore nomina parentum ibi legerat, vel aliquos ex ipſis annalibus occultauerat, vel aliquo alio modo retinuerat, per quem Euangeliſta ſeriem huius generationis ſcire potuit. Hoc tamen credendum eſt, quòd Euangeliſta certus erat de illa genealogia, qui ita eam diſpoſuit.

Iacob genuit Ioſeph.) Quæritur quare Matthæus dicat Iacob patrem Ioſeph, cùm Lucas eum filium Heli nominet & referat, & Heli filium Mathat? Sed ſciendum eſt, quòd Mathat qui deſcẽdit de Dauid per Natham, habuit vxorẽ quæ dicta eſt Heſta, de qua genuit Heli. Poſt mortem verò Mathat. Mathan qui deſcendit de Dauid per Salomonem, accepit eandem vxorem, & genuit inde Iacob, itaq; vterini fuerunt fratres Heli & Iacob. Heli verò duxit vxorem, & mortuus eſt ſine ſemine. Iacob ita què ſuſcitauit ſemẽ fratris ſui, & genuit de vxore eadem Ioſeph. Itaq; Ioſeph ſecundum legem dicitur filius Heli, ſecundum naturam filius Iacob. Nõ poteſt dicere, Ioſeph autem genuit Chriſtum, quamuis & pater eius nominatur ſecũdum adoptionem, ſed dicit virũ Mariæ, & ponit in eodem grãdu Ioſeph & Mariam. Cùm enim ſecundum Hebræorum conſuetudinẽ non ſoleat fieri computatio genealogiæ per mulieres, ponit Ioſeph, qui duxerat Mariam lege cognationis, & ita per Ioſeph probatur Mariam eſſe de genere Dauid, quod alijs locis ſatis probari poteſt, ex hoc ſcilicet, quòd Maria iuit cũ Ioſeph in Bethleem, profiteri, quòd de domo & familia Dauid erat, & angelus fert de Chriſto teſtimonium, q̃ de genere Dauid ſit, vbi ait Mariæ: Et dabit illi Dominus Deus ſedẽ Dauid patris ſui, de qua, ait, natus eſt Ieſus, non de quibus, vt de ſola virgine natum eſſe Meſsiam comprobet, alio modo generationis quàm alios eſſe natum oſtẽdat, non ſcilicet per concupiſcentiam carnis, ſed per Spiritum ſanctum.

Moraliter.) Sed videamus, quam moralitatem

tem iſti patres in nobis generent. Iechonias, id eſt, præparatio domini. Poſtquam enim aliquis ſaluté domini promeritus eſt, nihil aliud reſtat, niſi vt occurrat domino veniẽti ad nuptias cum lampade præparatus, vel ad aduerſitates tolerãdas ſi contigerint. Sequitur Salathiel, id eſt, petitio mea Deus. Qui enim præparatus eſt, non petit niſi ſolum Deum. Sed tamen interim fit Zorobabel, id eſt, magiſter Babylonis. Magiſter enim terrenorum hominum fit aliquando ciuis Ieruſalem, tunc ſcilicet, cùm aliquis ſanctus fit prælatus ſuper homines morantes in confuſione, quos verbo & exemplo inſtruit. Sed modò è conuerſo nos miſeri facimus, qui ciuem Babyloniç facimus magiſtrũ Ieruſalem. Et cùm bene inſtruxerit iuſtus prẽlatus ſubditos, facit recognoſcere de Deo, quòd pater meus iſte, quod ſonat Abiud, & tunc ille populus reſurgit à vitijs. Sequitur enim Eliachim, qui reſurrectio domini interpretatur. Et tunc ad bonum operandum eſt adiutus, quod ſonat Azor, & ita efficitur iuſtus. Sadoch enim interpretatur iuſtus, vnde Sadech iuſtitia dicitur, & inde Melchiſedech, id eſt, rex iuſtitiç. Sicut enim Chriſtus reſurrexit & aſcendit, & ſpiritum ſanctum miſit, ſic populus Dei priùs reſurgit in baptiſmate, adiuuatur à ſpiritu ſancto, ad bene operandum in confirmatiõe, & ſic efficitur iuſtus, & verè iuſtus, quia diligit proximum & Deum, quod habemus per ſequẽtia nomina. Achim enim dicitur frater meus iſte, & Eliud, Deus meus. Dicit igitur fidelis per dilectionem proximi, iſte eſt frater meus, & per dilectionem Dei recognoſcit Deus meus. Sequitur Eleazar, id eſt, Deus meus adiutor. Componitur enim ex Eliud, & Azor. Eliud enim ſonat Deus meus, & Azor adiutor vel adiutus: & ad quid recognoſcat Deum adiutorem ſuum, oſtendit Mathan, qui donum vel donans dicitur. Per bonam enim operationẽ expectat Deum datorẽ, & ſicut luctatus eſt in principio, & vitia ſupplantauit, ſic & in fine vitæ ſuç oportet iugiter luctari. Vnde Iacob poſteà ſequitur, & ſic peruenitur ad cumulum virtutum, & augmentum, quod per Ioſeph notatur. Ioſeph enim augmentum dicitur. Sed ſuper omnes virtutes neceſſaria eſt incarnatio Chriſti, ſine qua nullus poteſt ſaluari, quæ deſignatur per Mariam. Incarnatio enim Chriſti fuit nobis ſtella in mari, & lux in tenebris, per quã incarnationem natus eſt Ieſus, qui ducet nos in terram repromiſsionis, ille ſcilicet, qui dicitur Chriſtus, hoc ideò dicit, vt oſtendat eum eſſe Meſsiam. Iſte nos ſaluauit, & Reges & Sacerdotes fecit.

Allegoria.) Modò veniamus ad allegoriam. Iechonias, id eſt, præparatio Domini, conuenit Chriſto. Ipſe eſt enim qui dicit: Vado parare vobis locum.

Nota quòd prior Iechonias Domini reſurrectio, ſequens verò Iechonias Domini præparatio dicitur. Vtrumq; cõuenit Chriſto, qui dicit: Ego ſum reſurrectio & vita. Salathiel, id eſt, petitio mea Deus, illi cõuenit, qui dicit: Pater ſancte, ſerua eos, quos dediſti mihi vt ſint vnum, ſicut & nos. Zorobabel, id eſt, magiſter Babylonis, id eſt, confuſionis, illi conuenit, qui mundum de errore idololatriæ ad vitã veritatis conuertit. Abiud, id eſt pater meus iſte, illi cõuenit de quo pater: Ipſe inuocabit me, pater meus es tu. Eliachim, id eſt, Deus reſuſcitans, ille eſt qui dicit: Omnis qui videt filium, & credit in eum, habet vitam ęternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die. Azor, id eſt, adiutus, ille eſt, qui dicit: Ecce Deus adiuuat me, & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ. Sadoch, id eſt, iuſtificatus, ille eſt, de quo dicitur: Iuſtus dominus, & iuſtitias dilexit. Achim, id eſt, frater meus iſte, quis alius quàm ille, qui homo fieri voluit, vt poſſet habere fratres, de quib. ipſe diceret: Nunciabo nomen tuum fratribus meis. Eliud, id eſt, Deus meus, cõuenit Chriſto, qui dicit: Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Eleazar, id eſt, Deus meus adiutor, ille eſt, q̃ ex perſona hominis dicit: Deus meus adiutor meus, & ſperabo in eũ. Matham, id eſt, donãs vel donat⁹ eſt ille, qui dedit dona hominibus, & de quo dicitur: Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitũ daret. Ioſeph, id eſt, apponens Chriſto conuenit, quia ipſe Gentes Iudęis appoſuit. Omnes ergo hę generationes diuidũtur in tres teſſareſcedecades. Prima eſt ab Abraham vſq; ad Dauid, ita quòd Dauid ibi includitur. Secunda à Dauid vſq; ad tranſmigrationẽ, ita quòd Dauid ibi non includitur, ſed in tranſmigratione ſub ea continetur. Tertia eſt à tranſmigratione vſq; ad Chriſtum, in qua, ſi dicamus Iechoniam bis numeratum, tranſmigratio incluſa eſt. In prima teſſareſcedecade ſignificantur homines ante legem, in qua quoſdã homines naturalis legis inuenies, ſicut Abraham, Iſaac, & Iacob, & omnes vſq; ad Salomonem. In ſecunda teſſareſcedecade ſignificãtur homines ſub lege, & oẽs qui in ea inueniuntur, ſub lege fuerunt. In tertia homines gratiç, in qua Chriſtus continetur, qui gratiæ dator fuit. In qua etiam liberatio à captiuitate Babyloniæ facta eſt, ſignificans liberationem à captiuitate diaboli per Chriſtum factã. Iſti ergo omnes qui per diſtinctionẽ diuerſorum temporũ ponuntur in hac generatiõe, omnes vniuerſaliter Chriſti fideles ſignificare dicuntur, tum propter vitæ dignitatem, tum propter nominum ſuorum interpretationem. Vnde per quaterdenarium numerum omnes computãtur, quia omnes qui iuſtificantur, oportet vt cõpleant præcepta veteris teſtamenti, quod habemus per decem qui decalogũ ſignificant: & præcepta noui, quod habemus per quaternariũ, qui quatuor Euangelia ſignificat. Quatuordecim enim cõficitur ex quatuor & decem. Vel in hoc numero ſeptiformis gratia ſanctiſpiritus ſignificatur. Ipſe enim ex ſeptem & ſeptẽ cõficitur. Quod aũt geminatur,

ſignificat

significat gratiam spiritus sancti corpori & animæ esse necessariam,ad hoc,vt saluetur. Omnes enim simul accepti, quadraginta duo sunt, si duo Iechonię intelligantur,in quibus vniuersitas fidelium exprimitur. Iste enim numerus cõficitur ex senario & septenario, quia sexies septem quadraginta duo sunt. Per senarium sex opera misericordiæ intelliguntur, per septenarium requies ęterna designatur,quia in septima die requieuit Deus ab omni opere suo, quod patrârat. Omnes enim sancti per opera misericordiæ ad requiem æternam perueniunt. Vel per septenarium præsens vita habetur, qui per septem dies voluitur. Si autem secundum Augustinum quadraginta tãtùm, remoto Christo, connumerentur,oés sancti similiter per hũc numerum intelligũtur,quia ex quaternario & denario conficitur. Denarius ad decalogum refertur, quaternarius ad præsentem vitam, quæ per quatuor tempora transigitur: Verem, æstatem, autumnum, & hyemem. Omnes enim sancti præcepta legis in præsenti seruare debent. Vel, per decem vetus testamentum,per quatuor nouum,vt superiùs,intelligitur. *Christi autem generatio sic fuit.* Quasi diceret: Cæteræ generationes sunt ex concupiscentia carnis. Sed generatio Christi fuit diuersa ab illis, quæ fuit tantùm de Spiritu sancto. Quia sic erat,vt dicturus sum,ab initio mundi in prouidentia constituta. Vel aliter, Tales sunt distinctiones per tres tessarescedecades. Generatio autem Christi tota in massa accepta, sicut diximus, erat.

Cum esset desponsata.) Multa hîc à Matthæo prætermittuntur, quæ à Luca referuntur, annũciatio videlicet Christi per Gabrielem ad Mariam, & qualiter facta annunciatione exurgens Maria abijt cum festinatione in Montana, in ciuitatem Iudææ, & intrauit in domum Zachariæ,& salutauit Elizabet,& qualiter per Spiritumsanctum Elizabet conceptio Marię reuelata est, cùm exultaret in gaudio infans in vtero eius, & qualiter ibi mansit tribus mensibus, & reuersa est in domum suam. Post reuersionem autem illam,inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto,& ab hoc loco incipit Matthæus dicens: Cùm esset desponsata. Desponsatio fiebat per aliquod tempus ante assiduam cohabitationem, & interim erat sub custodia mariti sui vxor, & frequenti visitatione, donec solennia nuptiarum celebrarentur. Quæritur: quare de despõsata Christus virgine voluit nasci? Multis scilicet de causis, vt scilicet per ioseph generatio texeretur,& Maria ab infamia defenderetur. Cùm enim mulier sit fragilioris sexus,& magis pudibundi, voluit matrem suam & non seipsum ab infamia tueri. Ipse enim dęmonium habere dicebatur, filius fabri, & potator vini vocabatur, & tamen hæc & alia opprobria libẽter patiebatur. Præterea noluit virginibus dare occasionem excusationis,eò quòd mater Domini infamata fuisset. Propter etiam aliam causam voluit de virgine desponsata nasci,ne de fornicatione damnata,lapidib. obrueretur, & etiam vt haberet qui eam procuraret, & puerũ & eam in Aegyptum duceret & reduceret, & eius nutricius esset.

Dénique est & alia principalis causa, vt diabolo partus virginis celaretur, vt cùm eam grauidam videret,à sponso,cui liceret,etiam in desponsationis tempore grauidatam esse putaret. Significatur etiam per Mariã Ecclesia, quæ virgo & sponsa est. Dicit ergo:

Cum Maria mater eius.) Nõ quòd iam mater esset, sed eam matrem Euangelista secundũ suum tempus vocat.

Desponsata esset Ioseph,) vt iam dictũ est.

Antequam conuenirent,) Id est, nuptiarũ solennia celebrarent. Vel antequam communi cohabitatione conuenirent. vel antequam cõuenirent ad carnis commixtionem (non tamen ideò dictum est quòd posteà conuenissent) sed hic modus locutionis similis est illi,ac si aliquis diceret, antequam pœniteret mortuus est: nec tamẽ sequitur, quòd post mortem pœnituisset.

Inuenta est.) A Ioseph sicut à viro curioso circa vxorem suam. *Habens in utero,* Id est, grauida post tres menses,scilicet cùm de Elizabet redijsset. Diuina voluntate factum est quòd virgo noluit annunciationem angeli marito suo aperire. Si enim puella ei reuelaret, non facilè sibi crederet,imò aliquam culpam forsitan suspicaretur. Ideò sibi celandum erat, donec angelica demonstratione illum secretum sibi detegeretur. Sequitur: De spiritu sancto.) Hoc ex parte sua Euangelista adiunxit, vt cùm diceretur habere in vtero,omnis mala remoueretur suspicio à mentibus audientium. Notandum est quòd alio modo natus est Christus de Maria, alio modo de Spiritu sancto. Cùm enim dicitur de Maria natus est, de substantia eius intelligendum est,& tunc de,materiale est. Cùm autem de Spiritu sancto natus esse dicitur, quasi ex potestate Spiritus sancti, natiuitas illa fuisse intelligitur, & tunc de, potentiale est. Iuxta illud: Ex quo omnia,id est,ex potestate, cuius non ex substantia sunt omnia. Ideò dicitur natus esse ex potestate Spiritus sancti, quia Spiritus sanctus matrem ab omni peccato mundauit. Locum etiam præparauit in quo diuinitas incarnaretur. Et sicut concupiscentia libidinis semen à patre separat, sic operatio Spiritus sancti carunculam illã à matre separauit, cui verbum Dei cõditum est, & paulatim creuit in vtero, sicut & alij pueri, & quando cæteri viuificãtur animâ, ipse Christus animâ viuificatus est. Quamuis hæc operatio Spiritui sancto attribuatur, tamen toti trinitati communis est. Sed quæ ex sola gratia & bonitate Dei fiunt, Spiritus sancti dona dicũtur, qui bonitas, amor, & concordia Dei vocatur, quia

ab

ab vtraque persona Dei procedit. *Ioseph autem.* Cùm rem adeò mirabilem inuenisset Ioseph, in dubium ponitur quid faciat. Cùm enim eam castam nouisset, & vnde malum posset suspicari de ea,nesciret,impium esset si eã diffamaret. Ex altera parte iustitia nõ exigebat, vt rei incognitæ se copularet, quia aut bona erat aut mala. Si mala erat,rei malæ sociari non debebat. Si bona erat,timebat quòd nõ esset dignus. Itaq; medium consiliũ inuenit,vt occultè eã dimittat, vt eã dimissam non videatur dimisisse,sed semper loquatur cum ea,& semper procuret eam, & tamen in assidua cohabitatione nõ recipiat, cùm vellet eã dimittere,buia iustus erat,occultè,pius nominatur, eam ab infamia defendens, & hoc est,cùm iustus esset voluit dimittere: cùm nollet traducere in publicum, id est, infamare, voluit hoc facere occultè. Vbi nos habemus traducere, Greci habẽt propalare. Vel, cùm noluit eam traducere in domum suam ad cohabitationem assiduam. Itaq; diu cogitauit. In quo notatur animus sapientis, qui nihil temere vult incipere.

Hæc autem eo cogitante meruit diuinum consilium.) Angelus impressit imaginẽ suam dormientis animę,non quòd animus videret aliquod corpus, sed videbatur videre. Duobus modis fit apparitio angelica: Vigilanti,assumendo aëreum corpus: dormienti,imprimẽdo imaginationem, & tamen angelus qui præsens Ioseph erat nullum corpus habebat. Hæ visiones Iudæis erant notæ & frequentes. Angelus Domini dicitur,ne malignus putetur. Et ait: *Ioseph.* Cùm ex nomine vocat,quasi notum & familiarem sibi ostendit,& attentum reddit cùm dicat: *Fili Dauid.* Quodammodo hortatur,vt ad memoriam reuocet se, & Mariam esse de stirpe Dauid cui promissio facta est,& ideò nullatenus diffidat illam ꝓmissionem posse implere in Maria, cùm subdit: *Noli timere.* Ostendit quare hoc cogitabat,quia scilicet timebat se rei incognitę sociare. *Accipe Mariam coniugem tuam,* nuptiali consentu & assidua cohabitatiõe. Cùm vocet eam coniugem suam, secundum Augustinum hoc exemplo magnificè insinuatur fidelibus coniugatis, etiam seruata pari consensu continentia posse permanere,vocariq; coniugium,non permixto corporis sensu, sed custodito mentis affectu. *Quod enim in ea, &c.* Quasi diceret: Noli timere,quia non est malum. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Aliud est nasci in ea,aliud ab ea. Nasci ab ea,est prodire in lucem: nasci in ea, concipi. *Pariet autem filium.* Et ne videretur sibi Ioseph amplius cõiugio esse necessarius, cũ conceptio esset facta sine officio eius, ostendit quòd quamuis non sit necessarius conceptui, tamen vtilis est procurationi, quia ipsa pariet filiũ,& tunc matri & filio erit necessarius. Matri,vt ab infamia defendat: filio,vt eũ nutriat & circumcidat: quę circũcisio notatur vbi dicit:

Et vocabis nomen eius Iesum.) In circũcisiõe enim solet dari nomẽ. Quòd dicit vocabis, sed non impones, quia ab æterno impositũ est.

Ipse enim saluum faciet.) Causam nominis ponit, quia saluum faciet non quoslibet, sed populum suum in fide,non ab hostibus corporalibus, sicut Iosue & Dauid, sed *à peccatis eorum,* quod non est hominum,sed solius Dei.

Hoc autem totum factum est, quòd virgo desponsaretur,quòd casta seruaretur,quòd grauida inueniretur,quòd per angelum Ioseph reuelaretur,quòd concepisse & paritura esse diceretur. Hoc in quam totum factum est, vt impleretur, quod dictum est à Domino per prophetã Isaiam dicentem: *Ecce virgo.* Non enim hoc impleretur, quod virgo conciperet& pareret, nisi desponsata esset, ne lapidaretur, & nisi inuenta esset grauida,vt posteà à Ioseph occultè dimitteretur, & ita propalata non lapidaretur, & nisi ab angelo secretum detegeretur, & ita eam acciperet, ne aliquo modo eã esse dimissam per aliquã infamiam efflueret,& tunc lapidatione periret. Si ergo ante partum periret, cassaretur prophetia, quæ ait: Pariet filium. Quod necessariũ erat impleri. Prophetia alia ex prędestinatione Dei, ꝙ necessariũ est omnib. modis euenire, vt sine nostro impleatur arbitrio, vt illa de qua modò agimus. Alia ex præscięntia Dei, cui nostrum admiscetur arbitriũ, & cooperante gratia cõsequimur præmiũ, vel ab ea iustè relicti tormentum. Alia nõ ex prędscientia,sed est quasi quædã comminatio more humano facta. Sicut illud: Moriris & nõ viues. Et illud: Adhuc quadraginta dies,& Niniue subuertetur. Quę nõ implentur iuxta hoc quod verba sonare videtur, & tamẽ vera est secundum quod intelligitur. Sicut enim cõminando seruo nostro dicimus Interficiam te, tamen intelligẽdo,nisi te correxeris: sic Deus loquês more humano ait: Adhuc quadraginta dies,& Niniue subuertetur, intelligẽdo,nisi Niniuitę corrigantur. Et illud: Moreris & nõ viues, nisi fleueris. Et aliter potest intelligi. *Hoc autem totum factum est, ita quod impleretur, &c. Ecce virgo cõcipiet* Nota quòd sensum Isaię sequitur non verba,pro concipiet,dicit. *In utero habebit, & uocabunt homines,* pro vocabitur. Voluit Propheta ponere hoc nomen quod est Emanuel specialius, quod vtranq; naturam exprimit. Interpretatur enim: *Nobiscum Deus.* quasi diceret, Deus est nobiscum, id est, in natura nostra. *Quod interpretatur.* Ne mireris si Hebræus loquens cum Hebræis,exponit Hebræum per Hebręum,quia etiam apud Latinos multa sunt,quæ per alia verba Latina exponuntur. *Exurgens autem Ioseph.* Fecit nõ tantùm quod præcepit angelus,sed etiam sic præcepit.

Moralitas. Beda.) Quisquis à Deo mouetur soluat moras,surgat à somno,faciat quod iubetur. *Donec peperit.* Satis certum est,quòd postquàm Christus natus est, postquam Ioseph pastores audiuit, postquã magos vidit, postquam

Simeon & Anna de eo prophetauerunt eum nō audet tangere. Itaquè remouet tempus illud de quo maior ſuſpicio haberetur, ſicut Dauid qui dicit: Donec ponam,&c.

Filium ſuum primogenitum.) Suum,id eſt, de ſubſtantia ſua. Primogenitū,id eſt, genitum à patre, ante omnia genita. In quibus verbis natura diuinitatis & humanitatis aſsignatur. Vel dictus eſt primogenitus ſecundum vſum locutionis,non reſpiciendo ad ſecundum,quia omne quod primò naſcitur, primogenitum vocatur. Vel primogenitum reſpectu omnium fidelium : iuxta Paulum, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus, & hoc ſecundum dignitatem.

Et vocauit.) Hîc prętermittit multa Matthęus,quę à Luca referūtur,qui oſtēdit, & quomodo & vbi ſit natus,ſcilicet in Bethleē, & qua occaſione illuc Maria & Ioſeph profecti ſunt. Ait enim:Exijt edictū à Cęſare Auguſto &c.& qualiter angeli apparuerunt paſtoribus. Matthæus verò de die circumciſionis tantùm facit mentionem, dictus ita : *Et uocauit nomen eius Ieſum*, quod Lucas explicatiùs exequitur.

CAPVT II.

CVm ergo natus.) Quamuis Matthęus natiuitatem Chriſti prætermittat,tamen aduentum Magorum relaturus eam breuiter tangit,notans locum,tempus & tribum. Locum notat vbi ait, *in Bethleem*. Tribum, vbi dicit Iudæ. Tempus, cùm ſubiungit. *In diebus Herodis regis*. Iudæ apponit, ad differentiam illius quæ eſt in terra Zabulon. Duæ enim Bethleem ſunt, altera quæ eſt in terra Zabulon, altera quæ eſt in tribu Iuda, quæ priùs Effrata, quæ poſteà in augurium Chriſti venturi Bethleem dicta eſt: Effrata enim interpretatur videns furorem vel ſpeculum,quia poſteà exercuit Herodes furorem ſuum circa pueros, & quaſi de ſpecula Chriſtum venturum expectabat. Bethleem verò domus panis interpretatur, quia panis angelorum ibi natus eſt, & dignum erat vt in Bethleem Iudæ naſceretur,qui de tribu Iudæ proceſſerat. Tempus etiam conuenit. Quia ecce alienigena rex Iſrael factus erat, vt impleretur prophetia, quæ dicit: Non auferetur ſceptrum de Iuda,& dux de fœmore eius,donec veniat qui mittēdus eſt. Ex quo enim intrauerunt filij Iſrael in terram promiſsionis, iudices habuerunt vſque ad Saulem, deinde reges vſque ad tranſmigrationem Babylonis. Poſt verò reditum de Babylonia per Pōtifices gerebatur ſumma rerum vſq; ad Hircanum ſimul pontificem & regem, quo fratris inuidia vexato, & tandem ab Herode interempto, regnum Iudææ iuſſo Auguſti traditum eſt Herodi. Prophetia itaque completa eſt,quæ dicit:Cùm venerit ſanctus ſanctorum ceſſabit vnctio veſtra.

Ecce Magi.) Iſti tres Magi non, vt dicitur, malefici,ſed ſapientes aſtrologi fuerunt,de terra Perſarum & Chaldæorum, vbi eſt Sabba fluuius. Vnde Sabæa regio dicitur, iuxta quam Arabia eſt,vnde iſti tres reges fuerunt. Duæ enim Arabiæ ſunt,vna vbi eſt Sina,de qua ait Apoſtolus: Sina mons eſt in Arabia. Altera quæ eſt in zona calida. Vnde Lucanus:

Ignotum vobis Arabes veniſtis in orbem.

Iſti viderunt nouā ſtellam in aere,quæ nouū regem natū fuiſſe deſignabat. Babylonæi enim & Chaldæi ſunt periti aſtrorū. Dubium eſt,vtrùm ſtella orta ſit in oriente, an ipſi ibi poſiti natam circa terrā Iſrael ſtellam vidiſſent. Potuit enim eos naſci in oriente,& eos in Ieruſalē perduxiſſe, ſed dum Ieruſalem veniſſent quaſi ad caput regni,& ad Herodem diuertiſſent,eam ad tempus perdiderunt,& cùm ab eo diſcederent.

Ecce ſtella quam viderant in oriente anteceſsit eos, vſque dum veniens ſtaret ſupra, vbi puer erat.) Potuit etiam illis in oriente poſitis ſtella circa Ieruſalem apparuiſſe,& prophetiæ Balaam,qui de Chaldæa fuit, recordati fuerunt, de qua dicitur: Orietur ſtella ex Iacob, & vir ex Iſrael,& prophetia completa eſt,tum ſtellæ apparitione commoti,& Ieruſalem peruenerunt,& cùm ad Herodem diuerterent,diſparuit donec ab Herode diſceſſerunt, & tunc iterum ſtella eos anteceſsit,& vſq; ad Bethleem perduxit. Veritas verò rei ex Euangelio non poteſt percipi. Vbi enim dicunt : *Vidimus ſtellam eius in oriente* Poteſt intelligi : Vel nos exiſtentes in oriente vidimus ſtellam circa Ieruſalem, vel vidimus ſtellam poſitam eius in oriente. Diuina tamen inſpiratione credūtur incitati, cùm Deum eſſe credant quem adorare poſtulant. Sed Hieronymus ſuper Iſaiam dicit:Magi ab oriēte docti à dæmonibus, vel iuxta prophetiam Balaam natum intelligentes filium Dei, qui omnem artis eorum deſtrueret poteſtatem, venerunt Bethleem, & oſtendente ſtella adorauerūt puerū. Docti à dęmonibus dicuntur,quia per aſtronomiam, quam dæmones docuerunt, docti erant. Dæmones enim Chriſti natiuitatem ignorabāt. Nec refertur in Euangelio, quot reges fuerunt, ſed numerus eorum ex numero muneris percipitur. Nec ſoli,ſed multis militib. ſtipati veniſſe creduntur, ſed tantùm de regibus in Euangelio mentio habetur. Magi enim dicuntur ab oriēte veniſſe,eò quòd verè in vero oriente eſſent poſiti,ſed quicquid eſt vltra Ieruſalem verſus orientem, in oriente quantū ad eos dicitur eſſe. A die natiuitatis Domini creditur ſtella tātùm apparuiſſe, & peracto officio,cùm noua eſſet deſinit eſſe. Ait enim Fulgentius:Puer natus nouam ſtellam fabricauit. Nec mireris eos in tredecim dieb. veniſſe in Bethleem, cùm equos arabicos & dromedarios habeant,nec multum ſunt à Iudæa remoti. Refert tamen Haymo,& ſtellā ante natiuitatem apparuiſſe Chriſti, & eos iter ſimul incœpiſſe, & peracto officio ſtellam in puteum Bethleem decidiſſe,& aliquando ſolis ibi virginibus

nibus apparere,quod friuolum putatur.

Gregorius.) Meritò nato Domino angelus paſtoribus apparuit, Magos autem non angelus,ſed ſtella perduxit: quia Iudæis tanquam ratione vtentibus rationale animal, id eſt, angelus prædicare debuit. Gentiles verò, quia vti ratione neſciebant,per ſigna ducendi erant. Signa enim data ſunt infidelibus non fidelibus. Dignum etiā erat, vt per ſtellam Chaldæis (qui de ſtellis ſciebant) Chriſtus oſtēderetur, & per angelos Iudæis, qui angelos in Prophetis ſatis audierant, & ipſi aliquando viderant. Et tamen vtraquè lingua de cœlo erat,& ſtellæ & angelorum, quia iam ceſſauerat lingua Prophetarum.

Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum?) Videas tali inquiſitione Iudæos confutatos eſſe. Gentilis enim inquirit Deum, natum dicit, regemque Iudæorum aſſerit, Iudæus verò quærere cōtemnit iuxta ſe, quaſi inuentum non agnoſcit, regem ſuum fateri prorſus refugit,quod totum ſignificat illuminationem Gentium, Iudæorum autem excæcationem. Vnde nec meruerunt videre ſtellam : Cùm dixerunt, vbi eſt rex Iudæorum, ne Herodem quærere videantur,determinant dicendo qui natus eſt. Allegoricè ſecundum primitias Gentium deſignatur ſalus, gentiliumque intratura eſt ad Chriſtum. Præcedente ſtella,id eſt, fidei illuminatiōe, qua Iudæi carentes non venient ad Chriſtum, dum diuertunt ad Iudæos, ſtellam amittunt, quia dum à prauis hominibus & diabolo aliquod conſilium quærunt, veram illuminationem amittunt.

Vidimus enim ſtellam eius in oriente.) Rectè dicunt eius, quia licèt omnes ab eodem creatæ ipſius eſſent, hæc tamen propriè Chriſti erat quia illum modò natum nunciabat. Cæteræ ſtellæ ab initio mundi factę ſunt, vt diſtingue rentur tempora, & operarentur quædam nobis occulta. Audiens autem Herodes rex,alium natum regem Iudæorum quàm ſe, turbatus eſt, & propter ſe, quia timebat exitium regni ſui, & propter iram Romanorum quam pateretur ſi conſentiret. Decreuerāt enim Romani ne quis rex vel Deus ſine ſuo conſilio diceretur. Turbatus eſt propter aſtantem multitudinem Magos comitantem, quaſi erubeſcens alium quàm ſe quæri regem. Vnde notandum, quia rex hic nominatur, vt ex collatione eius qui quæritur, ipſe extraneus intelligatur. Et vide quia cœli regi nato, rex terræ turbatur: dum enim celſitudo cœleſtis aperitur,altitudo terrena confundi tur. Sequitur: *Et omnis Ieroſolyma cum illo*. Volens illi fauere quem timebat. Populus enim plus iuſtò illis fauet,quos crudeles ſuſtinet. Vnde Salomon:Rex iniuſtus omnes miniſtros habet impios. *Et congregans,&c.* Duo inueſtigat Herodes,locum & tempus. Locum à Iudæis, qui cognouerant ex Prophetis. Tempus à Magis, qui cognouerant à ſtella, vt circa locum illum quærere poſsit puerum : & ſi à Magis illudatur,pueros omnes illius temporis interficiat, & illius loc. Scribæ valdè ſapiētes erant, qui per ſe ſuperaddebant ſuas traditiones alijs traditionibus Moyſi,locum neſciebant Magi, quia Prophetas non legerant.

Scriptum eſt per Prophetam Micheam, Et tu Bethleem terra Iuda,&c.) Notandum eſt,quòd in teſtimonio ſcripturę vel obliuiſcendo vel inuidendo ſcriptores aliquando minùs ponunt,& quędam aliter dicunt, ſenſum tamen & veritatem Prophetæ exprimunt. Sic enim Hebraicè ſcriptum eſt, & tu Bethleem Effrata, parua es in milibus Iuda, ex te egredietur qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis. Secundum hæc verba ſenſus eſt talis : O tu Bethleem, quæ priùs vocata es Effrata, quamuis ſis paruus vicus inter milia ciuitatum Iuda,tamen ex te naſcetur Chriſtus, qui erit dominator Iſrael, qui non tantùm ex Dauid,ſed etiam egreſſus eius ab initio,quia ab initio natus eſt ex patre,ſicut ſcriptum eſt:In principio erat verbum : & ne initium videretur habere,determinat cùm dicat, à diebus æternitatis. Nec multum differt ſenſus iſte à verbis poſitis in Euangelio : cùm enim dicit, terra Iuda, tantundem valet quāntum Effrata. Quòd autem dicit: *Nequaquàm minima es in principibus Iuda*, id eſt, inter principales ciuitates Iudæ, non de quantitate, ſed de dignitate intelligitur. *Tunc Herodes clàm uocatis Magis*. Diligentia quærentis, vt ſi inuenerit, faciat quod poſt ſe velle oſtendit: ſin autem excuſatus ſit à Romanis, explorat etiam ſi rex eorum triſtes faciat Iudæos vel lætos. Ideò clàm Iudæis voluit hoc inueſtigare à Magis, quia timebat ne Iudæi quaſi ex diuino oraculo promiſſum regem occulerent, ſi ſe eum velle perimere præſentirent. Ideò etiam promiſit ſe adorare, ne dolum eius cognoſcerent, ſed potiùs ſine ſuſpicione ei de puero renunciarent. *Mittens ergò illos in Bethleem dixit, Ite interrogate diligenter de puero*. Cognito loco & tempore, perſonam pueri non vult ignorare. Nota quòd illud præcepit, quod abſque præcepto erant facturi. Quòd autem addit, *& cùm inueneritis,renunciate mihi*. Præceptio prę ſumptuoſa eſt valdè, quia putat quòd omnes debeant ſibi obtemperare. Sed vt ad renunciandum inuitaret ſubiungit, Vt & ego veniens adorem eum. Hic Herodes gerit perſonam hypocritarum, qui dum fictè quærunt Deum, nunquam inuenire merentur. *Et ecce ſtella*. Dimiſſo conſilio prauorum,ecce redit vera cognitio. Stella enim eſt quælibet exhortatio bona ducens ad Chriſtum, vel potiùs fides, quæ eſt mentis illuminatio. *Vſque dum ueniens,&c.* Hîc apparet quòd in aere poſita erat,qa domui in qua puer erat multùm fuit vicina. Aliter enim domum non diſcernerent plùs quàm aliam. *Videntes autem ſtellam, gauiſi*

gauisi sunt gaudio. Gaudet gaudio, qui ꝓpter Deum gaudet, qui est verum gaudium. Sicut vita viuit, qui in virtutibus viuit, & morte moritur qui in peccatis est. Addit & magno, quia de magna re, & valdè, quia nihil maius ipso. *Et intrantes domum.* Diuino nutu factum est, quòd non aderat Ioseph, ne aliqua malæ suspicionis occasio daretur Gentibus. *Et procidentes adorauerunt eũ.* Nõn fecerunt Herodi, quod fecerunt puero, quia credunt verbum in carne. *Et apertis thesaurĩs suis.* Quamuis arabes morem suæ Gentis in donis offerendis sequantur, qui in auro & thure & diuersis generibus aromatum abundant, tamen aliquid mysticum in donis intelligunt. Per aurum, regia potestas: Per thus, diuinitas & sacerdotium significatur: Thus enim soli Deo & à sacerdote offertur. Per myrrham, mortalis humanitas designatur. Corpora enim mortuorum myrrha condiuntur, quia ex nimia amaritudine per eam vermes extinguuntur.

Leo papa.) Quæritur an singuli singula, an vnusquisq; tria obtulerit. Sed magis fatendum est quòd congruit mysterio, scilicet, quòd singuli tria. Vnusquisq; enim regem & Deum, & passibilem eum credebant.

Gregorius, Moralitas.) Nato regi aurum offerimus, si in conspectu illius claritate supernæ sapientiæ resplendemus. Thus offerimus, si cogitationes carnis, per studium orationis in ara cordis incendimus. Myrrham efferimus, si carnis vitia per abstinentiam mortificamus.

Mystice) Veniunt gentes dimisso Herode, id est, diabolo, qui pelliceus interpretatur, vel dimissis hypocritis, qui verè pellicei sunt, id est, mortuis pellibus induti, id est, peccatis. Vnde Adam & Eua pelliceis induti tunicis, post peccatum fuisse leguntur. Veniunt stella præcedente, id est, fide, & intrant domum, id est, ecclesiam, dum pars ecclesiæ efficiũtur, & inueniunt Christum cum matre. Mater Christi sunt prædicatores, qui eum in mentibus audientium generãt. Aberat Ioseph, id est, populus Iudæorum, qui propter perfidiam & infidelitatem suam in consortio ecclesiæ locum non habent. Tres sunt, quia de tribus partibus mundi gentes veniunt, id est, Asia, Europa, & Africa. Vel quia de tribus filijs Noë procreatæ sunt. Thesauros in domo aperiunt, dum fidem cordis per confessionem oris ostendunt. Bene in domo non in via thesaurus aperitur, ne à latrunculis fortè rapiatur. Per hoc docemur ne thesaurum bonæ conscientiæ, iactando propalemus, ne à spiritualibus hostibus per inanem gloriam nobis subripiatur, sed soli Deo in tuto loco, id est, in secreto cordium offeramus. Et offerunt tria munera, id est, fidem sanctæ trinitatis: vel apertis thesauris scripturarum, historicum, moralem, & allegoricum sensum offerunt, vel logicam, physicam, ethicam, dum illa fidei catholicæ faciunt seruire. Non loquitur puer ad eos, ne diuinitas ante tempus reueletur, & vt vera habeatur humanitas, vnde & mox mittitur in Aegyptum.

Et responso accepto, &c) Mentibus enim quærebant quid vellet diuina volũtas de reuersione ad Herodem, & ideò diuinum consilium meruerunt. Sciendum est, quòd eandem visionem vna nocte viderunt omnes. *Per aliam viam.*) Legitur quòd Magi intrauerunt mare, & nauib. conductis peruenerunt ad Persiam, quæ naues cùm rediissent, Herodes putans eos assequi; audito transitu illorum, naues quæ eos asportauerunt, ex furore combusit.

Moralitas.) Admonentur fideles, ne inuento Christo redeant ad Herodem, id est, ad diabolum: sed per aliam viam, quam per viam diaboli, id est, per viam virtutum, redeant ad cœlestem patriam. *Qui cùm recessissent.*) Hîc prætermittit Matthæus diem purificationis, in qua omnes primogeniti offerebantur in tẽplo, & agnus vel par turturum vel columbarum. Quamuis timerent Herodem, tamen non sunt ausi transgredi legem, quin ad templum puerum deferrent, vbi Symeon accepit eum in vlnis suis, & Anna de eo multa prophetauit, quo facto fecessserunt in Nazareth. Cùm itaquè rumor de puero iam inciperet dilatari, mittitur angelus scilicet Gabriel, qui in Aegyptum faciat puerum transportari.

Surge & accipe puerum.) Vsus scripturæ est, sæpè puerum nominare, vt eũ agnoscamus, de quo dictum est: Puer natus est nobis.

Moralitas.) Fuga Christi nos docet, vt quotiescunq; habemus quod rationabiliter faciamus, non obijciamus nos periculo. Vnde dicitur: Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Fugit etiam quia scriptum erat, Non occides agnum in lacte matris suæ, hoc est, in infantia Christus non occidetur. Si enim ante prædicationem suam Christus moreretur, aduemus suæ incarnationis frustraretur. De hac fuga prædixit Isaias, Ecce nubem dominus ascendet leuem, & ingredietur Aegyptum, & mouebuntur simulachra eius. Quod factum est, quia domino intrante Aegyptum, idola templorum corruerunt, & cùm ibi latuisset septem annis in quadam ciuitate diutius habitauit, quæ vocata est Eliopolis, id est, ciuitas solis.

Mystice.) Ioseph figurat prædicatores, qui augmentant gentem domini, vnde & augmentum interpretatur. Hi portauerunt puerum & matrem eius in Aegyptum, dum fidem Christi & Ecclesiæ ad gentes transtulerunt, relicto Herode, id est, infidelitate Iudæorum. In nocte portant, quamdiu scilicet Iudæi sunt in nocte ignorantiæ. Sed tandem mortuo Herode, id est, infidelitate Iudæorum per prædicationem Heliæ & Enoch, fides Christi ad Iudæos transfertur.

fertur. Gerit etiam Herodes personam persecutorum, qui tempore Apostolorũ in Iudæa fuerunt, quando scilicet Christus in membris suis, id est, in Apostolis suis fugit ad gentes. Nota etiam quòd Mariam matrem pueri, non vxorem Ioseph dixit, quia deinceps nõ sponsus, sed quasi custos reputatus est eius.

Per prophetam Ozeæ. Tunc Herodes, &c æt.) Translato puero in Aegyptum, permittitur Herodes irasci & insanire, & se illusum à Magis animaduertere. Sciendum quia interfectio puerorum non statim facta est, sed per magnum tempus dilata. Cùm enim nihil sibi renunciatum esset, credidit Magos deceptos esse, & ideò ad se non reuersos, vnde tam diu quieuit à pueri inquisitione. Sed posteà vulgatis quæ dixit Simeon & Anna de puero, se illusum à Magis sensit, & tunc persecutus est illos vsq; ad Tharsum Ciliciæ. Quibus non inuentis, naues quibus transuecti fuerant, destruxit. Inde autem rediens interfectionem puerorum distulit. Timebat enim puerum à parentibus occultari; & ideò putabat se incautis parentibus, melius posse eum posteà decipere vel interimere. Alij dicunt, sicut Haimo, eum accusatum Romæ, & Romæ profectum esse, & propter has occupationes, necem puerorum per duos annos distulisse, & ideò pueros à bimatu interfeciisse. Sed est magis verisimile, post annum & quatuor dies Herodem in pueros desæuisse, & forsitan fuit illo anno aliquibus occupationibus prædeditus, vnde Augustinus: Quot & quantis occupationibus regia cura distendi potuerit, & per plurimos dies ab illa intentione vel auerti omninò vel impediri. Nec enumerari possunt causę, quibus hoc potuerit accidere, & quia timebat, ne puer cui famulabantur sidera, speciem suã paulò super & infra ętatem occultaret, ideò videtur pueros à bimatu vsque ad pueros vnius diei interfeciisse. Et ne puer in finibus Bethleem occultaretur, interfecit pueros non solùm in Bethleẽ, sed in omnibus finibus eius, vt in tanta multitudine nõ posset euadere, & ideò forsitan eos à bimatu interfecit, vt sicut addidit loco per tyrannidem adderet & tempori. Hi martyres ad inferos descenderunt, quia nondũ passus erat Christus, & ideò in solennitate eorum etiam tacẽtur voces gaudij, id est, alleluia, & gloria in excelsis Deo. Bimatus computatus est à natiuitate Christi, quod potuit fieri secundum tempus stellæ, quod exquisierat à Magis.

Vox in Rama.) Secundum historiam hæc prophetia de interfectione quã fecit Nabuchodonosor agit, quam præuidẽs propheta ait: Vox in Rama: quasi diceret, tanta interfectio erit in tribu Beniamin, quòd vox plorantium & vlulantium audietur in Rama, qui locus distat à Bethleem duodecimo miliario, & tunc Rachel quæ fuit mater Beniamin, plorabit filios suos, scilicet illos, qui de Tribu eius sunt, & noluerũt consolari, quia non erant, id est, quia mortui erant; & loquebatur ad similitudinem illius doloris & interfectionis, de qua legitur in libro Iudicum, quòd quidam Leuita venit cum vxore sua in tribu Beniamin, vbi quidam pessimi vxorem eius apprehendentes, ex nimia stupri assiduitate interfecerunt, quam maritus in duodecim partes diuidens, misit per duodecim tribus Israel, nequitiam Beniamin ostendendo. Quare aliæ tribus in Beniamin insurgentes, tribum illam destruxerunt, præter trecentos viros; & tunc tantus dolor habitus est, quòd vox dolentium in Rama audita est. Sed quamuis propheta de persecutiõe Nabuchodonosor hoc diceret, tamen significatum illius intelligebat. Nabuchodonosor enim omnes persecutores Ecclesiæ designat, qui interficiũt filios Rachel, hoc est, Ecclesiæ. Rachel enim ouis vel videns principium interpretatur. Ecclesia verò innocens est, & Deum cõtemplatur, ipsa est ouis centesima; quam pastor in humeris reportauit, & sic hoc tempore Herodis secundum significationem prophetia illa completa est. Herodes enim fuit primitiæ persecutorum, & pueri primitiæ martyrum. Plorat ergò Ecclesia per compassionem martyres interfectos, & vox illa auditur in Rama, id est, in excelso, id est, in cœlo. Rama enim excelsum interpretatur. Ideò dicitur vox in cœlo audiri, quia Deus vindicat sanguinem martyrum suorum. Et quamuis de temporali morte fleat Ecclesia, tamen non vult consolari de hoc, quia non sunt, id est, quia mortui sunt, quæ consolatio esset si in mundo reuocarentur. Vel non vult consolari, ita vt reddantur huic seculo, quia filij sui nõ sunt, scilicet de hoc seculo. Vel aliter, filios ecclesiæ vocat ipsos persecutores, qui tamen non sunt filij nisi per affectum illius: quia scilicet vellet eos esse filios suos. Illos etiam potiùs plorat Ecclesia, & non vult consolari, id est, mitigari dolorem suum quàm diu viuit: ideò, quia non sunt, id est, quia omninò perierunt. Sed quæritur iuxta literam: Quomodò Rachel plorauerit filios suos, cùm tribus Iuda quæ Bethleem tenebat non de Rachel, sed de sorore eius Lia fuerit orta? Quod facilè soluitur, quia non tantùm in Bethleem, sed etiam in omnibus finib. eius pueri sunt trucidati. Tribus autem Beniamin, quæ de Rachel orta est, proxima fuit tribui Iudæ, vnde credi potest, nõ paucos de Beniamin interfectos fuisse. Vel ideò quia Rachel iuxta Bethleẽ sepulta est, voluit propheta homines illius loci per Rachel designare.

Defuncto autem Herode.) Mortuus fuit Herodes turpissima morte, vt refert Iosephus: pro eo autem regnauit Archelaus filius eius supra totam Iudam & Galileam, & hic posteà damnatus à Romanis, Lugduno exilio relegatus est, & ibi mortuus. Posteà diuisum est regnum in

quatuor partes,& data est Galilæa Herodi filio Herodis Archelai fratri, iuxta Lucam, qui ait: Anno quintodecimo imperij Tyberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Iturææ & Traconitidis regionis, & Lisania Abilinæ Tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna & Caypha, factum est verbũ Domini super Ioannem. Cùm ergo regnasset Archelaus in regressione Christi de Aegypto, iam in prædicatione Ioannis mutatum est regnum. *Et uade in terram Israel.*) Non determinat angelus in quo loco terræ Israël, vt dubitante Ioseph iterum reuertatur,& de frequentiore visitatione angeli Ioseph certior reddatur. Quæritur: quare Ioseph non timuit ire in Galilæam sicut in Iudæam, cum & ibi regnaret Archelaus tam bene? Sed melius potuit faber ille latere cum puero in Nazareth, quàm in Ierusalem, vbi erat caput regni,& assiduus Archelaus.

Defuncti sunt enim) Ideò dicit pluraliter, defuncti sunt, quia tam bene Sacerdotes & Scribæ quærebant eum interficere sicut & Herodes. Quòd reuertitur mortuo Herode Iesus ad Iudæos, significat quod mortua infidelitate Iudæorum, tandem in fine seculi Iudæi conuertentur ad Christum: non tamen omnes, sed parum erit in quibus regnabit Archelaus, id est, Antichristus. Archelaus enim princeps populi interpretatur. Christus verò secedet in Nazareth, id est, in sanctitate, id est, in illis vbi flos sanctitatis erit, quæ est in Galilæa, id est, in transmigratione, id est, vbi fuit transmigratio à vicijs ad virtutes. *Nazaræus*, sanctus interpretatur, vnde Christiani priùs Nazaræi vocabantur: sed apud Antiochiam postèà in communi concilio à Petro mutatum est hoc nomen, & dicti sunt Christiani.

In diebus.) Hic prætermittit Matthæus illud totum tempus, quod fuit à reuersione de Aegypto vsque ad prædicationem Ioannis: sed Lucas interserit illud tantùm, quod circa duodecimum annum cùm parentibus ascendit in Ierusalem,& ibi solùs remansit. De Ioanne baptista dicit Lucas: Puer aũt crescebat & cõfortabatur spiritu,& erat in deserto vsq; in diem ostensionis suæ in Israel. Vixit enim in deserto indutus camelino cilicio,& cibis deserti vescens, sic edomans carnem,& prædicationi præparans se. Postquàm verò visum fuit idoneum tempus, scilicet circiter triginta annos incipiens prædicationem suam, & viam Domino præparans, ne Christus de se testimonium perhiberet. Fuit homo missus à Deo vt testimonium perhiberet de lumine. Ioseph in Aegypto triginta erat annorum cum regnum Aegypti suscepit. Dauid regnum eadem ætate inchoauit. Ezechiel tricenarius prophetare incepit. Christus similiter in eadem ætate prædicauit: quia in perfecta ætate & regnum & sacerdotium, & prædicatio fieri debet. Ioannes ergo circa tandem ætatem paulo ante Christum, sicut qui maior natu erat, prædicationem suam incepisse creditur. Quòd tempus designat Lucas per tempora dignitatũ sic: Anno quintodecimo imperij Tyberij Cæsaris,&cæt. non determinat Matthæus cùm ait:

CAPVT III.

IN diebus illis venit Ioannes,) id est, manifestauit se, qui tam diu priùs siluerat. Venit prædicans, venit baptizans, vt in vtroq; Domino viam præpararet, qui & prædicaturus & baptizaturus erat. Nisi enim homines baptizari consuescerent, baptismum Christi abhorrerent. Baptismus tamen Ioannis non conferebat remissionem peccatorum, quia nondum effusus erat sanguis Christi, sed tamen homines lauari consuescebãt. Quæritur ergo: Si moriebantur, an saluabantur baptismate Ioannis lauati? Si fidem habebant, in sinum Abrahæ descendebant, in inferno redemptionem expectantes, sicut Abraham. Isaac, qui non receperãt remissionem peccatorum, nisi sub expectatione. Omnes enim antiqui peccatorum originale & sua actualia retinebant, sed quasi dimitti sibi dicebant, dum effusione sanguinis Christi ab eis relaxari in futuro se credebant. Similiter dum pœnitentiam agerent sub Ioanne, non remissionem peccatorum recipiebant, nisi sub expectatione. Tantùm ergo proderat & pœnitentia baptizatis à Ioanne, quantum & Dauid pœnitenti,& omnibus antiquis. Oportebat ergo eosdem rebaptizari in baptismate Christi, vnde quidam inueniuntur in actibus Apostolorum baptizati in baptismate Ioannis, rebaptizati à Paulo in baptismum Christi. Sicut ergo Ioannes fuit præcursor prędicationis, ita & baptismatis. Dicitur ergo:

In diebus illis, id est, anno quintodecimo imperij Tyb. Cæsaris, venit Ioannes,) id est, manifestauit se,& qualis venit, subiungit baptista, *Et prædicans.* Vtrunq; enim faciebat, baptizabat & prædicabat, locum subiungit. *In deserto.* In deserto prædicat, vt per locum ostendat quo debeant fugere ad agendam pœnitentiam. Qui cunque enim vult agere pœnitentiam, vel mente vel etiam loco, ad desertum transeat. Potest enim homo in mente sibi eremum facere, si seculi postponat tumultum. *Ideo in deserto Iudææ*, vt ostendat Iudæam esse desertam à Deo,& ideò pœnitentiam debere agere, prædicans & dicens. Aliud prædicans, & aliud dicens, quia & dicens: *agite pœnitentiam*, quod præsentialiter faciendum erat,& prædicans: *appropinquabit enim regnum cœlorum*, quòd futurum erat pòst passionem Christi, vt ipse Christus potest vocari regnum cœlorum, per quem sancti regnant: vel Euangelium Christi, per quod auditores ad regnum cœlorum inuitantur, quòd vtrunque appropinquabit, quoniam Christus nondũ prędicabat.

dicabat. Aliud pœnitere, aliud est pœnitentiam agere. Pœnitere est anteacta deflere, & de flenda non committere. Agere pœnitentiam, est post pœnitentiam satisfacere, ieiunando, eleemosynas dando,&cæt.

Hic est enim.) Verè sic prædicauit, sic enim propheta prædixit: *Vox clamantis, &c.*) Aliud est verbum, aliud est vox. Verbum est intelligentia vocis. Ipsum, est aliquando in corde, aliquando in ore. Vox est vehiculum intellectus, quæ defert intelligentiam ad aures auditorum, & ostendit quod priùs erat absconditum in corde, vnde Christus vocatur verbum: In principio erat verbum. Ioannes vox: Vox clamantis in deserto. Christus enim erat verbum in corde patris, formatum verbum quasi in ore, quando Christus natus est habuit vocem, quæ illum ad auditorem deferret, id est, Ioannem. Erat igitur Ioannes quasi vox verbi clamantis: verbum enim clamabat in voce, id est, Christus in Ioanne. Clamabat in deserto, vt ait: Maximus, ne prædicationi eius insolens turba perstreperet, vel infidelis auditor irrideret, qui cum vera prædicantem nõ animaduerteret, Typicè autem secundum Bedam desertum illud significat, sanctorum vitam, à mundi illecebris segregatam.

Parate viam Domini.) id est, fidem & bona opera accipite, quæ sunt via ad eum quem prædico, *& rectas facite semitas eius.* Aliud est via, alid est semita. Via est lata, quæ significat laxiora præcepta. Semita est arcta, quæ significat arctiora, sicut est vita cõtemplatiua, vel inimicum diligere, vel alia bona facere.

Rectas,) id est, vt recta intentione fiant, nõ pro terreno, sed cœlesti modo, vel secundum Gregorium: Via Domini ad cor dirigitur, cùm sermo illius diligenter auditur. quasi diceret, Prædicationi meæ credatis, quatenùs ad præcepta Domini recipienda sint laxiora siue actiora, quando prædicauerit paratiores sitis. Ipse autem Ioannes quòd verbo prædicabat, exemplo ostendebat. Gerebat enim habitum pœnitentiæ, dum cilicio camelino indutus esset, & cibos syluestres comederet, & zonam pelliceam circa lumbos eius. Fecerat autem perizomata de pellibus siccis animalium circa lumbos, ad libidinem refrenandam. Locustæ sunt minuta animalia, & similes nostris, sed alterius saporis, plenæ quasi melle, & dulces ad comedendum, sed caput habent amarum, volant saltando quasi nostræ. Mel syluestre inueniebat in truncis siue in arundinibus. Sunt enim quædam harundines plenæ melle naturaliter. Moralitas est in veste Ioannis, vt asperis vtamur vestibus ad carnem domandam. In cibo, vt asperis cibis vtamur,& naturalibus, non multum solliciti circa extraneos & remotos cibos quærendos.

Allegoria.) Asperis vestitus est, quia vitia non palpauit, sed aspera inuectione increpauit peccantes. Zonam pelliceam circa lumbos habuit, quia carnem suam crucifixit cùm vicijs & concupiscentijs. Mel edit, quia eius prædicatio dulce turbis sapuit. Syluestre, quia sua prædicatio syluestris hominibus fuit impensa. Locustas edit, quia in locusta est ala & volatus, & cito deciduus. Similiter Ioannes volauit dum Christus putabatur, sed citò decidit, dum ab eo quæsitum est: Es tu Christus? Respondit: Non. Nota quod cilicium fiebat de pilis camelorum & caprarum. In eo enim puniebantur peccata, quæ per capram propter fœtorem, & per camelos propter tortuositatem intelliguntur. *Tunc exibant.*) Patet sensus literæ, quia qui viciniores & simpliciores erant, primi currebant ad suscipiendum verbum salutis. Mysticè designabatur, quod qui venit ad baptismum de mundana conuersatione, exire debet,& venire ad Iordanem, qui descensus interpretatur, id est, ad humilitatem confessionis,& emendationis: & debent esse Ierusalem, & Iudæa, id est, videntes Deum & peccata sua. *Videns autem.*) Duæ hæreses erant Iudæorum, scilicet Pharisæorum & Sadducæorum. Pharisæi nouas traditiones inueniebant, quas præceptis Moysi præferebant,& se alijs iustiores dicebant. Vnde Pharisæi, id est, diuisi ab alijs dicebantur. Sadducei verò quinque libros Moysi recipiebant, sed prophetas respuebant, & resurrectionem non credebant. Sadducæi iusti interpretantur. Isti ad baptismum Ioannis accedebant, audientes iram venturam,& per solum baptismũ sine pœnitentia peccatorum eam euadere putabant, quos ita increpat Ioannes: Progenies viperarũ. Filij viperarum dicuntur, quia filij Iudæorum sunt, qui parentes suos spirituales, id est, prophetas interfecerunt. Natura enim est viperarum, vt parentes suos interficiant. *Quis demonstrauit uobis*, hoc modo, id est, sine pœnitentia. *Fugere à uentura ira? Facite ergo.*) Quando quidem sine pœnitentia saluari non potestis, ergo facite fructus dignos pœnitentiæ secundum qualitatem criminis: & nolite confidere in semine Abrahæ, propter hoc solùm saluari posse credẽtes, quia carnales estis eius filij. Et hoc est, *Et ne uelitis dicere, &c. Dico enim.*) Quasi diceret: Ideò non debetis gloriari de semine Abrahæ, quia qui descendunt de Abraham carnaliter, non sunt filij Abrahæ, sed qui imitantur fidem eius: vnde etiam gentiles qui imitantur fidem Abrahæ, filij eius dicuntur,& hoc innuit cùm dicit:

Potens est Deus suscitare filios Abrahæ de lapidibus istis.) Cùm enim iuxta Iordanem esset, ostendit ibi duodecim lapides, qui gentiles præfigurabant. Iosue enim dum filios Israël in terram promissionis introduceret, veniens ad Iordanẽ, fecit per orationem suã scin-

di illum, & ſuperior pars ſtetit, & inferior defluxit in mare. Cumq; tranſiſſent, præcepit duodecim lapides de alueo transferri in ſiccum, & duodecim de ſicco in fluuium, in memoriam tranſitus Iſraël. Fluuius ſignificat fluxum iſtius ſeculi. Duodecim lapides ſignificant gentes, quæ priùs erant in fluxu huius ſeculi, dum idololatriæ ſtudebant. Alij duodecim Iudæos, qui quaſi extra fluxum erant, dum legem & cultum Dei habebant. Significauit ergo Ioſue, quòd Iudæi ſubmergerentur, & gentiles ad fidem venientes, à fluxu ſeculi ſaluarentur, vel retraherentur, & filij Abrahæ efficerentur. Dicit ergo Ioannes: *Potens eſt Deus ſuſcitare filios Abrahæ de lapidibus iſtis*, id eſt, de figuratis iſtis lapidibus. *Iam enim ſecuris, &c.*) Vt autem citius ad pœnitentiam conuertantur, poſt admonitionem illis comminatur, quaſi diceret: Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, quia iam, id eſt, in proximo, ſecuris poſita eſt, id eſt, Chriſtus. Securis dicitur Chriſtus, qui ex manubrio conſtat & ferro, id eſt, humanitate qua tenetur, & diuinitate qua incidit. *Poſita eſt*, quia & ſi per patientiam expectat, tamẽ ſatis cognoſcitur, quid ſit factura. *Poſita eſt ad radicem arboris*, id eſt, finem regni Iudaici populi. Arbor vocatur totus Iudaicus populus præſens. Radicem verò appellat extremos illos qui fuerunt captiuati ſub Tito & Veſpaſiano. Hos deſtruxit Chriſtus, quia fuit cauſa deſtructionis ipſorum, ſicut ipſe ait: Non remanebit in te lapis ſuper lapidem, eo quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ. Vel arbor vnuſquiſque homo, qui plantatus eſt in præſenti vita, de qua vita eradicatur vnuſquiſque quando moritur. Nondum percutit ſecuris, quia nondum homines excidunturà vita, & nondum in ignem æternum mittuntur, ſed parata eſt, quia citò feriet. Vel radix poteſt vocari voluntas, ex qua bona & mala procedũt, quaſi rami qui exciduntur in morte vniuſcuiuſque, iuxta Pſalmiſtam: Exibit ſpiritus eius, & reuertetur in terram ſuam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Vel ſecuris eſt ſententia iudiciaria, vel Euangelicus ſermo, qui alijs datur ad vitam, alijs ad mortem. *Omnis ergo arbor, &c.* Et quandoquidem ſecuris poſita eſt ad radicem arborum. Ergo, *omnis arbor quæ nõ, &cæt.* Notandum eſt quòd arbores digno incendio, aliæ ſunt ſiccæ quæ carent folijs, aliæ quæ habent folia, ſed carent fructu: Aliæ quæ habent folia & fructum, ſed amarum. Hypocritæ habent folia, quia ſpeciem pietatis prætendunt, ſed intus vacui ſunt à bono opere. Pagani verò carent & fructu boni operis, & ſpecie religionis. Hæretici verò gerunt ſpeciem religionis, & alijs prædicando fructum faciunt, ſed mortiferum dicitur vel amarum. Dicit ergo: Omnis arbor, ſiue arida, ſiue viridis & infructuoſa, ſiue viridis & mortifera, quæ omnes carent bono fructu, excidetur à vita præſenti & poſt mittetur in ignem æternalem. *Ego quidem.* Quaſi aliquis dicat: Vnde tanta comminaris, vel vnde confidis? Reſpondet: Non de me eſt tanta fiducia & tanta potentia, ſed de domino meo: *Quia ego tantùm baptizo in aqua*, non in ſpiritu, tamen Dominus in ſpiritu & in pœnitentia. Quamuis enim Iohannes in baptiſmate Chriſti omnia peccata poſſe deleri crederet, tamen ante baptiſmum Chriſti ad pœnitentiam inuitabat, quia volebat eos præparare & aptare, quatenùs compuncto corde & humiliato, per tantùm ſacramentum recipient remiſſionem peccatorum. Vnde Beatus Clemens, & quidam alij ſancti viri, illis qui turpiter vixerant, & conuerſi baptizari volebant, ſeptem dies abſtinentię, vel etiam plures, ad præparationem iniungebant. Vnde adhuc in catechumenis aliquod ſpacium ante baptiſma præſtituitur. *Qui autem, &c.* Ego tantùm in aqua baptizo, ſed magiſter meus qui venturus eſt poſt me, non naſcendo, ſed manifeſtaturus ſe baptizando, prædicando, *Fortior me eſt.*) Ego enim ſum fortis ad pœnitentiam inuitando, ille fortior peccata remittendo. Ego regnum cœlorum prædicando, ille fortior dando. Ego in aqua baptizando, illi Spiritui ſancto. *Cuius non ſum dignus.* Quæritur, cum alij Euangeliſtæ dicant, cuius nõ ſum dignus ſoluere corrigiam calciamenti eius: Iſte verò Ioannem dixiſſe, cuius non ſum dignus calciamenta portare, quæ horum verborũ dixerit Iohannes? Auguſtinus: Vel vtraq; dixit diuerſis temporibus, vel vtraq; in eadem oratione, vt ita diceret: Cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calciamenti eius, neque calciamenta portare. Calciamentum eſt totum incarnationis myſterium, vel totum Euangelium, Vnde Apoſtoli dicuntur habuiſſe ſandalia, quæ ſubtus ſoleas habent, de ſuper verò aperta & ligata corrigijs, quia pedes Apoſtolorũ ſunt calceati in præparatione Euangelij pacis. Euangelium enim debet prædicatores munire, ne terrenis adhæreant, ſed debet eſſe apertum audientibus, ad quos eunt. Non fuit igitur Iohannes dignus qui ad Euangelium portandum per orbem mitteretur, id eſt, qui officio apoſtolatus fungeretur. Iohannes tamen non fuit inferior meritis Apoſtolis, ſed tantùm officio miniſterij. Maius enim myſterium non fuit, quàm apoſtolatus, tamen in cælo non fuit Iohannes minoris dignitatis quam Apoſtoli. Quare autem noluit & Iohannem in appſtolatum eligere, ſed in præcurſorem Dei, ignoramus conſilium. Vel non fuit dignus ſoluere corrigiam calciamenti, id eſt, explanare quomodo diuinitas coniuncta eſt humanitati in vnam perſonam, & ligaturas aliorũ ſacramentorũ. Vel aliter, ſoluere corrigiã: Mos erat in lege, vt ſi aliquis ſuperbus repudiaret vxorẽ quæ ſibi cõpeteret, alius qui iure propinquitatis eã ducere vellet, diſcalciaret eũ qui repudiauerat illã in media porta, & ipſa

& ipſa ſpueret ei in faciem, & vocaretur ille inæternum opprobrium, vel diſcalceatus in populo. Ieſus verò habet ſponſam, id eſt, Eccleſiam, Iohannes autem amicus eſt ſponſi, & non inuidet ei, nec vult vſurpare officium eius, vt ſponſus dicatur, & hoc eſt, non ſum dignus ſoluere corrigiam calciamenti eius, id eſt, ducere ſponſam eius, quaſi diceret, non ſum dignus vocari ſponſus, ſed tantùm amicus ſponſi, quia qui habet ſponſam ſponſus eſt.

Ipſe vos.) Et quia fortior me eſt ex diuinitate, ideò dabit vobis quod nõ poſſum dare, ſcilicet remiſſionem peccatorum: *quia ipſe baptizabit uos in Spiritu ſancto*, remittendo peccata in baptiſmate, & poſteà in igne ſcilicet in confirmatione: Quoniam recipiunt homines Spiritum ſanctum ad corroborationem & inflammationem bonæ operationis. Quamuis enim etiam idem ſpiritus in baptiſmate & confirmatione conferatur, tamẽ diuerſa dona ibi accipiuntur, quia in baptiſmate datur Spiritus ſanctus ad remiſſionem peccatorum, in confirmatione autẽ ad munimentum bonorum operum. Vel deſignantur hæc duo genera purgationum, alterum in aqua vbi originalia & actualia condonantur per ſpiritum. Alterum verò, quando aliqua poſt baptiſmum ſubrepit macula, quæ vel igne pœnitentiæ, vel alicuius mundanæ perſecutionis, vel deniq; igne purgatorio, ſi qua leuis macula eſt reſidua, purgatur. Vnde in veteri lege perpetuus ignis iuxta altare poſitus erat, deſignans ſcilicet, vt qui Deo ſemel per fidem & regenerationem oblati ſunt, ſemper habeant ignem paratum in quo excoquant rubiginem peccatorum. *Cuius uentilabrum.* Præmiſſo beneficio, ſupponit comminationem, vt quos non poterit commouere per dilectionem, cõmoueat per terrorem. Ventilabrum eſt inſtrumentum quo grana à paleis in ventum excutiuntur, & tunc grana in area decidunt, & paleæ volando ſeparantur. Hoc vẽtilabrum ſignificat diſcretionem vltimi iudicij, quando oues ad dextram, hœdos autem ad ſiniſtram ponet. In præſenti Eccleſia, quę per aream ſignificatur, ſunt grana cum paleis, id eſt, iuſti cum malis permixti. Sed in vltimo iudicio permundabit Dominus aream ſuam, id eſt, Eccleſiam, malos ſeparando à bonis. Ventilabrum autem ideò dicitur eſſe in manu ſua, quia pater non iudicat quẽquam, ſed omne iudicium dedit filio. Et congregabit triticum, id eſt, bonos, qui non ſunt leues vt palea, ſed ſtabiles in bono propoſito, in horreum cœleſtis gloriæ.

Paleas autem,) id eſt, leues, qui quamuis cũ granis de Sacramentis fidei nati ſunt, tamen in dominicis præceptis ſolidati non ſunt, *comburet igne infernali.* Nota, quia non iudicabũtur infideles, quia iam iudicati ſunt, qui neque grana, neq; paleæ ſunt: quia neque boni, neq; cum bonis in fide generati ſunt, ſed ſunt zizania omnino diuerſi à meſſe triticea. De quibus dicitur in Euangelio: Qui nõ credit iam iudicatus eſt. Et ideò non fit hic mentio, niſi de tritico & paleis eius.

Tunc venit Ieſus.) Poſt prædicationem ſui præcurſoris Chriſtus prænunciatus eſt tandem: qui diu latuerat, hominibus ſe manifeſtare voluit. Et priùs homines exẽplo quàm verbo. Accedit igitur ad primum ſacramentum noſtræ redemptionis, non accepturus tamẽ remiſſionem peccatorum, qui immunis erat à peccato, ſed inuitaturus homines ad baptiſmũ exemplo. Tricenarius erat cum ſe manifeſtauit, in quo oſtẽdit nullũ vel ſacerdotẽ vel prædicatorẽ deberę inſtitui, niſi ſit perfectæ ætatis. Ioſeph tricenarius regnũ Aegypti ſuſcepit. Dauid regnum ea ætate inchoauit. Ezechiel ſub eodem tempore prophetare meruit. Plures cauſæ ſunt, quare Chriſtus ad baptiſmum acceſit. Primò, vt exẽplo nos inuitaret, ne aliquis forte ab inferiori baptizari, vel in cõſpectu hominũ denũdari eruberęſceret, & ita perfectionẽ totius iuſtitiæ, ſcilicet baptiſmũ, deuitaret. Secundò, vt baptiſmate ſuo baptiſmum Ioannis confirmaret. Tertiò, vt, aquas confirmaret, & quòd minus erat in baptiſmate Ioannis, efficaciam abluendi peccata eis daret. Quartò, vt operationẽ trinitatis per deſcenſum columbæ, per vocem patris, per præſentiam ſui, & cætera myſteria baptiſmatis declararet. Cùm Ioannes ita prædicaret & baptizaret.

Tunc venit Ieſus.) Id eſt, incepit apparere paulatim, qui diu latuerat. *A Galilæa*, ſcilicet à Nazareth, *in Iordanem.* Galilæa, tranſmigratio interpretatur: Iordanis, deſcẽſus. Quiſquis ergo vult baptizari, id eſt, tranſmigrare à vitijs ad virtutes, veniendo ad baptiſmum ſe humiliet, quod interpretatione Iordanis ſignificatur. *Ad Ioannẽ.* Venit Dominus ſcilicet ad ſeruum, ſuperior ad inferiorem, ne quantùmlibet potens ab inferiori, vel à ſeruo baptizari contẽnat. *Ioannes autem &c.* Quia Domini humillimam diſpenſationem cognouimus, ſerui etiam prudentem obedientiam attendamus, Obedire volebat, ſed cũ eum immunem à peccato cognoſceret, cauſam voluit ſcire quare Dominus baptizari poſtularet. Itaque ad tempus prohibebat eum dicens.

Ego à te debeo baptizari.) Quaſi diceret: Ego terrenus à te cœleſti, mortalis ab æterno, peccator à te iuſto debeo baptizari. Ego egeo, & tu non eges. Quare ergo venis ad me? *Reſpondens* Ieſus. Dicit Ioannes quod quærebat. *Ieſus dixit ei: Sine modò*, Id eſt, acquieſce modò voluntati meæ, & me modò ſine baptizari à te. Subdit breuiter rationem, quare velit baptizari *ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam.* Baptiſmus eſt conſummatio omnis iuſtitiæ. Quantumcunque enim fuerit iuſtus, religionis, eleemoſynarius, ieiunator, caſtus, &cæt. tamen ſi baptiſmatis gratia caret, nihil ei proficit. Vnde Cornelius ad Petrum miſſus eſt.

Baptiſ-

Baptismus sine virtutibus aliquando solus valet, sicut in puero, sed virtutes sine baptismate nunquàm. Ex quo dictum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu &c. Vocatur ergo consummatio iustitiæ, ad quàm Dominus volens homines inuitare, ne ab inferiori dedignentur baptizari, vel in conspectu hominum denudari, ideò vult exemplo docere quid alios oporteat facere, vt nullus pòst eum erubescat, & hoc est. *Sic*, id est, dum ego superior & non indigens baptizari, à te inferiori baptizabor. *Decet nos.* Scilicet me Dominum baptismum suscipientem, & te seruum me baptizantem implere omnem iustitiam, id est, docere consummationem omnis iustitiæ, quòd est ad baptismum inuitare. *Tunc dimisit eum* Id est, cõsensit ei, & nihil ampliùs interrogauit, quia quod quærebat intellexit.

Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua.) Secundùm situm loci, quia in valle erat, dicit Iesum ascendisse in Ierusalẽ. Quòd ascendit, pòst baptismum, significat quòd omnis baptizatus debet de virtute in virtutem ascendere, sine dilatione.

Et ecce aperti sunt cœli &c.) Voluit enim ostendere quòd cœlum pro peccatis priùs obseratum, post baptismum per gratiam fuit ei reseratum. Quæritur quare in aqua fieri voluit remissionis sacramentum? Scilicet, vt flammeum gladium, id est, ignem gehennalem nobis extingueret, quia aqua cõtrarium elementũ est igni. *Et uidit spiritum Dei.* Quæritur vtrum vera columba fuit, & qualiter Spiritus sanctus in ea apparuit, & quare dicatur Spiritus sanctus descendisse, cum totus sit vbique? Sciendum est, quia Deus qui inuisibilis est natura, per varias species & nouas se hominibus ostendit. Sicut Moysi in specie ignis in rubo. Sicut in angelis Abrahæ sub humana specie, & in alijs multis speciebus, quæ peractis officijs vel negotijs desinebant esse. Sic ista columba vera fuit, & noua creatura, per quàm Spiritus sanctus suam præsentiam in Christo esse ostendit. Non enim tunc primũ in Christo cœpit esse, quia tota trinitas plena fuit in eo. Sed quia homines ignorabant præsentiam spiritus esse in eo, ideò per visibilem speciem eam voluit hominibus repræsentare. Quæritur præterea, vtrùm in illa colũba esset Spiritus sanctus, & vtrũ propterea dicatur incarnatus? Erat quidem spiritus in columba, sicut in cæteris creaturis, quia eum totum vbique confitemur esse, sed non eo modo, quo filius in dominico homine. Ibi enim diuinitas in vna persona humanitati erat cõunita. Spiritus verò sanctus non erat cum columba vna persona, quæ posteà peracto officio, columba desijt esse. Vox patris similiter fuit vna de speciebus enuncians, quæ voluit Deus audiri. Non pater habet os & flatum, quo vocem emitteret. Dicitur autẽ Spiritus sanctus ideò descendisse per speciem, sicut Dominus aliquem allocutum esse per legatum. Dicitur autem spiritus & aliter descendisse, quia se humiliauit, cum per tam humilem speciem præsentiam suam manifestauit. Notandum etiã est, quod ideò columba supra caput Christi sedit, ne aliquis putaret, vocem patris ad Ioannem factam, non ad Dominum.

Hic est filius meus.) Posita columba super caput eius, secuta ex vox patris, dicens: *Hic.* Demonstratiuè ad homines, vt hac demonstratione faciat certiores. *Filius meus.* Id est, filius substãtialis. *In quo.* Quantum ad humanitatem. *Mihi cõplacui.* Dictum est ad similitudinem pictoris, qui sibi placet, dum suam picturam bonam cõsiderat. Quasi diceret: Adam fuit filius diaboli, hic meus: in illo mihi displicui, quia pœnituit me fecisse eum, in hoc nunquam, sed mihi in omnibus cõplacui. Ille mihi inuisus est, hic dilectus. Quæritur, cum Euangelistæ diuersa dicant patrem nunciasse. Matthæus enim ait: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Marcus verò: Tu es filius meus dilectus, in te complacui. Lucas verò: In te complacuit mihi, quæritur, in quam, quid horum Pater dixerit? Sed, vt ait Augustinus: Si varia dicãt Euãgelistæ de ista voce, non est multum mirandum, dum tantummodò sit eadem summa sententiæ: sicut si diuersi legati alicuius verba deferrent, nó eadem verba, sed eandem sententiam curarent dicere. Hæc omnia plena sunt sacramentis. Non enim Christus propter se, sed propter nos se manifestare voluit, quoniam in his omnibus ostendit, quod vnusquisque in baptismate accipit. Ideò enim tota trinitas hic demonstrata est, pater in voce, spiritus in columba, filius in homine, vt tota trinitas in singulis baptizatis operari credatur. Voluit ergo Spiritus sanctus potiùs in colũbæ specie apparere, vt perfectã speciem sui doni in baptizatos denotaret. Confert enim in baptismate nocentibus innocentiam & simplicitatem, quod per innocentem & simplicem auem, quæ felle caret, designatur. Hæc autem innocẽtia confertur, cùm remissio peccatorum hominibus tribuitur. Voluit ergo pro qualitate charismatis designanda, super Christum baptizatum in specie columbæ apparere. Super Apostolos verò in igne: in transmigratione in lucida nube. Dat enim spiritus, vt dictum est, innocentiam baptizatis: ardorem verò prædicationis, & illuminationem sciẽtiæ Apostolis & discipulis: claritatem verò corporis, quòd est nubes animæ resurrecturis. Significantur etiam septem virtutes infidelibus per columbam. Columba enim secus fluenta habitat, vt viso accipitre, mergat se in aquis, & sic euadat. Meliora grana eligit. Alienos pullos nutrit. Non lacerat rostro, felle caret, in cauernis petrarum nidificat. Gemitum habet pro cantu. Ita sancti prædicatores secus diuinæ scripturæ fluenta, quibus corda eorum rigantur, inhabitant, vt eorum munimento incursum diaboli euadant.

dant. Meliora grana, id est, meliores sententias, scilicet non hæreticas, quibus pascantur, eligũt. Alienos pullos, id est, homines priùs à Deo alienatos, qui diaboli pulli, id est, imitatores fuerũt, doctrina sua nutriunt & exemplo. Non rostro lacerant, id est, bonas sententias more hæreticorum lacerando non peruertunt. Felle, id est, ira irrationabili carent. In cauernis petræ nidificãt, id est, in plagis mortis Christi, qui firma petra est, nidum ponunt. Per nidum quippe refugiũ, & spes designatur. Columbæ enim adueniente imbre, ad nidum fugiunt, & spem prolis in nido ponunt. Gemitum habent pro cantu, id est, sicut alij delectantur in cantu, ita ipsi in tribulatione & gemitu. Dicitur ergo: *Hic est filius meus*: quia fideles in baptismate filij Dei efficiuntur. Vnicuiq; enim dicitur: Hic, qui priùs erat filius diaboli, modo est filius meus, qui priùs inuisus, modo dilectus. In quo mihi prius displicui, modo complacui. Hoc tantùm sacramentum baptismatis multis figuris in antiquis temporibus est præsignatum. In arca Noë, in mari rubro, in circuncisione, in multis alijs rebus, quod hic tandem completum est.

CAPVT IIII.

TVnc ductus est Iesus in desertum à spiritu.) A quo spiritu, Lucas apertiùs ponit, dicens: Quia Iesus plenus spiritu sancto regressus est à Iordane. & deinde subdit, Et agebatur à spiritu in deserto. Non est enim putandum, quòd violentiam intulisset illi immundus spiritus, qui spiritum sanctũ acceperat. Hoc desertum est inter Ierusalem & Iericho, vbi morabantur latrones. Vndè à Domino dictũ est: Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit inter latrones. Homo dico, gerẽs figuram Adæ, qui à dæmonibus victus est, & peccatis sauciatus, & à virtutibus spoliatus, qui locus vocatur Damin, id est, sanguinum, propter effusionem sanguinis, quam ibi faciebant latrones. Conueniens ergo fuit, vt ibi Christus diabolum superaret, vbi diabolus hominem sub figura superasse dictus est. Baptizatus aũt Christus, vadit statim in desertũ, ductu spiritus: quia omnis fidelis pòst baptismũ debet postponere mũdum, & aut petat corporaliter eremũ, aut vacans à tumultu seculi, faciat in mente desertũ, & ductu spiritus accingatur ad pugnã cõtra diabolũ. Tunc enim persequitur hominẽ, cùm se viderit derelictũ. Vnde Christus pòst baptismum permisit se tentari nõ antè, vt tentationes baptizatis doceret immitti. Diabolus enim ante baptismũ, dum eos suos esse putat, non eos ita acriter aggreditur. Filij Israël pòst maris transitũ, id est, baptismũ morantur in deserto, donec venirent ad terrã promissionis, nec est dignus aliquis comedere manna, id est, corpus Domini, nisi in deserto moretur, id est, nisi tumultus huius seculi & cõcupiscentias, si nõ corpore, saltẽ mente deserat. Et quia tunc imminent tentationes, accingãtur ad pugnã. Vide ergo ordinẽ. Tria sunt genera tentationũ: in cõcupiscentia carnis, in concupiscentia exteriorũ, quæ dicitur tentatio oculorũ, in superbia vitæ: Omnia aũt alia mala ex his proueniunt, siue ira, siue inuidia, siue cõtentio, siue odiũ, siue homicidiũ, siue furtũ, siue alia genera. Ex gula, luxuria, dormitiõis delectatio, & voluptates aliæ. De cõcupiscentia carnis sunt diuitiæ, honores, & similia. Cõcupiscentia est exteriorum. Superbia vitæ, est vana gloria de bonis operibus. Naturaliter aũt priùs tẽtat diabolus in concupiscentia carnis, quæ est homini vicinior & quasi naturalis. Posteà in exterioribus. Cõcupiscentia verò carnis solet incipere à gula, quia satur venter luxuriã appetit, & cæteras voluptates. Et ideò debet fidelis priùs gulã domare, quæ est porta & initium cæterarũ voluptatũ: & quia contra gulam primitus insurgit, à ieiunio, quod est frænum gulæ, incipit. *Et cùm ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus.*) Iste numerus consecratus est ieiuniorum, priùs à Moyse, & posteà ab Helia, vt à lege & prophetis cõfirmetur.

Deinde à Christo, qui est noui Testamenti lator. Moyses ieiunauit quadraginta diebus, alloquio angelico confortatus. Helias similiter in fortitudine cibi angelici iuit per quadraginta dies vsq; ad montem Dei Oreb, dum fugeret Iezabel. Iesus verò nullum habebat exterius solatium, neq; seruitium angeli, neque cibum: sed intus habebat, quòd sustẽtabat, ne deficeret per humanam fragilitatem. Illi non leguntur esurisse, iste verò pòst voluit esurire, vt diabolo potentiam suam cælaret, & occasionem tentandi diabolo conferret. Mysticè etiam esurijt Christus, quia salutem nostram desiderabat. Quadragenarius significat totũ tẽpus præsentis vitæ, in quo oẽs homines collecti de quatuor partibus mundi, decem præceptis armari contra tentationes debent. Vnde ex quaternario & denario fit. Vel quatuor significat omnes illicitos motus corporis, qui proueniunt ex quatuor humoribus, id est, quatuor elementis, de quibus caro constat, contra quos motus decem præcepta opponi debent. Decem præcepta diuiduntur in tria & septem. Tria pertinent ad Deum, septem ad proximum: quia homo ex anima, quæ habet tres vires, & corpore, quod constat ex quatuor elementis. Ideò quadraginta annis filij Israël in deserto fuerunt. De noctibus ideò facit mẽtionem, ne per dies ieiunasse, & per noctes comedisse, vt hæretici dicunt, credatur. Quadraginta diebus, indigens cibo, dum mortalis viueret, ieiunauit. Quadraginta verò diebus, pòst resurrectionem, non indigens cibo, cũm discipulis comedit. In primis enim quadraginta diebus homo in tentatione positus, hominem quid faceret in agone docuit: & per quadraginta alios, quòd quandiu pugnarent, & à vanitate seculi ieiunarent, cùm eis esset, & in eis come-

comederet, id est, delectaretur, præmonstrauit. Quadragenarius enim vtranq; præsentem & futuram vitam designat. Et nota, quod duæ abstinentiæ sunt, alia dum carnem domamus, alia dũ motibus sedatis, ex nimia cõtemplatione & desiderio futurę vitæ, comedere obliuiscimur. Itaque abstinentia alia mœroris, alia gaudij. Voluit autem Dominus sponte esurire, vt diabolo tribuatur tentandi occasio. Christus etiam esurijt, vt celaretur Deus esse: quæ tamen esuries, nostræ salutis desiderium, quod habuit, designat. Helias verò & Moyses non esuriunt, vt diuinæ potentiæ essent exemplum. Tantum Christus voluit ieiunare, quantum illi duo, qui fuerant homines, ieiunauerant: quia si plus quàm homines ieiunasset, supra homines eum esse tentator intelligeret, & ideo tentare non auderet. Si minus, eum esse Deum hæreticus negaret, & purum hominem assereret: quia nec hoc egisset, quod puros homines fecisse cognosceret. Ieiunauit autem ideo quadraginta diebus & quadraginta noctibus, vt indicaret nos ab illicitis debere ieiunare, siue in tempore prosperitatis, quod per dies designatur, siue in tempore aduersitatis, quod per noctes notatur. *Et accedens tentator.* Visa esurie, accessit tentator, quia non putabat Deum, quem fragilem videbat. Viderat stellas, viderat Magos, audierat Ioannem clamantem, Hic est agnus Dei. Audierat forsitan de cœlo vocem patris, sed putauit eum vocari filiũ adoptiuum, sicut & alios sanctos. Audierat prophetas, sciebat Christum venturum. Sed quum omnia ista vidisset signa, non tamen credidit esse Deũ, & hoc faciebat eius superbia. Credidit enim, quod sicut ipse nunquam voluit pati infirmitatem, sed voluit etiam super omnia exaltari, sic non credidit Deum velle vllam pati infirmitatẽ, iudicans eum ex animo suo: & ideò visa infirmitate in Christo, eum esse Deum nullo modo credidit, & tamen explorat, quum dicit: *Si filius Dei es.* Et tentat, cùm dicit: *Dic ut lapides isti panes fiant.* Volebat enim per panem visum gulam incitare. Qui enim esurit, viso cibo plus cupit. Volebat enim permutationem tentare potentiam, & tamen si miraculum videret, non ideò crederet, quia etiam prophetas viderat maiora fecisse, sed hominem per panem illudere volebat. Satis cõuenienter lapides offert, qui durus est & impœnitens: & quia scriptũ audierat: Ipse dixit, & facta sunt, quasi per potentiam blanditur, dicens: Dic solummodo & fiet. *Si filius Dei es.* Qui respondens dixit. Docet nos contra tentationem clypeum scripturarum opponere. Non vtitur diuina potestate, cùm posset tamen eum, vt Deus fugare, quia veritatem suæ diuinæ potentię noluit ostendere, vt qui incertus venerat, incertus rediret. *Non in solo pane.* Ista autoritas sumpta est de Deuteronomio, Moyses enim vidẽs, quòd homo de gemina substãtia factus est, videlicet corpore & anima, & neutrum sine sustentamento posse subsistere. Corpus enim petit terreno cibo sustentari: anima verò, quæ est substantia spiritualis, pane cœlesti, ait: *Non in solo pane uiuit homo, &c.* Deus est panis angelorum, sed homo Deũ non potest comedere, nisi factum lac, ideò per figuras ei ostenditur, id est, per verba, & per alias ostensiones, quæ omnia verba dicuntur, & ideò dicit, quòd homo viuit, *In omni uerbo*, Id est, in omni genere locutionum, *Dei*, id est, in quibus Deus ostenditur. Quæritur, quomodo hæc respõsio tentationi supradictæ repugnet? Solutio, hoc sonat, quasi diceret, persuasio tua patet, quia tẽtantis est. De cibo enim corporis agis, qui communis est cùm pecoribus, non de cibo mentis, qui est nobis communis cum angelis. Si enim amicè ageres, de meliori cibo prius me admoneres, sine quo nemo verè viuere potest. *Nõ enim in solo pane, &c. Tunc assumpsit.* Nota, quod Lucas ponit istam tentationem vltimam, & tentationẽ de monte secundam, quòd videtur magis secundum historiam esse. Natura enim exigit, quòd diabolus tentet prius de concupiscentia carnis, deinde de concupiscentia exteriorum, tandem de superbia bonæ vitæ. Sed Matthæus refert secundum hoc, quòd in Adam factæ sunt, & per eas victus est, vt in eodẽ ordine, quo homo prius est victus, secundus Adam vicisse ostendatur. Dicitur enim Adam priùs tentatus per gulam, dum dicitur: Et videns lignum, quòd esset pulchrum visu, & ad vescendum suaue. Postea per inanem gloriam, dum dicitur: Eritis sicut dij. Quod superbia erat, transire, scilicet vltra se, & velle domino suo parificari. Deniq; per auaritiã, dum dicitur: Scientes bonũ & malũ. Tam bene est enim auaritia cupiditas sciẽtiæ, sicut pecuniæ, & iste ordo factus est tunc, secundũ hoc, quod diabolo conuenientius visum est. Postquam verò corrupta est natura, alius ordo supra dictus à natura constitutus est. Prius per concupiscentiam carnis, deinde exteriorum, &c. in Adam enim nullus ordo naturaliter erat, quum nullam concupiscentiam sentiret. Quæritur, quomodo hæ tentationes factæ sunt, quum Marcus dicat, quòd quadraginta diebus in deserto fuit, & tentabatur à Satana? Videtur enim velle, quod omnes tentationes in deserto essent. Dicunt igitur quidam, quod animo factæ sunt hæ tentationes à diabolo, nõ visibiliter apparente. Suggerebat enim ei diabolus, vt de lapidibus faceret panes, & ascenderet supra pinnam, & inde se præcipitaret, vt diabolum adoraret, propter regna mundi. Alij dicunt, quòd visibiliter ei apparuit, vt homo, quod verius est, & locutus est cum eo. Et vocauit Ierusalem desertum, id est, à Deo derelictum, vt omnes tentationes dicantur in deserto fuisse, sed hoc non est necessariũ, quoniam litera Marci non cogit, quia tantùm dicit, quod à Satana tentaretur. Verum quidẽ est, quod in deserto eum tentauit, sed nõ dicit tantùm in deserto. Iterum quæritur, quomodo assumpsit?

sumpsit? Alij dicunt, quod eum transportauit, & statuit supra pinnam: quod non est mirum, si permisit se transportari à diabolo, qui permisit se leuari in cruce à membris diaboli. Alij dicunt, quia duxit eum per viam vsque in Ierusalem, quod videtur velle Lucas, qui dicit: Et duxit eum in sanctam ciuitatem, & ascenderunt supra pinnã, sicut & alij homines. Quæ fuit vltima tentatio, postquam regressus est à deserto, & venit in ciuitatem. Iste creditur esse magister dæmoniorum, qui Dominum tentauit. Mos architecturæ est in Palæstina, vt tecta desuper plana, non cacuminata habeantur. Similiter templum Salomonis factum erat planum desuper, & in gyro cancelli deambulatorij, ne quis incautus inde laberetur: & erat ibi sedes doctorũ, vt inde loquerentur populo infrà posito. Cancelli dicuntur illa in gyro muralia, vnde prospiciunt homines. Inde Cancellarij dicuntur, qui habent sermonem ad populum de mandatis regis vel imperatoris, quia iussa regis solent in cãcellis prædicare. Cancelli similiter dicuntur feneſtræ, de quibus prospicitur: ideò duxit eum super pinnam templi, quum vellet eum de vana gloria tentare, quia ibi in cathedra doctorum multos deceperat in gloria, ideò putauit & istũ positum in cathedra magisterij, in vanam gloriam extollere posse. *Si filius Dei es.*) Iterùm explorat, quum dicit, *si filius Dei, &c.* & tentat, vbi dicit, *Mitte te deorsum.* Stulta fuit persuasio, quæ dicit: Mitte te deorsum, præsertim filio Dei. Rectius enim diceret: Si filius Dei es, ascẽde in cœlum: quod si faceret, verùm se esse filium Dei comprobaret, sed diabolo conuenit, vt in præcipitium ire commoneat. *Scriptum est enim, quia angelis, &cæt.*) Authoritate scripturę Christus se defendit, & authoritate scripturæ diabolus persuadet peccare. Sed notandum, quod scripturam peruertit. ait enim scriptura de quolibet bono homine, & dicit: quod Dominus angelis suis, sicut ministratorijs spiritibus, præcepit, quod in manibus, id est, auxilijs suis, extollant bonum hominem, & ita custodiant, ne offendat pedem, id est, affectum mentis, ad lapidem, id est, veterem legem scriptam in lapideis tabulis. Ait illi Iesus rursum, *Non tentabis, &c.*) Notandum, quod ista verba à diabolo non sunt directa. Sic enim dicta sua temperauit, quod se Deum esse non manifestauit, sed à Moyse sumpta sunt, qui dicit in Deuteronomio, cuilibet homini: Non tentabis Dominũ Deum tuũ. Nõ enim debemus Deũ tentare, quandiu habemus quod rationabiliter faciamꝰ, sicut Abraham de vxore, quam sororem vocauit. Sed postquam necessitas ingruit, tunc debemus Deum vocare, & petere quod necessarium est. sicut filij Israël ad mare rubrum, & quando petimus, non cum tentatione, sed confidenter. Cum tentatione petebant filij Israel, quum dicerent: Nunquid poterit Deus parare mensam nobis in deserto? & si fuerit morte deprehensus, ponat totum in voluntate Dei, nisi ereptionem suam inimicis viderit vtilem, sicut tres pueri in camino ignis. Tentare Deum esset, si præcipitem se daret, quum descendere posset, sicut & cæteri homines. *Iterùm assumpsit, &c.*) Tentaturus de auaritia in montem ducit, quia superbia est vermis diuitiarum, & quia ambitio semper alta petit, *& ostendit ei omnia regna mundi, &c.*) Vel simpliciter illo surgente, totus mundus ab eo visus dicitur: vel vanitatem mundanæ pompæ sibi exposuit, dicens: Talia & talia sunt regna mũdi. Nec est peccatum concupiscibilia habere in mẽte sine cupiditate, sicut videre medici solent genera morborum sine labore, vel læsione, quæ omnia promittit mentiendo, quum ea potiùs Deus donet, sicut Sauli & Dauid, & multis alijs. Ipse enim non potest dare aliquid in mundo, nisi quantum Deus permiserit. *Si cadens.* Verè cadit, qui eum adorat. Ecce superbia diaboli antiqua: sicut enim in principio voluit se Deo similem facere, ita nunc volebat diuinum cultum sibi vsurpare. *Tunc dixit ei Iesus: Vade Satana*, qui scilicet saluti aduersaris, quum creaturam iubeas adorari. Satanas enim aduersarius interpretatur. Non autem, vt plerique putant, condemnatur Petrus eadem sententia, qua Satanas. Petro enim dicitur: Vade retro me Satana, id est, sequere me, qui es contrarius meæ voluntati. Hic verò audit: Vade Satana, & non additur, Retro me, vt potiùs intelligatur in ignem æternum, qui præparatus est tibi. Hic iterùm est authoritas in Deuteronomio, vbi Moyses clamat omni homini: Dominum Deum adorabis. quasi diceret: Non te debeo adorare: qui Moyses prohibuit idololatriam. Quæritur, quare quum dicat *soli*, an seruitus Regis prohibeatur, vel alterius hominis? Nequaquam, quia apud Hebræos & Græcos distinguitur quædam specialis seruitus Dei, quæ dicitur latria. Nos verò non habemus proprium nomen illius, sed commune nomen ponimus, sicut ipsi habent quoddam commune, quod significat quamlibet seruitutem, scilicet dulia.

Tunc reliquit eum diabolus.) Si dicamus vltimam tentationem fuisse in ciuitate, ita legẽdum est: Tunc, id est, peractis omnibus tentationibus reliquit eum diabolus, non habens quid ageret, sed per omnia victus: quæ relictio supra pinnaculum templi intelligenda est, secundum Lucam. Si autem dicamus Matthæum ordinem historiæ sequi: diabolus reliquit eum in monte. *Et ecce angeli, &c.*) Quasi à longe agonem Domini Angeli aspiciebant, ne videretur eorum præsidio eguisse vel vicisse. Vt verò ille victus discesserit, parati ad obsequium venerunt, qua in re ostẽditur in agone nostro victo diabolo, quod nobis Angeli congaudentes accedant.

Cum autem audisset, &c.) *Quam diu prædi-*

uauit ferum, expectauit dominus. Posito autem eo in vinculis, incepit prædicationem publicã, reliqua autem fecerat priuatim, & si locutus fuerat, non tamen ad turbas, sed quasi in occulto. Tres Euangelistæ incipiunt à publica prædicatione Christi, ex quo captus est Ioannes. Ioannes verò Euangelista refert multa quæ prætermissa fuerant ab istis, quæ facta sunt antequam Ioannes traditus esset. Refert enim Ioannes, quod post reuersionem de deserto, erat Christus iuxta Iordanem, & venerunt ad eum duo discipuli Ioannis, Andreas & quidam alius, & dixerunt ei: Magister vbi habitas? &c. Et de Nathanaele etiam refert, quomodo cum eo locutus est Dominus. Deinde iuit in Chana Galilææ, & fecit miraculum de vino. Postea secessit in Capharnaum, vbi habitauit cum matre & discipulis. Quos discipulos vocat Euangelista, non quod discipuli essent tunc, sed nomine quod modò habebant, vocauit: sicut si modò diceremus, Paulus Apostolus natus est in Tharso: non quod Apostolus tunc vocaretur. Et tunc in Pascha ascendit in Ierusalem, & inuenit vendentes & ementes in templo, & expulit eos, quod & alia vice postea fecit, scilicet circa passionem suam, vt refert Matthæus. Bis enim vt ait Augustinus, fecit hoc miraculum. In illo aduentu locutus est cum eo Nicodemus nocte. Inde venit in Iudæam, & baptizabat, quamuis non ipse baptizaret, sed discipuli eius. Erat enim tunc Ioannes baptizans in Enon iuxta Salim: nondum enim Ioannes missus fuerat in carcerem. In his verbis datur intelligi, quod omnia ista facta sunt, antequam captus esset Ioannes. Tunc discipuli Ioannis dixerunt ei: Rabbi, cui tu testimonium perhibuisti? Ecce hic baptizat, & facit plures discipulos quàm tu. Vt autem cognouit Iesus, quia audierunt Pharisæi quod Iesus baptizabat, & plures discipulos faceret, quàm Ioannes, quanquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius, reliquit Iudæam, & abijt iterum in Galilæam. Hic ait Augustinus: Tunc intelligimus iam traditum fuisse Ioannem. De primo itaq; aduentu Christi in Galilæam, non agunt tres Euangelistæ, sed incipiunt ab hoc vltimo.

Quæritur, quot annis durauerit prædicatio Christi & miracula eius? In qua re diuersi diuersa sentiunt. Alij dicunt sequentes Ioannem, qui tantùm facit mentionem triplicis Paschæ, quod per duos annos & dimidium prædicauit, & fecit miracula. Alij quod per tres & dimidium, quod magis habet veritas. Primi ita ordinant, quod post baptismum iuiunauit Christus, posteà rediens, fecit illa in eodem anno: quæ refert Ioannes Euangelista de duobus discipulis Ioannis, & Nathanaele, & de aqua quam mutauit in vinum, de mora facta in Capharnaum, & hæc facta sunt à tempore theophaniæ. Deinde ascendit ad Pascha, & expulit vendentes & ementes de templo, & locutus est Nicodemo. Deinde venit in Iudæam, & fuit ibi donec Ioannes traditus est, quod fuit intra Pascha & Calendas Maij, quia tunc legitur Christus incepisse prædicationem suam, & inuenitur in quibusdam complitis signatum quo die. Quo audito secessit in Galilæam, & fecit publicam prædicationem suam. Circa verò alterum Pascha occiditur Ioannes: quod potest sciri ex verbis Matthæi & Ioannis. Ait Matthæus, quod Ioanne mortuo discipuli venientes, nunciauerunt Iesu. Quod cum audisset Iesus, secesisit in desertum, & fecit ibi miraculum de quinque panibus & duobus piscibus. Ioannes verò ait, quod quando hoc miraculum fecit, erat proximum Pascha, & ita paulo ante proximum pascha, Ioannes occisus esse intelligitur. In sequenti verò Pascha est passio Domini, & ita Christum, per duos annos & dimidium prædicasse, & miracula fecisse ostendunt. Sed huic sententiæ contrarium est, quod miraculum de nuptijs, eo die quo baptizatus est, anno reuoluto ab vniuersali Ecclesia canitur & prædicatur. Quod falsum est, si dicatur esse factum inter diem theophaniæ & Pascha, post regressum de deserto, ad quod statim post baptismum dicitur ductus esse à spiritu. Ait enim Marcus: Et statim spiritus misit eum in desertum, & erat ibi quadraginta diebus. Vt ergo stare possit sententia, dicendum est vnum Pascha à Ioanne Euangelista esse prætermissum, & nihil dixisse eum de primo anno, qui fuit à primo die baptismatis, vsque ad eundem ordinem: nisi hoc tantùm, quod ait de duobus discipulis Ioannis, & de Nathanaele. Anno itaque reuoluto in eodem die, quo & baptizatus est, fecit miraculum in nuptijs. Postea demoratus est Capharnaum vsque ad Pascha. Cætera non mutantur, & sic habemus à die baptismatis vsque ad passionem tres annos, & tantùm quãtum est à die theophaniæ vsque ad primum Pascha. Sed ad litteram veniamus, quasi diceret: Quandiu Ioannes prædicabat, noluit Dominus publicam prædicationem facere. Sed cum audisset, quia traditus esset, secesisit in Galilæam de Iudæa, vt refert Lucas, venit Nazareth, vbi erat nutritus: & intrauit in synagogam, & surrexit legere, & accepto libro, inuenit locum, vbi scriptum est in Isaia: Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, prædicare captiuis remissionem, cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Et cum plicuisset librum, sedit, & ait: Hodie completa est hæc scriptura in auribus vestris. & dixit ibi multa, propter quæ duxerunt illum in montem, & voluerunt præcipitare: sed ipse transiens iuit, & tunc descendit Capharnaum. Vnde modò ait Matthæus:

Et relicta ciuitate Nazareth, venit & habitauit Capharnaum maritimam, in finibus

bus Zabulon & Neptalim, vt adimpleretur, &cæt.) In hac vrbe, vt refert Lucas, sanauit in synagoga dæmoniacum, & inde cœpit publicè prædicare.

Nota quod duæ Galilææ sunt: vna, quæ dicitur Iudæorum, altera quæ dicitur Gentium. Diuisa est Galilæa à tempore Salomonis. Habuit enim maximam familiaritatem cum Hiram rege Syriæ, quia adiuuit eum de lignis, ad faciendũ templum Domini. Propterea Salomon dedit ei viginti ciuitates in Galilæa, remanentibus tamen ibi Iudæis sub ditione illius regis, quæ pars posteà dicta est Galilæa Gentium, reliqua autem Iudæorum. Zabulon est in Galilæa Iudæorum, Neptalim in Galilæa Gentium. Capharnaum verò erat in confinio vtriusq;. Rationabiliter igitur incepit ibi prædicationem suam, vt quasi Gentibus & Iudæis eam proponendam significaret. Non tamen prædicabat Gentibus, sed Iudæis tantùm, nisi per aliquam occasionem. Ipse enim dixit: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel, & in viam Gentium ne abieritis. Conueniens præterea fuit, vt ibi primum nosceretur præconium redemptoris, vbi Israëlis prima captiuitas facta est ab Assyrijs. Maritima erat Capharnaũ, quia sita erat iuxta mare, quod vocatur in vno loco mare Galilææ, in alio Tyberiadis, in alio stagnũ Genezareth: nec tamen mare est, sed collectio maxima aquarũ dulcium, sed mos est illius gẽtis, collectionem huiusmodi mare vocare. Ait enim Hieronymus super Isaiam: Mare hic appellat lacum Genezareth, qui Iordane influente efficitur. In cuius littore Capharnaum, & Tyberias, & Thebaida, & Chorozaim sitæ erant, in qua maximè regione Dominus cõuersatus est. Nota in primis, quod Euangelista mysticum potius sensum quærens quàm historicum, multa de verbis prophetiæ prætermittit: quia tantùm tendit ad ea verba, quæ pertinent ad prædicationem Domini. In prophetia enim habetur ita: Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Neptalim, & nouissimo est aggrauata via maris trans Iordanem Galilææ Gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Sensus talis est: Primo tempore prædicationis Christi, terra Zabulon & terra Neptalim ab onere alleuiata est peccatorum, quia primi inde conuersi sunt, quia in his tribubus fuerũt viculi, de quibus duces nostri Apostoli crediderunt. Nouissimo autem aggrauata est fides eorum plurimis Iudæorum in errore permanentibus, & hoc est, nouissimo aggrauata est via maris, id est, regio illa eadem iuxtà mare existens. In Euangelio autem diuersi nominatiui ad idem verbum reducuntur ita: *Terra Zabulon & terra Neptalim, quæ est uia maris*, id est, via iuxta mare, & quæ est *trans Iordanem, scilicet populus Gentium Galilææ, qui habitat in tenebris, uidit lucem magnam*, id est, prædicationem Christi audiuit, & prima miracula eius. Per Zabulon accipitur Iudæa Iudæorum. Per Neptalim Galilæa Gentium. Altera scilicet Galilæa Iudæorum, est via maris, qui iuxta mare existit. Et altera, id est, Galilæa Gentium, est trans Iordanem, id est, vicina Tyrijs. Sed cum de vtraque faciat mentionem, plus immoratur in Galilæa Gentium, cùm dicat, populus Galilææ Gentium, quod ad mysticum sensum maximè pertinet, quod videbitur in sequenti. *Et lux orta est eis*, id est, agnitio veritatis, *sedentibus in regione umbræ mortis*. Mortem vocat æternalem, vmbram, peccata, quę sunt obscuritas ducens ad mortem. Hieronymus verò dicit, inter mortem & vmbram hoc interesse puto, quòd mors eorum est, qui cum operibus mortis ad inferos perrexerunt. Anima enim quæ peccauerit, ipsa morietur. Vmbra mortis est eorum, qui cum peccent, nondum de vita ista egressi sunt. Possunt enim, si voluerint, agere pœnitentiam. Sedent itaque in regione vmbræ mortis, id est, in regione Galilææ, vbi primum regnabat vmbra mortis, id est, peccatum. Potest etiam illud Galilææ alio modo distingui, vt dicamus, trans Iordanem Galilææ, id est, trans Iordanem, in quantum ad Galilæam pertinet. Ex altera enim ripa Iudææ est, & tunc legetur per se, gentium populus, &c.

Allegoria.) Ioannes est vox præcedens verbum & alij prophetæ, quæ prophetia postquam cessauit & ligata est, accessit verbum complens, quod prædicauit vox & prophetia, & secessit in Galilæam, id est, in transmigrationem de figuris ad veritatem, de vmbra ad corpus. Vel in Galilæam, id est, in Ecclesiã, vbi est transmigratio de vitijs ad virtutes. Verè facta est transmigratio, quia relicta Nazareth, venit in Capharnaum. Nazareth interpretatur flos. Capharnaum villa pulcherrima. Reliquit ergo florem figurarum, quæ designabant fructum Euangelij, vt flos prænunciat fructum venturum, & venit in Ecclesiam, quæ est Christi, villa pulcherrima virtutibus & miraculis Christi, quę est maritima, quia iuxta mare, id est, iuxta fluctuationem huius seculi sita est, & cunditur procellis tribulationum vel persecutionum. Quæ ecclesia est in terra Zabulon & Neptalim sita, id est, Iudæis & Gentibus communis, & constituta est ex eis. Zabulon habitaculum fortitudinis dicitur, quia Apostoli, qui de Iudæa electi sunt, fortes fuerunt. Neptalim dilatatio dicitur, quia Gentium ecclesia dilatata est per orbem: quod significauit Isaias, quia terra Zabulon, id est, Iudæorum, & terra Neptalim, id est, Gentilium, quæ est via maris, quia & iuxta est mare, vt dictum est, & tantùm via, quia per eam potest iri ad patriam vitę, & est trans Iordanem, id est, trans baptismum, quia scilicet baptizata est. Terra Zabulon & terra Neptalim vidit lucem magnam, sed præcipuè populus Galilææ

Gentium, id est, populus gentilis positus in trãsmigratione, qui ambulat in tenebris propter idololatriam, vidit lucem magnam, cætera non mutantur.

Ambulans autem,) Incepta prædicatione Christi, cõgruum est vt habeat coadiutores, quos mittat ad prædicandum. Elegit itaq; Apostolos, sed viles, ignobiles, & idiotas, vt Euangelium ex vi sua, non ex nobilitate vel sapientia hominum receptum esse ostenderet. Noluit igitur Nathanaelem, qui sapiens erat, quanuis sanctissimus, Apostolum facere. Ostẽsio autem in primis prædicatoribus, quia fides Christi recepta est ex vi ipsius Christi, cũ idiotæ coruscarẽt miraculis, & homines non in sapientia verbi conuerterẽtur, tunc additus est tandem Paulus & alij sapientes, vt Cyprianus, Augustinus. De hac vocatione videntur tres Euangelistæ dissentire. Ioannes enim ait, quod in principio post baptismum duo discipuli Ioannis, quorũ vnus erat Andreas, venerunt ad Iesum, & interrogauerunt eum: Rabbi, vbi habitas? Ipse autem dixit: Venite & videte. Venerunt ergo & manserunt apud eũ die vno. Andreas inuenit fratrem suum Simonem, & dixit ei: Inuenimus Messiam, & adduxit fratrem suum ad Iesum, Iesus autem eum intuens, dixit: Tu es Simon filius Iohanna, tu vocaberis Cephas, quod est Petrus. Non dixit ei, tu vocaris iam, sed quod futurum erat, nunciat ei. In crastino die vidit Philippum, & dixit ei: Sequere me. Philippus inuenit Nathanael, & dixit ei: Inuenimus Messiam, filium Ioseph à Nazareth. Miratus autem Nathanaël, quod de Galilæa surgeret propheta, præsertim de Nazareth, qui erat viculus, quum omnes prophetæ de Iudæa inuenirent, ait: A Nazareth aliquid boni potest esse? id est, potest credi, quod de Nazareth veniat aliquid boni? id est, aliquis propheta? & cætera quæ sequuntur. Lucas verò narrat: Factum est autem cum turbæ irruerent in eum, vt audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genezareth, & vidit duas naues stantes: ascendens autem in vnam nauim, quæ erat Simonis, docebat turbas. Vt autem cessauit loqui, dixit Simoni. Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. & respondens Simon, dixit: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete, & impleuerunt ambas naues piscibus. Stupente autem Petro, ait Iesus: Noli timere, ex hoc enim eris capiens homines. & relictis omnibus, subductis nauibus ad terram, secuti sunt eum. Erant autem socij Simonis Iacobus & Ioannes in alia naui. Matthæus autem refert, quod ambulans Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, & vocauit eos, & non inuenit insimul Iacobum & Ioannem, sed procedens inde, vidit alios duos fratres, quos & vocauit. Sed sciendum est, quod quando Andreas venit ad Iesum, & adduxit fratrem tunc non est facta vocatio eorum, sed tantùm prædixit Petro, de nomine suo quod futurum erat, & posteà reuersi sunt ad propria. De illo iterum quod Lucas refert, intelligendum est, vt ait Augustinus, quod primum factum est ante istam vocationem, nec tunc eos à Domino fuisse vocatos, sed tantùm Petro fuisse prædictum, quod homines esset capturus, quod non ita dictum est, quasi iam pisces nunquam esset capturus. Nam post resurrectionem legimus eos fuisse piscatores, sed ad cibum, non ad lucrum. Vnde datur locus intelligere, eos ad capturam piscium ex more remeasse, quanuis dicatur, relictis omnibus: non enim reliquerunt tunc nisi ad horam. Sed hęc vocatio fuit vltima, quam refert Matthæus, & tunc reliquerunt & res, & vxores, & patres. Itaque nunquam amplius redierunt ad propria: & quanuis Lucas referat illud quasi post prædicationem factam in Capharnaum, tamen non tunc factum est, sed quod tunc prætermiserat, rememoratur. Similiter de hac vocatione, quam Matthæus refert, ignoratur, vt ait Augustinus, vtrum ante vel post prædicationem publicam facta est. Vtroque enim modo potest legi, vt dicamus: ita Christus incepit prædicationem, & ad hanc prædicationem iam elegerat discipulos, vel posteà elegit.

Qui ambulans iuxta mare, vel ad mysteriũ, vidit, &c.) Quamuis duodecim elegisset, tamen vocationem quatuor tantùm refert. Matthæus tamen vocationem suam refert posteà inter miracula. Magnum enim miraculum fuit, quod Publicanus factus est Apostolus, & quod quatuor tantùm valent ad mysterium. *Et ait illis: Venite post me, &c.*) Non tam pedibus, quàm affectu mutationis. *Et faciam vos, &c.*) Qui priùs eratis piscatores piscium, fieri piscatores hominum. Bene dicit, faciam vos fieri: aliter enim homo frustra laborat, nisi Deus faciat, vt perficiat, & tamen ita vt liberum arbitrium non pereat. Quando fit huiusmodi ingeminatio, faciam vos fieri, certans certaui, assiduitatem significat, quasi diceret: ita faciam, quod in hoc facto perseuerabitis. *At illi continuò, &c.*) Parum habebant, sed illud parum reliquerunt. Qua in re innuitur, quod plus affectus quàm sensus quæritur derelicto. *Et procedens inde, &c.* Hic datum est exemplum illorum, qui solùm sensum pro amore Christi deserunt: hic autem ponitur exemplum illorum, qui non solùm sensum, sed etiam carnales affectus pro Deo postponũt. Et nota quod alij mittebant retia in mare, alij reficiebant, quod ad figuram valet, sensus literæ satis patet.

Allegoria talis est.) Ambulaũit Iesus iuxta mare, dum ad nos per incarnationem venit, qui secundum diuinitatem immobilis est. Iuxta mare, & non in mari, quia nulla carnali voluptate immersus est. Et ambulãs vidit spirituales piscatores: viderat enim eos ab æterno, sed quantum

ad nos, tunc visus est spiritualiter vidisse, cùm eos vocauit. Mittentes retia vidit, id est, secularibus negocijs intentos, & vocauit. Nota quòd vidit binos & binos, sicut alibi legitur, quod binos & binos misit ante faciem suã ad prædicandum. Quicunq; enim ad prædicãdum mittitur, fraterno amore necesse est cum proximo suo colligetur, vt nõ pro terreno cómodo, sed ex dilectione prædicare inueniatur, & ideò vidit duos fratres. Nomina etiam mysterio congruunt. Simon enim obediens interpretatur, qui enim prædicat, præceptis dominicis obedire debet. Posteà debet esse Petrus, id est, firmus, vt perseueret in proposito, ne cùm prædicauerit, ipse reprobus efficiatur. Deinde fit Andreas, id est, virilis, vt viriliter alijs prædicet, ne formidine, ne aliquo amore turbetur: & prædicando alijs fiat Iacobus, id est, supplantator vitiorum. Sed cum in omnibus erit perfectus, tunc necessaria erit humilitas, ne sibi, sed soli gratiæ Dei ascribat, & ideò fit Ioannes, qui gratia Dei interpretatur. Isti reficiebant retia sua, quia terrena curabant, & damna secularium reparare volebant, & erãt cum patre Zebedæo, id est, cum diabolo Zebedæus enim fugitiuus interpretatur, diabolus verò à Deo fugit. Quatuor tantùm voluit ponere in vocatione, quia per eos prædicatores omnes de quatuor mundi partibus vocatos significat.

Et circuibat, &c.) Associatis sibi coadiutoribus, insistit prędicationi, & docet, quia nõ debet ociosus esse prædicator, sed circuire Galilæam, id est, Ecclesiam, & docere in Synagogis, id est, in congregationibus, quia communis debet esse prædicatio. Congregatio dicitur synagoga. Hic apertè ostendit, quia Gentibus nõ prædicauit, quum in synagogis prædicare dicitur, quæ Iudæorum sunt: & prædicauit non temporalia, non fabulas, sed Euãgelium, quod pertinet ad regnum Dei. *Docens & prædicans, &c.* Dicitur docens in constitutione morum, prædicans retributionem regni Dei, quod nondum videtur. *Et sanans, &c.* Languor est diuturnus morbus, infirmitas quælibet vel momentanea, vel non: & Deus mysticè sanauit languores nostros, id est, peccata inueterata, & infirmitates nostras, id est, peccata recentia. Moralitas est, quod prædicator non solùm verba, sed quæcũque etiam beneficia poterit, dare debet.

Et abijt opinio eius in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes malehabentes, varijs, &cæt.) Moralitas est, quia prædicator debet habere bonum ab his qui foris sunt, testimonium. Nam cuiuscunq; vita contemptibilis est, restat, vt prædicatio eius contemnatur. Allegoricè. Debet bona fama eius tendere vsque ad superbos huius seculi, qui per Syriam, quæ dicitur elatio, significatur. Et postquàm sanctitas eius cognoscetur, offerent & detegent ei se malè habentes, & alios varijs vitijs occupatos. Languor est diuturnus morbus, tormentum acutus morbus: vt dolor dentiũ, lateris, & alij morbi vexantes acriter homines. Annumerat per partes dæmoniacos, lunaticos. Lunatici sunt, qui vexantur à dæmonibus circa lunationes, vt homines blasphement creaturam Dei, credentes se hoc ex luna habere.

Allegoria est.) Dęmoniaci sunt idololatrę. Lunatici instabiles, q modò credũt, modò recedunt. Paralytici sunt homines pigri & dissoluti, qui nihil faciũt. *Et secutæ sunt eum turbæ multæ.*) De Ecclesia, quæ multis nominibus designatur. Ipsa enim est Galilæa. Ipsa Decapolis, id est, decem ciuitatum regio, quæ significant decalogũ. Ipsa est Ierusalem, id est, visio pacis, quia assiduè contemplatur supernam pacem. Ipsa est Iudæa, id est, confessio. Ipsa est de trans Iordanẽ, quia omnes fideles receperunt baptismum.

CAPVT V.

Videns autem turbas.) De hoc sermone videntur dissentire Lucas & Matthæus. Lucas enim refert, quòd Dominus exijt orare in montem, pernoctans in oratione. Et cùm dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit, & descendens cum eis, stetit im campestri loco, & turba discipulorum & multitudo plebis: & eleuatis oculis in discipulos dicebat; Beati pauperes spiritu, & multa ponit, quæ posuit Matthæus, multa etiam prætermittit, multa quoque alia interserit. Matthæus verò narrat Iesum turbas vitasse, & ideò in montem ascẽdisse cum discipulis, & ibi ad eos sermonem habuisse sedendo, non stando, sicut Lucas ait. Potest autem, vt ait Augustinus, & idem sermo & alius intelligi. Si idem est, tunc diceretur, quod & Dominus & discipuli & turbæ ascenderunt in montem, in quẽdam locum campestrem & planum, qui erat in montis latere, qui multum populum capere poterat: sed posteà ascendit in cacumen montis cum solis discipulis, & ibi elegit Apostolos, quibus electis, descendit ad locum campestrem, & ibi stetit, donec ad eum congregatæ sunt turbæ, & posteà sedit, quod tacet Lucas, & quum sedisset, accesserunt propinquiùs discipuli eius vt familiares, & ita habuit sermonẽ principaliter, & ad discipulos, & ad turbas. Tunc igitur dicemus, quod Matthæus facit mentionem de ascensione Domini in cacumen montis vitando turbas, quia volebat discipulos eligere. Quomodo verò elegit Apostolos, quomodo de cacumine montis descendit, & quomodo stetit posteà, Matthæus tacet, & de ascensione incipit. Sed meliùs videtur, quòd duo sermones sint, vnus quem familiariter & priuatim fecit discipulis, quibus volebat nouum tradere Testamentum, quod & portaturi erant, quia non omnia omnibus sunt dicenda, & alius quem fecit in imo loco coram omnibus, in quo & multa recapitulauit, quæ in alio dixerat. Et tunc scien-

dum est, quòd multa præterijt Matthæus, quæ dixit Lucas in ascensione montis, scilicet, quòd pernoctauit in oratione, quando Apostolos elegit. Ad literam veniamus. Missurus Christus Apostolos ad prædicandum, tradit eis nouum Testamẽtum, & quia profunda & sublimia erat traditurus, in montem ascendit, vt altitudinem mysteriorũ significaret. Populum verò in imo docet, quia non habebat altam intelligentiam. Receperunt autem Apostoli in ordinatione sua non solùm nomen apostolatus, sed & spiritum maioris intelligentiæ. Itaque illis electis, alta dicit. Moyses verò in monte similiter legem accepit, quia totum legis mysterium intellexit. Populum verò in imo docuit, quia rudis & minoris capacitatis erat. Præcepta veteris legis initialia & imperfecta erant ad iustitiam. Præcepta verò quæ daturus erat, illud imperfectionis, quod illa habebant, sublatura sunt, & in istis, iustitia consumenda est. Vnde dicturus est: Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum, &cæt.

Continuatio.) Turbæ secutæ sunt eum. *Videns autem Iesus turbas ascendit in montem.* Vt vitaret eas, quia coram eis tam alta non erant prædicanda. In his ergo docet, quòd prædicator debet dicere iuxtà capacitatem audientium. *Et quum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius*) Ideò sedit, vt doceret se esse magistrum. Magistrorum enim, & docentium est sedere. Accedunt discipuli, vt vicinius audiant, quæ adimplenda properant.

Et aperiens os suum.) Per hoc quod dicit aperiens, significat quòd non pauca sed multa, non humilia sed profunda, quasi thesaurũ aperiens, dicturus erat.

Allegoria.) Christus ascendit in montem, id est, in Ecclesiam, vt impleretur quod dictum erat per Dauid: Ego autẽ constitutus sum Rex ab eo super Syon montem, &c. Quod significat ibi Syon, hic & mons iste. Sedere, est humiliari per humanitatem assumptam. Aliter non doceret nos, nisi formam nostram assumendo sederet, id est, se nobis inclinaret, & visa sessiõe eius humilitatis, potuerunt ei discipuli accedere, quia quandiu erat in throno maiestatis suæ, nõ poterant eum homines comprehendere. Vnde dicitur: In mundo erat, & mundus eum non cognouit. Et qui priùs nobis erat locutus in Prophetis, in filio suo locutus est, & proprium os filius nobis modo aperuit. Alia lex data est in terrore, quia fumus & turbæ & procellę fuerũt circa montem. In datione verò noui Testamenti nihil horum, sed totum in tranquillitate fuit factum, vt doceret hanc legem non timore, sed amore complendam esse. Alia lex scripta est in lapidibus, ista in cordibus, Aliter enim nouum à veteri Testamento non distaret. Vnde Apostolus: Multo melioris Testamenti mediator est. Et per prophetam ait Dominus. Hoc Testamentum quod disponam domui Israël, post dies illos, dando leges meas in mentes eorũ, & in corde eorum superscribam eas, &cæt.

Beati, &c.) Sicut Moyses dedit legẽ in decem præcepta, quæ omnia alia continebant, similiter Christus tribuit nouum Testamentum in septem. Et sicut Moyses explicatius tractauit, posteà de illis faciendo plus quàm trecenta mandata, similiter Christus de ipsis eisdem per partes prolixius posteà tractat, septem sunt dona Sancti spiritus, septem sunt petitiones in Dominica oratione, septem ista sunt mandata, quæ omnia conueniunt. In propheta computantur dona, à superiori descendẽtia ad imũ, dicendo: Spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini, quia de Christo ascendente ad terras agebat. Christus autem sequens morem boni doctoris, ab interiori incipit, tendens ad superiora, & ideò incipit à paupertate, id est, à remotione mali, & à timore. Quicunque enim vult accedere ad Deũ, debet priùs mala remouere, mundum abdicare, Deum timere. Nota quòd in oratione Dominica septem petitiones, sunt, tres de cœlestibus, scilicet priores: tres inferiores de terrenis: & media, est quasi confinium, adhærens tamen plus cœlestibus. Et priùs ponuntur altiores, deinde inferiores, & tamen Libera nos à malo est prima naturaliter, sicut timor in septem donis, dicente scriptura: Initium sapientiæ timor Domini, & illa duo conueniunt cum paupertate, à qua incepit. Agamus priùs de paupertate, & posteà de alijs duobus cohærentibus. Paupertas ista est abdicare se & sua. Duo enim sunt abdicanda, exteriora & interiora. Exteriora sunt nobilitas, diuitiæ, & aliæ possessiones. Interiora, ingenium, fortitudo, pulchritudo, velocitas, & similia. Abdicare igitur debemus ista, ne confidamus in diuitijs, in nobilitate, in ingenio nostro, & cæteris, sed in solo Deo ponamus spem nostram. Cætera verò ita habeamus, quasi non haberemus. Ista paupertas etiam in diuitijs esse potest. vnde Dauid: Diuitiæ si adfluant, nolite cor apponere. Sed securiùs est eas non possidere. vnde Dominus: Vende omnia quæ habes, &cæt. quia vix sine amore possunt haberi. Et hoc idem postulatur, vbi dicitur: Sed libera nos à malo. Liberari enim à malo, est à seculo nequam nunquam illici, sed expediri à desiderio huius mundi, qui præsentia bona ostendens, inuisibilia deridens, homines ad se attrahit. Hæc omnia non possumus facere, nisi per spiritum timoris. Audiamus enim Deum gehẽnam minantem, & per hoc exterriti, mundo renunciabimus, & Deo seruire cum dilectione incipiemus. Nota quòd timores quatuor sunt, duo terreni, & duo diuini. Vnus est, quando homines timemus, ne nobis nostra auferant, & ideò

ideò peccamus: vel quotiescunque propter aliquem timorem peccamus, ne viles simus, ne derideamur, sicut quando sectatores efficimur, quod prohibet Dominus, dicens: Nolite timere eos, qui corpus occidunt. & iste vocatur humanus timor. Est & alius timor, qui vocatur seruilis, quando pœnam timemus, & ideò non peccamus, & tamen voluntatem peccandi nõ amittimus. Sic Iudæi pro sola formidine à malo abstinebant, nec aliquam dilectionem in bono faciendo habebant, nec Deum diligebant. Hi duo timores nihil faciunt ad salutem, sed nocent. Sunt alij duo. Vnus est, quando Deum timemus, propter gehennam, & ideò à malo abstinemus, sed tamen cum dilectione boni est, & sine voluntate peccandi, & ita Deum diligere incipimus. Hunc timorem iubet Dominus, quũ dicit: Potiùs timete illum, qui habet potestatẽ corpus & animam mittere in gehennam ignis. De hoc timore dicitur, Initium sapientiæ timor Domini. Tunc enim Deum timemus, quum eum per timorem diligimus. Tunc tantùm pœnam timemus, quum Deum non diligimus, & tamen à malo propter pœnam abstinemus. Iste tertius timor est imperfectorum, & tamen saluandorum, quanuis non habeant perfectam charitatem. Perfecta enim charitas foras mittit hunc timorem tertium. Qui enim habet perfectam charitatem, etiamsi nullam pœnam esse sciret, tamen Deo solùm ex dilectione seruiret, & eum offendere timeret. Vt bona coniunx, quæ adeò diligit virum, quòd eum offendere veretur, licèt etiamsi peccaret, se verberandam nõ esse cognosceret, & ita est ex imperfecta charitate, timor reuerentiæ, non pœnarum. Quæritur ergo, quomodo in Christo fuit timor, qui est initium sapientiæ, in quo fuit semper perfecta charitas? quum Isaias dicat: Et repleuit eum spiritu timoris Domini. Sed sicut voluit pauere, tædere, & timere pœnas passionis, sic & timuit pœnas gehennales, non propter se, sed propter nos, & tamen ex perfecta charitate, quam in conscientia habebat, quod si omnes pœnæ deessent, Deum tamen non offenderet. Notandum quòd de singulis virtutibus prouenit beatitudo. Ait enim:

Beati pauperes spiritu.) Id est, voluntate, non coactione. *Beatimites.*) De paupertate nascitur mansuetudo. Mitis est, qui propter nullam iniuriam vel damnum commoueri potest. Qui enim amat terrena, de amissis non potest non commoueri. Sed nec verus pauper sicut nec habita amauit, ita nec propter amissa doluit. Hæc est enim illa virtus, quæ laudatur in Moyse. Si autem percutiebat, tamen mitis erat, & ex zelo iustitiæ, non recedens à charitate. De hac autem ait Dominus: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Hoc oratur, quum dicitur: Et ne nos inducas intentationem Aliud est tentari, aliud in tentationem induci. Primùm non abnuit, scilicet tentari, & non abrogat: sed induci, id est, tentationi succumbere, timet fidelis: & illud orat, ne contingat. Tentatur fidelis, dum iniuriatur, dum sibi sua auferuntur. In tentationem inducitur, si doleat, & dolore afficiatur. Istam mansuetudinem dat spiritus pietatis. Si enim pius est, & mitem esse necesse est. Sed quæritur, quomodo pauper sine istis potest saluari, quum singulæ virtutes dicantur beatitudinem conferre. Sed notandum, quòd aliud est habere virtutem, aliud exercitium virtutis. Pauper ergo habet mansuetudinem in mente, sed non habet eam aliquando in exercitio, quia fuit forsitan in eremo, vbi eum nemo iniuriauit, tamen beatus est. Si enim vnam habet virtutem in exercitio tantùm, tamen ideò non habet contrarium aliarum. Nam si haberet contrarium alius virtutis, illud contingeret, quod dicitur: Qui offendit in vno, reus est omnium. *Beati qui lugent.* Quanuis fidelis res mundi abdicauit, quanuis de iniurijs non doluit, tamen in multa incidit aliquando, & ideò necessarię sunt lachrymæ, quæ semper abluant, quia semper peccamus, & in miserijs huius mundi nos esse videmus. Dolemus etiam de peccatis proximorum. Duo sunt genera compunctionis, quãdo pro miserijs huius mundi & peccatis nostris gemimus, & pro desiderio cœlestiũ. Vnde filia Caleph petiuit à patre irriguum superius & irriguum inferius, quia anima petit compunctionem à Deo, & pro peccatis, & pro desiderio patriæ cœlestis. Luctum autem pro miserijs huius vitæ & desiderio supernæ patriæ, non habet nisi solus pauper & mitis, qui mundum non diligit, sed miserum se recognoscit, & ideò cœlum concupiscit. His lugentibus pro suis & aliorum peccatis conuenit postulare, Debita nostra nobis dimitte, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Hæc virtus quæ mundi miseriam sentit, & à cœlesti patria discernit, descendit à spiritu scientiæ. Scientia enim de terrenis est, vt sciamus quæ sit ista habitatio terrena, quàm grauis, quàm misera. Quod autem cogitamus de cœlesti patria, hoc ideò fit, vt per comparationem miseriam huius vitæ intelligamus.

Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quia ipsi saturabuntur.) Hæ tres virtutes præcedentes de terrenis tantùm sunt, & quasi separatio à nequam seculo potest vocari. His enim modis mundus contemnitur: Abdicando terrena, non dolendo, ex iniuria, lachrymis tergendo peccata, & cogitando de miseria mundi. Modò incipiunt virtutes, quæ ad cœlestia pertinent, & prima est iustitia. Iustitia est reddere vnicuique quod suum est, id est, Deo, & sibi, & proximo. Deo cultum proprium & dilectionem ex toto corde. Nobis debemus creationem Dei in nobis seruare per victũ & vestitum, carnem animæ subiugare. Proximo, vt ei

faciamus quod nobis fieri volumus, quod tamen à bono non deuiet. Sed hæc noſtra iuſtitia, non dicitur iuſtitia, ſed deſiderium iuſtitiæ. Sicut iuſtitia in præſenti perfectè haberi non poteſt, donec in cœleſti patria habitemus, vbi erit Deus omnia in omnibus: & ideò noſtra iuſtitia non dicitur iuſtitia, ſed deſiderium verè iuſtitiæ. Sicut Pythagoras, qui ſapientiam hominum vocauit non ſophiam, ſed philoſophiam. Dum enim in præſenti iuſtitiam non poſſumus exercere, deſideriũ ſaltem oſtendimus. Illud deſiderium per eſuriem & ſitim ſignificatur. Tantundem ergo valet: Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quantum ſi diceretur: Beati qui exercẽt iuſtitiam in præſenti tempore, quę hic imperfecta eſt, ſed quaſi eſuries veræ iuſtitiæ, ſed in cœlo perfecta erit. Et quia eſuriunt, nec ſufficit ei quod iuſti ſunt, Poſtulant: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Panis enim fidelium, per quem iuſtitia datur & corroboratur in eis, gratia Dei eſt, verbum Dei & Angelus miniſtratorius, & omnia quæ valent ad iuſtitiam corroborandam, quod totum dicitur gratia Dei. Hic eſt cibus ille iuſtitiæ, in cuius fortitudine iuit Helias per quadraginta dies vſq; ad montẽ Dei Oreb, & ideò ex ſpiritu fortitudinis iuſtitia deſcendere dicitur: qui ſuſtentat iuſtum, ne deficiat in via. Hæc iuſtitia in mente fundari nõ poteſt, niſi mundo renunciando per virtutes ſupradictas.

Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur, &c.) Quia per ſolã iuſtitiam nullus ad alta aſcendere poteſt, niſi iter faciat nobis Deus, plus quàm inſtum ſit, per miſericordiam ſuam, ideò miſericordia Dei acquirenda eſt, quæ ſuppleat, quod noſtra iuſtitia non poteſt adipiſci. Quomodo autem illa acquiri poſsit, dat conſilium cùm dicit: Eſtote miſericordes, quia pater veſter miſericors eſt.

Ecce via qua ad miſericordiam Dei peruenitur, ſi miſericordes efficimur. Oportet ergo miſericordiam addere iuſtitiæ, vt nõ ſolùm faciamus proximo quod iuſtum eſt, ſed etiam plus quàm iuſtum. Miſericordia habet duas partes, dare & dimittere. Vnde dicitur: Date & dabitur vobis, dimittite & dimittetur vobis: Hæ duæ virtutes ita coniunctæ ſunt, vt altera ab altera contemperari debeat. Iuſtitia ſine miſericordia crudelitas eſt: Miſericordia ſine iuſtitia diſſolutio eſt. Rebelles corrigere ex iuſtitia, pœnitentibus condonare debemus ex miſericordia: ſed quia alij plus quàm alij exercentur in iuſtitia, quàm in miſericordia: alij plus in miſericordia, quàm in iuſtitia, ideò iſti dicũtur beati propter miſericordiam, illi propter iuſtitiam, quũ tamen non diſſocientur. Hæc miſericordia poſtulatur, quum dicitur: Fiat voluntas tua in nobis, ſcilicet, vt miſericordes ſimus, vt alijs condonemus. Nam hæc eſt voluntas Dei, hæc deſcendit ex ſpiritu conſilij. Hoc enim eſt conſiliũ, quod nobis datur, ſi miſericordiam Dei adipiſci volumus, miſericordiam alijs faciamus.

Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt, &c.) Munditia cordis ſexto loco ponitur, quia ſexto die homo conditus eſt ad imaginem Dei. Hæc enim munditia eſt imago Dei, qua clarè Deum omnibus perturbationibus, & omni caligine vitiorum remotis videmus: quoniam illi dicuntur mundi corde, qui exutis omnibus nebulis ſecularium rerum intuitum mentis in ſolo Deo contemplando figunt. Hæc imago obtenebrata erat in homine per culpam, ſed modò reformata eſt per gratiam Dei, & nunc in ſexta die, id eſt, ſexta ætate iterum factus eſt homo ad imaginem Dei. Hæc contemplatio imago Dei eſt, quia per eam nobis Deum imaginamur, & quaſi per imaginem Deum videmus, quæ meritò poſt alia ſequitur, quia niſi illæ præcedant, mundum cor in homine non creatur. In hoc mundo corde Dominus regnat, quia ibi plus cognoſcitur & amatur. Vnde poſtulatur, Adueniat regnum tuum in nobis, id eſt, vt in nobis per munditiam cordis regnes. Hæc munditia cordis deſcendit ex ſpiritu intellectus. Nihil enim aliud eſt imago Dei, quàm intelligere Deum.

Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.) Poſtquàm omnes ſupradictas virtutes habet homo, nihil aliud reſtat, niſi vt Deum, qui eſt vera pax, præmium habet. Deus in tanta pace, quod neque in perſonis eſt diſſentio aliqua, ſed perfecta concordia, neque in ſeipſo variatur, quamuis res, in quibus eſt, variantur. Suos verò ſimiles ſibi faciet, quia erunt incorruptibiles, & impaſsibiles, & incõmutabiles, & ita ſunt concordes, quod de bonis aliorum gaudebunt, tanquam de ſuis. Septimo loco ponitur, quia in ſabbato verò, requiei dabitur illa pax tranſactis ſeptem ætatibus, quam Adam nondum habebat, ſed quam tranſferendus in cœlum completa obedientia accepturus erat. Hæc eſt pax illa, de qua Apoſtolus dicit: Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum. Hæc ex illa, de qua Chriſtus dicit: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Illic do, hîc relinquo, quia illa pax non poteſt haberi, niſi in futuro, ſed tamen aliquæ reliquiæ dantur in præſenti, quod poteſt videri in illis, qui ita habent ſedatos illicitos motus corporis, quod nullum ciuile bellum patiũtur in ſe, ſed habet anima requiem ſuam in hac vita, nec etiam conturbari poſſet quolibet modo, vel quantumcumque verberentur, ſed in ſe quieti ſunt, & alios reconciliare laborant. Vnde dicitur: Pax multa diligentibus legem tuam, non tamen perfecta. Illa perfecta pax & ſpiritus ſapientiæ non differunt. Aliud eſt intelligentia, aliud ſapientia. Intelligentia eſt, quando res inueſtigatur & diſcutitur. Sapientia eſt, quando non inueſtigamus, ſed iam ſapientes ſumus, & in ipſo bono ſapientiæ delectamur. Hæc eadem eſt

eſt illa pax, quando Deum ſcrutari non laborabimus, ſed in eo tamen cognito delectabimur, & tunc erimus filij Dei, quia ſimiles ei efficiemur. Quod oratur quum dicitur: Sanctificetur nomen tuum, id eſt, detur nomẽ tuum ſanctum in nobis, quòd filij tui & dij appellemur.

Septem ſunt virtutes, quæ faciunt beatos. Octaua verò quæ agit de perſecutione, communis eſt. Nihil eſt enim niſi probatio ſupradictarum. Verus enim pauper in hac fornace probatur, & verus mitis & verus iuſtus, & verus miſericors, & alij ſi ſint veri, fortiores & puriores fiẽt in igne. Si falſi, deficiunt & reſiliunt. & de ſingulis poteſt dici. Alij qui patiuntur, alij qui non patiuntur, & in ſingulis gradibus, qui patiuntur, meliores fiunt.

Octaua nihil eſt, niſi prima repetita. Vnde & eandem remunerationem habet cum prima. Sed agamus nunc de remunerationibus. Pauperibus promittitur regnum cœlorum, quia maius non poteſt haberi quàm illud, quod eſt commune & generale præmium. Sed quum in octaua eadem retributio repetatur, differre tamen intelligendum eſt. Sic enim intelligitur: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Qui abdicant terrena, eorum eſt iam regnum cœlorum in ſpe, etſi in purgatorio igne quidam horum ad horam purgantur, tamẽ non ambigunt ſe recepturos regnum cœlorum. Qui autem patiuntur perſecutionem, habent regnũ cœlorum, non tantùm in ſpe, ſed etiam in re. Qui enim moriuntur pro Chriſto, ſtatim aſcendunt in cœlum. Hoc ideò ita legitur, non quod vtriq; non recipiant in re regnum cœlorum, ſed vt deſignetur quanta differentia eſt inter illum, qui habet in ſpe, & illum qui habet in re, tanta differentia eſt retributionis illius qui non patitur, & illius qui patitur.

Mitibus cõgruit poſsidere terram, quod poteſt videri per contrarium. Immites non poſsident ſeipſos, præſertim nec res ſuas, ſed ſemper litigant, & ſemper diſsident. Sed mites qui ſeipſos poſſederunt & tentarunt, hæreditatem patris in futuro poſsidebunt. Plus eſt poſsidere, quàm habere. Multa habemus, quæ in craſtino amittimꝰ. Sed maior eſt retributio mitis, quàm pauperis tantùm. Nota etiam, quòd meritò promittitur pauperi regnum cœlorum exuenti terram, ſicut diabolo exuenti cœlũ, data ſunt ima.

Lugentibus conuenienter promittitur conſolatio, vt qui triſtatus eſt in præſenti, gaudeat in futuro, & ſicut plus eſt gaudere in regno habito, quàm habere ad horam vel poſsidere regnum. Multa enim poſsidemus cum dolore. ſic maior retributio dolentis eſt, quàm pauperis & mitis. Nam qui habet ſequentes virtutes, habet & præcedentes. Sed qui non habet præcedentes, habet ſemper, non dico meritò, ſed in exercitio ſequentes. Iure reſpondetur eſurientibus iuſtitiam, iuſtitiæ ſaturatio, quia ſicut plus eſt ſaturari in palatio, quàm conſolari à luctu, ſic maior eſt merces iuſti, quàm à malo ſeparari, quæ ſeparatio, vt diximus, in tribus præcedentibus notatur. Meritò miſericordibus miſericordia impenditur, vt plus recipiant, quàm meruiſſent. Sicut in palatio alicuius regis, quũ ſatur aliquis ſit in tribus vel quatuor ferculis, tamen ſuperadduntur multa alia. Similiter quidam beati, quum minor beatitudo ſufficere poſſet, centuplum tamen recipiunt. & ſicut plus recipit, qui vltra ſaturitatem, quàm ille, qui ad ſaturitatem tantùm habet: ſic maior eſt gloria miſericordium, quàm præcedentium. Congrua merces datur mundis corde, vt qui habent clarum oculum mentis, clarè Deum videant & intelligant. Maiorem habent iſti retributionem, quàm primi, ſicut ille qui in curia regis nõ ſolùm prandet, ſed etiam faciem regis videt. Sed ille eſt ſummus, qui filius regis dicitur: quam dignitatem, habent pacifici, & tamen omnes beati. Beatus enim eſt, qui nihil mali deſiderat, & habet quicquid optat. Nollet autem in cœlo inferior ſuperioris gloriam habere, quia iniuſtum optaret, ſed per charitatem omnia habebit, dum in ſuperiori, quantum in ſe illam altitudinem diliget. *Beati eſtis.*) Breuiter ſeptem generalibus præceptis præmiſsis, à quibus omnia pendent, latiùs exequitur, & quum generaliter dixiſſet. Beati, ecce conuertit ſe ad diſcipulos, qui illa præcepta delaturi, priùs in eiſdem imbuendi erant, vt quod prædicarent verbo, oſtenderent exemplo. Et quia mala paſſuri erant, & quaſi oues inter lupos mittendi, in patientia erant priùs confirmandi, & in humilitate, quæ eſt cuſtodia virtutum, & poſteà auditis triſtibus, læta nunciantur ad conſolationem. Incipit itaque ab octaua, latiùs eam per partes exequendo.

Continuatio.) Dixi quod omnes qui patiuntur, erunt beati, & vos ſpecialiter, quorum eſt præcipuè pati, & vicariorum. Nota tres partes perſequutionis, cordis, oris, & manus. Sed eſt præpoſterus ordo ibi. Sciendum etiam eſt quod in alia translatione, vbi habemus: Male dixerint, habetur Oderint, ſed iſte translator poſuit ſignificationem odij pro odio, id eſt, maledictionem pro maledicto. Magnum enim odium eſt, cum homini ipſi alius maledicit. Perſequi ſignificat omnem perſecutionem manus, & dicere malum, oris perſecutio eſt. In alia verò translatione, vbi habemus Perſecuti fuerint, habetur Expulerint, & quia ſi dicerent malũ, quòd eſſet verum, non eſſent beati. Addidit mentientes. Et quia propter dominũ terrenum pati opprobria poſſent, vel propter aliud, vt hæretici martyres, addidit. *Propter me.* Non enim pœna facit martyrẽ, ſed cauſa. Et quia hoc in initio poſſet eos contriſtari, dicit: *Gaudete* mente, & *exultate* corpore, *quia merces veſtra*, non tantùm magna, ſicut aliorum, ſed etiam *copioſa eſt in cœlis*, non

non solùm in matererialibus,sed etiam in spiritualibus,id est,in incorruptione, in immortalitate,in impassibilitate, in quib⁹ cœlis Deus est. *Sic enim,&c.*) Nolite mirari si serui mei patiuntur,quia non est præter solitum,quia & prophetæ priùs passi sunt. Sic,id est, easdem pœnas, & propter eandem causam,id est,propter me, qui fuerunt ante vos. quasi diceret:Si illi passi sunt, qui non habuerunt exemplum, tunc etiam vos debetis pati,& potestis,quia habetis exemplũ.

Vos estis sal terræ.) Causa est quare in tribulatione deficere non debetis. quasi diceret: Necesse est, vt tribulationes cõstanter patiamini,quia vos estis sal terræ,hoc est,fortitudo terrenorum,& ideò defectus vester esset defectus aliorum:Nota quòd ipsi vocantur sal & lux mũdi.Duo enim sunt necessaria fidelibus. Illuminatio mẽtis,& fortitudo operationis. Sunt quidem Apostoli lux,per quos alij illuminantur, & à tenebris ignorantiæ purgantur,& dicuntur sal quasi salus, qua ijdem seruantur à corruptione mentis & corporis. Sicut enim sal carnem à corruptione seruat,& vermes ibi extinguit, & fluidos humores siccat,sic & Apostoli, postquã aliquos illuminauerint,eos in bono proposito debent seruare,& vermes vitiorum extinguere, & omnem exiccare carnalitatẽ. Vnde in Psalmo: Dominus illuminatio mea,& salus.Si enim aliquis Deum cognoscit, & firmitatem propositi non habeat,nõ prodest: & alibi dicitur per prophetam:Posui te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsq; in extremum terræ. Sal quidem facit sterilem terram, quæ enim salsa est, sterilis est. Propterea destructis vrbibus, victores supra fundamenta arabant,& sal suprà seminabant, vt significarent sterilitatem & vastationem. Propterea dicuntur Apostoli sal, quia prædicatio eorum,est condimentum aliorum. Nulla enim prædicatio valet, nisi condimento apostolicæ doctrinę sit suffulta. *Quod si sal euanuerit,*id est,fortitudo vestra defecerit,in tribulatione,*in quo salietur?*id est,in quibus populus infirmior confirmabitur? *Ad nihilum ualet.*) Quasi diceret: Postquàm illi,qui capita & exẽpla aliorũ sunt, defecerunt,nulli vsui apta sunt,nisi ad hoc vt mittantur foras,ab officio docendi,&conculcentur ab hominibus,id est,vilificentur à carnalibus. Vel aliter: Quod si sal,id est,illi qui condimentum dicuntur,si sal euanuerit,id est,defecerit, vt peccent incidendo in aliquem errorem,in quo salietur? quasi diceret: Apostoli sunt principium doctrinæ,nec habent super se alios doctores: si ergo defecerint, quis saliet eos? id est, quis instruet eos? Similiter de Papa dicendum est: ad nihilum valet vltrà,postquam prædicatio hæresim sapit,nisi ad hoc vt mittatur foras ab Ecclesia,& despiciatur ab hominibus. Sal vocantur propriè illi summi pastores,qui non possunt ab alijs deponi. Vel si volumus alios prælatos accipere,tunc ita legitur,in quo sale terra,id est,terreni sibi subditi salientur? Nota quòd quilibet prælatus,si exorbitauerit à fide, ejiciendus est, & accusandus ab hominibus.Si in vita sua mala euanuerint, & prædicatio fuerit bona, tolerandus est ab hominibus,iuxta illud:Quod dicunt facite: quod autem faciunt,nolite facere.Sed si vita pastoris corrumpat vitam ouium, decreuerunt Gregorius & alij sancti, eum expellẽdum.

Vos estis similiter lux mundi.) Etsi non illuminetur per eam aliquando mundus, nõ remanet tamen in ea. *Non potest ciuitas,&c.*) Nonne possent (dicet aliquis) latere in angulo,& ibi boni esse? Respondetur: Non, quia vos estis ciuitas muniens Ecclesiã, pugnans contra mundũ. *Posita supra montem,*id est,Christum, hoc est, *non potest,&c.*

Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio,sed super candelabrum,&c.) Alia similitudo: Christus fuit lucerna,id est,lux in vase humanitatis.Non latuit pro timore præsentium vel amore,vel non latuit in figuris veteris legis,vt ritus illos semper seruare vellet. Si militer Apostoli non latuerunt sub modio timoris vel spei temporalis, vel in ritib⁹ Iudaicis, sed coram omnibus veritatem prædicauerunt. Cãdelabrum est ecclesia, in domo,id est, in ecclesia. *Et glorificent patrem uestrum,&c.*) Remouet finem humanæ laudis,& sic vt glorificent Deum in nobis,non ea intentione vt vos laudemini.

Nolite putare, quoniam veni soluere legem aut prophetas,&c.) Quasi Apostoli dicerent:Quid est quod noua donas præcepta,vis destruere veterem legem,& aliam constituere? Responsio,Nolite me putare legem soluere,sed adimplere.Tria sunt in veteri lege:Moralia præcepta,figuræ in sacrificijs,promissiones,vt: Ecce virgo concipiet.Præcepta erãt initialia & imperfecta, & quædam propter fragilitatem hominum permittentia.Illa impleuit Christus,dũ imperfectionem sustulit, & promissiones destruxit. Vt est dilectio proximi, quæ præcipitur in lege,sed non perfectè,quia inimicus odio haberi permittitur.Ecce illud malum quod tolerabatur, destruitur, & omnis proximus diligi præcipitur.Oculũ pro oculo, dentem pro dente lex auferri permittit, dum iram hominum saltem parum temperat, ne reddant malum plus quàm acceperant. Ecce omnino destruit iram, cum dicit: Omnis enim qui irascitur fratri, &c. & vindictam prohibet. Figuras verò implet, dũ facit quod significabãt: tum enim solutæ essent, si sine significatis remanerẽt.Implet etiam promissiones,dum facit quod promittunt.

Amen dico vobis,&c.) Verè implebuntur,quia dico vobis,amen, id est, verè, quòd nõ præteribit à lege, non dico vnum verbum, sed nec etiam vna minima figura, quæ non operetur aliquid in lege.Iod est apud Hebræos minima litera,sed tamẽ eam nõ nominauit Hebræo

eo nomine Euãgelista,sed Græco, quod est Iota,quia Dominus similiter quũ haberet sermonem ad discipulos,pronunciauit Iota, non Iod: non tamen sine causa,quæ dicetur post. Et nec præteribit etiam vnus apex à lege, quin operetur aliquid.Hebræi significant eadem figura diuersa elementa, per Aleph significãt A & E, sed per quosdam punctos distinguunt, suprà positos vel infrà. Apices dicuntur suprapositæ distinctiones literarum,de quibus solis agit propter significationem mysterij,quasi diceret:Nõ præteribit aliqua figura literarum, nec pars figuræ,quin habeat aliquid operari in lege.

Donec transeat cœlum & terræ) Non enim omnia in aduentu Christi completa sunt, sed paulatim complentur adhuc quædam, sed in consummatione seculi omnia erunt completa,quasi diceret:Nec minimum præceptum,nec pars præcepti euacuabitur, quin compleantur vel in capite, vel in membris, quia quæ minima putantur in lege,sicut, Non arabis in boue & in asino,plena sunt magnis sacramentis. Quæ tamen euacuabant,& faciebãt irrita Pharisæi propter traditiones suas.Ideò verò posuit Iota,non Ioth, quia Iota apud Græcos est nona litera, & significat decem, & per hunc numerum decalogus intelligitur.quasi diceret:Non præteribit vnum Iota,id est, vnum de decem præceptis,per quæ cætera præcepta,quæ ex eis pendent, intelliguntur.Neque vnus apex,id est, vnum significatum figurarum vel promissionum legis. Ad Iota referimus moralia præcepta, ad apicem figuras & promissiones. Per apicem ideò significatum accepimus, quia ostendit significatum literæ,quid habeat significare A vel E. Ideò verò posuit apices non inferiores distinctiones literarum,quia per eum allegoricum sensum continet.Allegoricus verò altior est, qui per apicem,quæ est altitudo,significatur.

Donec cœlum & terra transeat.) Hæc nõ trãsibunt materialiter,sed secundum formam. Corruptibilia enim mutabuntur,vt terra,aẽr, in meliorem naturã. Cœlestia verò mutabuntur, quia clariora erunt,vt Sol,Luna,cælum,nec ampliùs volubilia.Iudicium fiet,ante quam illa mutentur. Quo facto, erit finis omnium seculorũ, & tunc mutabuntur, & ideò bene dixit, donec illa mutentur. Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, quid igitur. Postquam se dixit non velle soluere legem, sed omnia esse complenda, dat sententiam supra solutores & adimpletores Solutores dicuntur, qui non volunt facere, quod moralia præcepta iubent, & qui figuras legis malè interpretantur vel promissiones,& negant in eis esse significatum, vt Iudæi. Horum duæ sunt differentiæ. Alij soluunt,& alios soluere docent. Alij soluunt & nõ docent. Illi qui soluunt & docent,peiores sunt. Iterùm adimpletores sunt diuersi,quia alij faciunt & non docent,qui sibi & non alijs proficiũt. Alij qui faciunt & docent, qui sibi & alijs proficiunt,& isti maximi sunt. Est quoddam tertium genus,qui nec adimpletores debẽt dici,qui docent & non faciunt,qui alijs & non sibi proficiunt,qui minimi sunt. Hic autem dat sententiam super peiores solutores, qui soluunt & docent, & super maximos adimpletores, qui faciunt & docent.

Continuatio.) Quãdoquidem necesse est adimpleri, ergo qui soluerit, vt dictum est, vnũ de mandatis istis, id est, legis, nõ dico maximis tantùm,sed etiam minimis,& non solùm soluerit,sed etiam docuerit sic,id est, soluere, quamuis inter suos magnus dicatur, tamen in regno cœlorum minimus iudicabitur esse,& ita ibi iudicabitur,non quod ibi sit ille minimus, vbi nõ sunt nisi magni,sed ita in curia cœli, id est, inter sanctos iudicabitur. Iudæi enim qui sciunt malè figuras interpretari, vt non de Christo intelligantur, sapientes inter suos vocantur, sed in cœlo stulti reputantur & minimi, id est, peiores quàm illi, qui soluunt & non docent. Quod in cœlo non sunt nisi magni, significauit piscatio Petri post resurrectionem, quando impletum est rete cẽtum quinquaginta tribus magnis piscibus: & omnes magni dicuntur, quia in resurrectione non colliguntur nisi magni in Ecclesia cœlesti, præsenti verò boni & mali colliguntur simul. Quod præfiguratum est in prima piscatione, quando completum est rete magnis & paruis,bonis & malis piscibus,& rete dississum est: quia in præsenti Ecclesia indiscretè boni & mali habentur. *Qui autem fecerit & docuerit,hic magnus uocabitur in regno cœlorũ,* licèt hic abiectus sit.

Dico autem vobis.) Data sententia solutorum & adimpletorum, docet quomodo debent adimpleri mandata legis, scilicet, vt quod minus est, in lege suppleamus. Vetus lex non punit nisi actualia peccata, non cordialia. Nullus enim interficiebatur pro adulterio mentis, vel homicidio. In nouo Testamento promittit pœnam,non tantùm pro actualibus sed etiam pro voluntatibus.

Continuatio.) Dixit,qui impleuerit,& docuerit, magnus erit in cœlo, hoc autem modo debetis implere. *Dico autem uobis.*) Per hoc reddit eos attentos. *Quia nisi abundauerit iustitia uestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, &cæt.*) Ideò ponit iustitiam Scribarum & Pharisæorum,quia isti iustiores in lege esse videbantur, quia non solùm faciebant præcepta Moysi, sed etiam faciebant traditiones nouas. Scribæ erant Cancellarij, qui legem exponebant, & nouas traditiones scribebãt. Dominus autem præcepit, quod abundantior sit Apostolorum iustitia, quàm Pharisæorum, quia Iudæi sequebantur tantùm innitialia præcepta Moysi & imperfecta. Christus præcepit sequi illa, sed perfecta & consummata, & perfectionem & impletionem mandatorum illorum docet.

Sed

Sed vt lex ſua grauior ſit, pœnam addit, quia aliter non intrabitis in regnum cœlorum.

Audiſtis quod dictum, &c.) Ponit iuſtitiam Phariſæorum, & ſuam adimpletionẽ exponit. Quum enim lex prohibeat occidi manu, Chriſtus occidere voluntate, iubens non iraſci. Videamus ergo quã iram prohibeat. Primùm, eſt ſuggeſtio in homine, & illa aut eſt exterior à diabolo, aut eſt interior ab ipſa carnis fragilitate, quæ vtraque non eſt peccatum, ſed materia pugnandi & victoriæ. Poſt ſuggeſtionem paſsio eſt, id eſt, ſubitus motus eſt, qui eſt aliqua culpa, ſed venialis ſine aliqua deliberatione boni & mali. Deinde ſequitur paſsio, quando non ſolùm habet motum, ſed etiam deliberat quomodo faciat, & iſta eſt mors in domo, hæc paſsio duplex eſt. Alius enim in ea cogitatione delectatur, & bonum eſt ei ibi immorari, & tamen nollet perficere, etſi haberet oportunitatem. Alius non ſolùm delectatur, ſed quærit etiam opportunitatem, quæ aliquando deſicit, nec vt vellet contingit, hæc ab actu occulto non differt. Prima paſsio dicitur delectatio. Secunda conſenſus, aliquando etiam nomina alternantur. Deinde ſequitur actus, qui eſt mors in porta. Tandem conſuetudo, quæ eſt mors quatriduani. Cùm ergo prohibeat iram, videtur contrarius eſſe ei, qui dicit: Iraſcimini & nolite peccare. Sed qui dicit, Iraſcimini, de paſsione dicit, quæ auferri non poteſt, & non eſt criminalis, imo naturalis. Deus autem prohibet paſsionis iram, quæ eſt ex deliberatione, quæ eſt criminalis, quæ eſt mors. irã prohibet ideò, & ipſam voluntatem mœchandi, per quæ duo intelliguntur omnes motus ad nocendum fratri, & omnes motus ad concupiſcendas carnales voluptates. Qui duo motus vocantur ira & concupiſcentia, ex quibus omnes naſcuntur actus. Et ſciendum eſt, quòd omnes motus ad nocendum fratri, inter genera homicidij computantur, id eſt, detractio, quæ eſt effectus odij & iræ, & homicidium dicitur, vnde Apoſtolus Ioannes: Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Dicit itaque: *Omnis qui iraſcitur, &c.*) Sine cauſa addunt quidam codices, ſed in Græco non additur, nec eſt opus. Idem enim ſenſus eſt, ſi quid ſit iraſci fratri attendatur. Qui fratri, non peccato fratris iraſcitur, ille ſine cauſa iraſcitur. Si enim aliquis iraſcatur ad correctionem fratris, non contra fratrem, ſed contra peccatum iraſcitur. Si autem aliquis propter contumeliam ſuam fratrem odit, ille ſine cauſa debita iraſcitur. Non enim propterea iraſci debet. Et bene dixit *fratri*, omnis enim homo frater eſt, per primam generationem, & ſpiritualiter fidelis per ſecundam, id eſt, per regenerationem. Quum dicit fratri, remouet propaſsionem, nondum enim illa dirigitur in fratrem. *Qui dixerit fratri ſuo Racha, &cæt.*) Racha eſt interiectio, & ſignificat affectum iræ. q.d. Qui non tantùm iratus fuerit, ſed etiam in vocem indignationis proruperit, maiorem pœnam promeretur. *Qui autem dixerit fatue*, id eſt, conuitio fratrem deturpauerit, quod plus eſt, deteriorem pœnam recipiet. Nota quia & iudicium & concilium, & gehenna pœnam ſignificãt infernalem. Sed quia ſecundum qualitatem culpæ, qualitas pœnæ variatur, voluit Dominus per hæc nomina ſignificare illas differentias. Minus eſt enim iudicium, quando ſcilicet cum reo agitur, & locum defenſionis habet, quã concilium. Concilium enim vocatur, quando iudices congregati ſunt non ad cauſam audiendam, ſed ad dandam ſententiam. Et grauiùs eſt iam ponere in pœna, quàm ſententiam dare. Similiter maior pœna erit, ſecundum maioritatem peccati, & gradus tantùm pœnæ per illa nomina ſignificantur. Gehenna eſt primum inuẽtum in Euangelio, & ſumptum eſt ab hiſtoria. Vallis enim eſt, non erat valde amœna & delectabilis, in qua, relicto templo Domini, Iudæi ſolebant idolis ſacrificare. Sed Ieremias videns deſtructionem Ieruſalem à Nabugodonoſor futuram, prædixit locum illum in quo ſacrificauerunt eo tempore, mortuorum cadaueribus implendum, quod tempore captiuitatis completum eſt. Tanta enim interfectio fuit Iudæorum facta, quod locus ille impletus mortuis, verſus eſt in maximum fœtorem. Cui fœtori Dominus pœnam infernalem comparans, vocat infernum, terram hennon, quod eſt, gehenna. Ge, enim terra, henna hennon dicitur. Si enim præcipit Deus non iraſci, non lædere verbo. Si autem læſerit aliquo modo fratrem ſuum, docet Dominus & quid ſibi contingat, & quomodo medeatur ſibi, hoc malum ſibi eueniet, quod & Caim, quod ſcilicet Dominus non reſpiciet ad eum, neque ad munera eius, ſicut nec Caim, qui fratri inuidebat & eum odio habebat. Hanc autem medicinam donat ei vt fratri ſuo reconcilietur, & tunc Domino munera eius placebunt. Dilectio enim proximi ſemper tempore præcedit, & dilectio Dei ſequitur. Priùs ergo diligit proximũ, & pòſt dilectionem Dei acquirit.

Continuatio.) Præcepit, ne læſeris fratrem nec mente nec opere, ergo ſi læſeris & volueris offerre munus tuum ante altare, &c, quaſi diceret: *Si offers munus tuum*, ſiue corporale, vt candelam: ſiue ſpirituale, vt orationem. *Ad altare*, ſiue materiale, ſiue ſpirituale, id eſt, Chriſtum. *Et tunc recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te*, id eſt, aliquam querelam contra te, non tu aduerſus fratrem tuum, noli offerre munus tuum tunc, neque tamen orationem poſtponere, quia Dauid dicit: Redde altiſsimo vota tua, *ſed relinque*, id eſt, differ offerre: *ibi*, id eſt, poſtquam recordatus fueris, *antè*, in eſt, antequã offeras ad altare, *& uade priùs reconciliari fratri tuo*, ſi præſens eſt, & humiliare ei, & fac quod ad te attinet. Si autem abſens eſt, promitte & habeas bonam voluntatem, vt quàm citiùs inuenies, humiliabis

miliabis te illi, & bene pœniteas in corde tuo, & tunc reuertere ad oblationem tuam. *Eſto conſentiens.* Dicet ille: Et ſi noluerit mihi condonare, quid faciam? Eſto, inquit, ei conſentiens, id eſt, beneuolus, & ſis ei amicus, & ora pro eo, ſed non differendum eſt, ſed citò debes ei reconciliari, & eum diligere & pœnitere de læſione. Dum es in via, id eſt, in hoc ſeculo cum eo. Si autem mortuus fuerit antequàm concilieris, periculoſius erit tibi. Sed tamẽ ſi pœniteas, tũc quoque poteris ſaluari, licèt cum maiori pœnitẽtia.

Ne forte.) Ideò dum es in via debes reconciliari. *Ne fortè tradat te aduerſarius.* Id eſt, ſit cauſa quare tradaris. *Iudici*, id eſt, Deo. *Et iudex miniſtro*, id eſt, angelo meſſori, &c. Vel aliter: Aduerſarius eſt diuinus ſermo, qui noſtræ carnis voluptatibus aduerſatur: & quàm diu eſt ille aduerſarius noſter quem leſimus, & diuinus ſermo. Iubet ergo, vt ſit conſentiens ille, qui læſit, diuino ſermoni, qui præcipit diligere aduerſarios noſtros, & eis reconciliari, ne ſimiliter ſit cauſa, quare tradatur iudici: quadrantem vocat minima peccata, quia quadrans genus eſt nummi qui habet duo minuta. Quaſi diceret: donec perſoluat, id eſt, luat etiam minima peccata, quod nunquam erit. Vel nouiſsimus quadrans dicitur terra, quia quatuor ſunt elementa: inferior quadrans eſt terra & deterior. Ignis enim ſignificat charitatem, aër vitam noſtram, aqua baptiſmum, terra omnem corruptionem, & hoc eſt: *donec perſoluat nouiſsimum quadrantem*, id eſt, omnia peccata quæ per terram deſigantur.

Audiſtis &c.) Egit huc vſque de omni motu ad nocendum, modò agit de omni motu ad concupiſcendum, qui per mœchationem intelligitur: quaſi diceret: Adhuc oſtendo quomodo ſit abundantior iuſtitia veſtra iuſtitiâ ſcribarum. Lex prohibet actualem fornicationem, ego etiam mechiam cordis. Si autem objcit aliquis, quòd lex præcipit, non concupiſces vxorem proximi tui, non videbatur Iudæis hoc eſſe dictum, niſi de ablatione alienæ vxoris, vt nullus ſcilicet vellet auferre vxorem alterius, & nõ credebant eſſe adulterium deſiderare concubitum alterius vxoris, & ideò ait Dominus:

Ego autem dico vobis, quoniam omnis qui viderit mulierem,) non viſu corporeo, ſed *ad concupiſcendam eam*, id eſt, oculis concupiſcentiæ. Hi ſunt oculi qui aperti ſunt in Adam & in Eua: Erat enim clauſa in eis concupiſcentia exteriorum & carnalium voluptatum. Sed corruptá naturâ hominis, cœpit aperiri & diffluere huc & illuc cõcupiſcentia ad oẽs carnales voluptates. Iſta verò apertio mala fuit. Mulier enim hic accepit oẽm carnalem voluptatẽ & fornicationẽ largè. Homo enim debet eſſe ſponſa Chriſti, & adhærere ei quaſi æterno bono. Si quis ergo relicto æterno bono, adhæret alicui inferiori, ſiue idolis, ſiue auro, ſiue mulieri, vel alij voluptati, à Deo fornicatur. Quod ſi ponit finem præcepti, addẽs etiã de operatione. Quaſi diceret per ſingula? Omnem malam intelligentiam & operationem à te remoue. Per oculum enim intelligentiam accipit, per manum operationem. Per hæc enim duo ſoli peccãt homines: ſed priùs de oculis agit. Oculus iſte ita largè accipitur, vt ſignificet quicquid pertinet ad intelligentiam. In primis dicitur oculus aliquis bonus doctor, qui intelligentiam illuminat docẽdo ſcripturas. Si iſte docet ſeculária, ſiniſter eſt: ſi docet cæleſtia, dexter eſt. Si ergo doctor ille etiam qui dexter eſt, id eſt, qui diuina exponit, ſcandalizat te, aliquàm hæreſim interſerendo, erue eum à te, & etiam ſepara longè. Iterùm oculus eſt ratio, & exercitium noſtrũ in ſcripturis. Si ergo exercitatio noſtra in diuina ſcriptura, per ingenij noſtri ſubtilitatem in aliquem errorem nos inducat, antè debemus exercitationem illarum ſcripturarũ dimittere, & antè ruſticè viuere, quàm ſapiẽtes hæretici pereamus. Rurſus oculus noſter eſt vita contemplatiua. Si ergo illa ſcandalizat nos in deſidiam mittendo, vt plures monachos facit, deſeramus eam, & ad actiuam tranſeamus, & aliquem laborem faciamus, vt ſaluemur in ea potiùs quàm ibi lugendo pereamus, & ita de cæteris: *quia potiùs expedit*, id eſt, conuenit, *ut pereat unum membrum*, id eſt, amicus noſter, vel alia quæ dicũtur membra noſtra, quę iuuant nos & ſuſtentant, *quam totum corpus*, id eſt, ego & amicus pereamus. *Et ſi dextera, &c.* Dextera manus ſimiliter dicitur aliquis cooperator mecũ in bonis operibus. Siniſtra manus, aliquis cooperator mecum in malis rebus. Et ſi dextera, id eſt, dexter cooperator ſcandalizat te, aliquod peccatum monendo facere, nec aliter poſſis euadere, debes eum dimittere, ſicut multi Eremitæ ſocios ſuos dimiſerũt. Vel manus ſimiliter poteſt ſignificare aliquam bonam operationem, vel actiuam vitam, quæ ſi noceat deſeramus eam. Si enim viſitarem aliquam pauperculam & eam paſcerem, & diabolus me tentaret in ea, illam eleemoſynam deberem potiùs dimittere. Vel ſi abbas meus me ad contraria opera mitteret, & ibi nõ poſſem me ſaluare, excuſare me debeo. Si aũt ſæpius me coẽgerit, nec aliter euadere poſſem, eum potiùs aufugere debeo. *Dictũ eſt autem, &c.* Iterùm oſtendit abundantiorem iuſtitiam. Moyſes propter duritiam cordis Iudæorũ permiſit, nõ præcepit, dimittere vxores ſi diſpliceret, quia eſſent litigioſæ vel fœdæ, vel propter multas alias cauſas, potiùs quàm eas interficerent. Leuiùs enim erat dimittere quã interficere, & tũc qui eas dimittebãt peccabãt, nec ſaluabãt. Multa enim permittũtur propter grauiora vitãda, & quaſi cõſulitur, cùm alterũ ſit neceſſe. Vel leuiùs vel grauiꝰ peccare, quãdo in inferno puniãtur leuiùs, & tũc ille qui dimittebat, libellũ repudij tradebat, in quo libello qd ſcriptũ erat ignoratur, niſi forte cauſa repudij, & vineę & terræ redditus vnde vxor viueret.

Ego autem dico non dimitti vxorem, quia omnis, qui dimittit vxorem facit eam mœchari) Quantũ in se est, licèt aliquãdo illa nolit mœchari. Videtur sibi esse cõtrarius, cùm dicat alibi: Qui non odit patrem vel matrẽ &c. nõ est me dignus. Et alibi: Qui non reliquerit patrem vel matrem vel vxorem propter me, non potest meus esse discipulus. Vel: Qui non odit patrem vel matrem &c. non est me dignus. Et alibi: Qui nõ reliquerit patrem vel matrem aut vxorem propter me, non potest meus esse discipulus. Sed non est. Hoc enim modo intelligitur: Homo debet diligere summum bonum, & respectu eius debet odisse & contemnere omnes miserias huius mundi, & velle non esse, & omnes conditiones mundanas, sicut est nasci quod habemus à patre, & concumbere quamuis cum vxore, &c.

Personas autem nobiscum in cælo velle esse debemus, & hoc est odisse patrem vel matrem, &cæt. & tamen illas conditiones debemus pati, quia nobis datæ sunt ad pœnam, & ad humiliationem. Si autem pater aut vxor in aliquod peccatum nos trahant, tunc dimittere eos debemus propter Deum, quia nihil contra Deum eis debemus. Hic autem præcipit non dimittere vxorem, nisi tantùm exceptâ causâ fornicationis. Si enim ipsa ruperit legem coniugij, potest eã homo à se separare, vt commixtionem illam auferat sibi, quam violauit. Sed tamen sacramentum coniugij remanet vt non aliam ducat, licitum est eam retinere si voluerit, iuxta Apostolum, qui iubet aut abstinere aut reconciliari, vtrunq; enim licitum est. Tamen scriptum inuenitur, qui adulteram retinet, stultus & improbus est. Sed de illa dicitur quæ assiduè peccat, ne sit socius eius adulterij, si eam conscius toleret. Accipitur hîc fornicatio largè, vt si illa peruertit cor mariti in idololatriã, vel in aliud criminale, vt non posset cum ea saluari, dimittat eam. Ecce causa fornicationis vxoris debet eam dimittere, & causa fornicationis spiritualis, ne ipsa scilicet fornicetur, sed si pari consensu voluerint abstinere, possunt separari, vt iste monachus, illa monialis fiat, & tunc non separat eos homo sed Deus. Quod non est contrarium illi qui dixit: Quos Deus coniunxit, homo non separet. Item si aliquis accipiat vxoris suæ mortuæ cognatam vel suam, dimittat eam, & ducat aliam, quia non fuit sua vxor. Similiter si accipiat ancillam insciens, postquam sciet laborem vt eam liberet, vel eam dimittat, quia non fuit coniugium, sed suppositio. Non enim lex Dei facit iniuriam dominus mundi, vt eis seruos auferat vel ancillas. Si frigidæ naturæ est vir, nõ perfectum est coniugium, dimittat ipsa eum, & nubat alteri. Iterùm autem audistis, quia dictum est antiquis: *Non periurabis.*) Moyses videns se non posse auferre iuramentum, aufert periurium, & iterum quia illa per quę iurant homines, habent in magna reuerentia, ne creaturas facerent sibi deos, præcepit Deo reddere iuramenta, & non iurare per creaturas. Dominus autem perfectiùs eos à periurio remouet, cùm omnino iurare prohibet. Iuramentum tamen neq; bonum neque malum per se, quia etiam præcipitur & prohibetur cum additamento. Sunt quædã petenda per se, & quædã vitanda per se, vt fornicatio & quędam vitanda propter aliud, vt clericum habitare cum muliere, vitandũ est, scilicet propter suspitionem & tentationem. Alia facienda sunt propter aliud, vt iurare propter incredulitatem hominum, ne peccent in nobis proximi malè suspicando de nobis, quia crudelitas est famam contemnere, in qua proximus occiditur. Iuramentum enim est de istis vltimis, quia per se non est malum, quia si esset malum, non aliquando præciperetur, nec bonum est quod prohibetur. Iubetur tamen propter necessitatem, prohibetur si ociosum sit, quia tũc malum est. Est etiã ociosum & superfluum, & generat periurium, si sæpiùs frequentetur. *Neq; per cœlum.*) Quia prohibuerat omnino iurare absolutè, ne putaretis quod iurare per Deũ solum prohibuisset, & nullum esset peccatum iurare per creaturas, & periurare eas, addit: *Neque per cœlum,* id est, per creaturas superiores. *Neque per terram,*) id est, inferiores. Non dicitur cœlum thronus, neq; terra scabellum, ideò quod Deus huiusmodi positionẽ habeat, qui totus est vbiq;, sed voluit significare dignitatem cœli, quia maiorem pulcritudinem habet cœlũ quàm terra, & plus admiramur Deũ in cœli creatione, quàm in terræ. Vnde dicitur sedere in cœlo, & dicitur terra esse sub pedibus, quia vilior esse videtur, sicut illa quæ pedibus conculcantur, & in hoc tamẽ Deus vtrunq; possidere significatur, hoc vt dignius, hoc autem vt vilius. Tria sunt quare non debemus periurare per creaturas, tũ quia bonæ sunt factæ à summo bono, tum quia Deus habitat in eis, & qui iuraret per creaturas, iuraret per inhabitantem, tum quia sunt sacramentorum magnorum signa. Cœlum enim significat animas iustorum, in quibus regnat Deus & iudicat, terra autem terrenos homines quos hbeat sub pedibus, id est, sub potestate. Ierusalem verò ecclesiã, quę est verè ciuitas Dei, & ideò propter significata figuræ sunt venerandæ, ne iurando per figuras violet significata. *Neq; per caput tuũ.*) Caput significat Christum, quasi dicat: ideò non debes iurare per caput, quia non est opus tuum, sed Dei: & verè non tuum, quia non potes nec vnum capillum creare, sed nec etiam colorem dare. Nota quòd qui mẽtitur peccat, qui autem per Deum affirmat, & postea fallit, dupliciter peccat, & in mentiendo & in falsitate affirmationis per iuramentum quod periurium est. *Si aũt, &c.* Quomodo ergo loquemur dicent illi, qui semper iurare cõsueuimꝰ? Sic respõdetur: Si aliquis dixerit, est? respondete, est, si affirmare vultis.

Si ve-

Si verò aliquis dixerit non est? respondete, non, si negare vultis. Vel sermo vester sit est est, vt & verbo & signo affirmatio sit, vel non non, ne aliud sermo dicat, & aliud signa vel opera. *Quod autem, &c*) Prohibuit iuramentum ociosum, si autem necessarium est, non prohibet, quia Paulus iurauit in epistolis, vbi dicit: Testis est mihi Deus: & Deus iurauit, per memetipsum iuraui, & ideò addit, quod abundantiùs est extra hunc sermonem, id est, est est, non non, à malo est, quasi dicat: Si iurare cogaris, à malo est, id est, ab incredulitate audientis, non dicit malum est, sed à malo, id est, à suspitione cogentis procedit iurare. Si enim aliquis innocens accusatur, vt satisfaciat audientibus de eo malè suspicantibus iuret, non enim negligenda est fama, in qua proximus occidatur. *Audistis, &c.*) Docet iterùm abundantiorem iustitiam. Moyses dedit quoddam præceptum, & pro læsis & pro temerarijs lædentibus. Ne enim omnes temerarij essent in læsionibus aliorum, posuit pœnam vt refrænarentur. Item quia nõ potuit omnino retrahere manus læsorum à vindicta, saltem voluit iram eorum contemperare, ne super iniuriã vindicarent se, pro pari parem redderent talionem. Solent etiam iniuriati grauiùs iniuriam vindicare quàm essent, quia etiam pro verbo interficere hominem. Christus autem perfectiorem iustitiam docet, id est, omnino nõ resistere malo, id est, lædenti, sed pati iniuriam nõ referre, vindicta tamen non omnino prohibetur. Dominus enim punit malos cum dicit: Discedite à me maledicti, &c. & qui dedit maxillas percutienti, & Dauid qui dicebat: Si reddidi retribuẽtibus mihi mala, hæc & hæc eueniant mihi, multos puniuit. Sunt enim vicarij Dei seculares potestates, quæ vice Dei malos damnant, & ad vtilitatem eorum & ad terrorem aliorum. Licèt enim istis vindictas de malefactis accipere, sed zelo iustitiæ, non delectatione pœnæ, sicut Deus facit, hoc modo puniebat Dauid. Suas etiam iniurias potest vindicare, non sicut homo, sed sicut iudex, Cæteris autem hominibus accipere vindictam prohibetur, læsi enim non pro amore iustitiæ hoc facerent, sed in odium, vnde Dominus ait: Mihi vindictam, ego retribuam, vel in persona mea, vel per vicarium, qui nõ ferit hominem, sed peccatum vt homo corrigatur. Tres iniurias ponit, læsionem in persona: rerum ablationem: & angarias in seruitiũ, quos omnes iubet tolerare. De læsione enim personæ agit, cùm dicit: Si quis percusserit te in maxillam, &cæt. Quamuis ad literam non absurdum sit accipere, tamen dominus non legitur hoc fecisse, sed percussus in maxillam, respondisse: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo, &cæt. Nec Apostoli similiter. Per maxillam igitur dexteram accipitur læsio aperta in re digna. Per maxillam, apertio: per dexteram, res digna intelligitur, quasi dicat: Si quis improperauerit tibi quod Christianus es vel religiosus, vel aliquid dignum huiusmodi, quæ læsio aperta est, & in re digna, præbe ei & alteram, non dicit sinistram, sed alteram dexteram, subaudit: Bonus enim homo nihil habet in se sinistrum, sed omnia dextra, vnde legitur in libro Iudicum: Aho͡t sinistra vsus fuisse pro dextra, quasi dicat: præbe ei & alteram, id est, patere eti am in læsione alterius dexterę operationis sicut opus fuit. Si enim improperat quod tu es Christianus, & sis etiam paratus pati, & vocette ideò hypocritam, quia religiosus es. *Et ei, &c.*) Agit de iniuria ablationis rerum, prohibet enim nos repetere nostra si auferantur, si sine contentione hoc facere possumus: sin autem, vt ait Apostolus, potiùs debemus pati fraudem quam in iudicio cum fratre contendere, & ideò dominus ait: *Et ei qui vult tecum in iudicio contendere, &c.*) Si enim velit cõtendere, potiùs dimittamus res nostras. Per tunicam quæ carni propinquior est, necessaria intelliguntur, per pallium superflua. Lucas meliori ordine vsus est, qui dicit: Quod si quis tulerit pallium, dimitte & tunicam, id est, si quis tulerit superflua, dimitte ei & necessaria, si opus fuerit. *Et quicunque, &c.*) Ecce tertia iniuria de angaria, sicut si aliquis, non dico læserit fidelem, vel res abstulerit, sed si eum seruire sibi coegerit, quod in captiuitate solet fieri, patiatur & seruiat, & etiã plus quàm præcepit. Sed si angariauerit eum aliquid illicitum facere, vt peccatum, potiùs patiatur se interfici, quod in hac metaphora intelligitur. *Quicunque angariauerit te mille passus,* id est, aliquod licitum opus. Mille enim passus sunt iter sabbati, in quo seruilia opera prohibentur: ergo mille passus non est seruile opus, sed licitum, quod & numerus millenarius designat, qui perfectionem significat, quasi dicat: Si angariauerit te ad aliquod seruile opus, id est, peccatum quod facit seruus, noli facere. Sed si mille passus, id est, aliquod licitum coëgerit, sicut fodere in vinea sua, vade, id est, perfice quod cogit, & non solum mille passus, sed etiam duo milia. Ter ponit mille, quia tribus modis iubet seruire, corpore, animo, spiritu: vt & toto corpore operetur, & spiritu, id est, voluntate, & animo, id est, ratione, scilicet pro Deo, non pro timore, non pro cupiditate, sed quia Deum remuneratorem expectat. Mysticè etiam quædam intelliguntur: Vt si hæreticus dextrum dogma violare voluerit, oppone aliud testimonium scripturæ, & iterum præbe alterum donec lassescat. Spiritualiter doctor tunicam tollit, cum interiora facit confiteri, id est, vitia animæ, vt iram, inuidiam & huiusmodi, ille addit & pallium, qui non confiteri erubescit exteriora, id est, vitia carnis, vt fornicationem, &cætera. *Et qui, &c.*) Et quia nõ sufficit pati damna, nisi demus nostra, addit: *Et qui petit à te, da ei,*) Non dicit quidquid petit, sed da. Si petit rem honestam, da vel totum, vel par-

tem si non potes totum: & si neutrum potes, da voluntatem, si petit rem inhonestam, da correctionem.

Et volenti mutuari à te, ne auertaris ab eo, sed libenter accõmoda. Est enim quoddã genus misericordię accómodare, sed nõ vt plus recipiat. Audistis quia dictum est: *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.*) Hoc fuit permissio non præceptum, ego autem dico vobis: *Diligite, &c:*) Ponit tria genera inimicorum. Alij enim manu nocent, alij lingua, alij corde, quos præcipit diligi. Odientes corde inimicantur, calumniantes ore, persequentes manu. Prophetæ videntur esse contrarij huic præcepto, qui mala inimicis imprecantur. Sed ipsi videntur voluntatem Dei approbare, non imprecabantur, sed diuino iudicio consensum præbebant. Iterum cùm præcipiat orare pro inimicis, videtur Ioannes contrarium dicere. Si quis sciat fratrem suum peccare non ad mortem, oret pro eo, & dabit illi vitam dominus. Est autem peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis: vbi apertè ostenditur, quosdam fratres esse, pro quibus orare non iubemur. Peccatum ad mortem est, cum post agnitionem veritatis perseuersus tamen oppugnat fraternitatem. & homini bono inuidet, & bonum odit, & in malo suo omnino obstinatus est. Quod peccatum obstinatio, vel impœnitentia vocatur. hæc labes talis est, vt humilitatem pœnitendi subire nõ possit, & precandi, licèt aliquando pœniteat, sicut Iudas qui dixit: Peccaui, tradens sanguinem iusti, & noluit humiliare se, & præcari veniam, sed faciliùs cucurrit ad laqueum, & huic pœnitentiæ non ignoscit Deus. Homo huiusmodi qui diabolicum peccatum incurrit, iam cum diabolo damnatus est, nec pro eo sicut nec pro diabolo orandum est. Sed non omnes cognoscunt eum nisi spirituales viri, vt Ioannes, & ideò non præcipitur nisi ei qui scit nõ orare pro eo, vnde indiscretè pro omnibus oramus, quia discernere nescimus. Cætera peccata non dicuntur ad mortem, quia de eis pœnitere possunt homines, & quia sanari possunt, non est neganda medicina orationis: pro impœnitentia verò non est orandum, quia iam est in inferno, id est, in desperatione. Hic autem præcipit Dominus orare pro infidelibus persequentibus. Ioannes autem agit de fratribus, & ideò non est contrarium. Vel non pro omnibus præcipit orari, sicut nec ipse pro omnibus creditur orasse in passione, sed pro illis, qui non erãt in diabolico peccato, nec scienter, nec per inuidiã impugnabant veritatẽ, sed per ignorantiam, vnde ait, quia nesciũt quid faciũt. Hi sunt videlicèt illi quos Petrus posteà conuertit, quibus ait Petrus, quod per ignorantiam fecerant, sicut & principes quidam scilicet eorum. *Vt sitis filij patris uestri, &c.*) Quasi dicat, vt imitemini illum qui semper pater vester est, id est, beneuolus vobis, quamuis non sitis filij eius, sicut in Euangelio ille qui vixerat luxuriosè, dixit. Pater iam non sum dignus vocari filius tuus. Patrem vocauit, & tamen se filium denegauit: & in quo debeant imitari, subdit: *Qui facit Solem suum oriri, &c.* Quasi dicat, qui benefacit gratuitò bonis & malis. Solem visibilem accipe, non solem iustitiæ, quia ille non est ortus omnibus. Pluuiam iterùm materialem accipe, non doctrinam spiritualem, quia illa negata est quibusdam ciuitatibus, ideò non est generalis sententia. *Si enim, &c.* Diligite inimicos, non tantùm amicos, quia si tantùm diligitis quia vos diligunt, nullam mercedem habebitis. Si tamen diliguntur amici non propter carnalem affectum, sed propter Dei præceptum, qui ait: Honora patrem, &cæt. tunc merces habetur. Publicani dicuntur qui publica vestigalia exigunt, vel à Publio Romanorum duce dicuntur, qui instituit huiusmodi quæstores. *Et si salutaueritis fratres tantùm, &c.*) Id est, si tantùm amicis vestris bona optetis, in hoc quid facietis amplius? id est, quo sitis ampliores gentibus? id est, meliores. Ethnos interpretatur gens, inde ethnicus, id est, gentilis. *Estote ergò, &cæt.* Quia illud non sufficit, ergo estote parati, non tantùm amicis, sed sicut pater vester, qui amicos & inimicos diligit, quia creatura sua sunt, & ideò dat eis tẽporalia necessaria.

CAPVT VI.

ATtendite ne iustitiam vestram, &cæt.) Instructis illis in perfectiori iustitia agit de fine, vt non tamen hoc fine faciant, scilicet propter humanum fauorem. Et agit de tribus virtutibus, eleemosyna, ieiunio, & oratione, remouendo à singulis hunc finem. Non prohibet fieri opera coram hominibus, quia superius dixit: Luceat lux vestra coram hominibus, sed hac intentione fieri prohibet, vt videantur, id est, vt velint videri. *Cùm ergo, &cæt.*) Quandoquidem nullam iustitiam, ergo nec eleemosynam pro laude faciatis. Tangit morem Iudæorum, qui quando Pauperes congregare volebant, tuba sonabant in publicis locis, & hoc præcipuè faciebant hypocritæ, qui sub specie boni laudes querebãt, quasi dicat: Noli tuba canere, id est, noli facta tua notificare & innotescere, ea intentione sicut hypocritæ, quia receperunt mercedẽ laudis: vel receperunt quidã eorũ in inferno mercedẽ suã, id est, aptã. *Tu autẽ, &c.*) Quia aliquis diceret: Ego faciam pro vtroque, & pro æterno bono, & pro humana laude prohibet illud, quia Deus non patitur secum esse participem. Dextra est amor cœlestium bonorum. Sinistra verò est amor temporalium bonorum, laudis scilicet & cæterorũ, non ergo consocientur isti amores, & nesciat sinistra, id est, petitio humanæ laudis, quid faciat dextra, id est, amor & cœlestium respectus: vt sit eleemosyna tua in abscondito, id est, in pura cõscientia, vbi homo

homo non videt, sed Deus tantùm. *Et cum oratis, &cæt.*) *Qui amant orare stantes,* quasi cum labore in synagogis, id est, in angulis platearum. Duo genera notat hypocritarum, alios qui apertè orant in publico vt viderentur, sicut illi qui orant in synagogis, vbi est totus conuentus hominum, & alios qui licet in publico orarent, tamen latere se velle simulabant, cum tamen vellent videri, sicut illi qui in plateis orabant, sed tamen in angulis. *Tu autem cùm orabis, intra, &c.*) Ad literam est hoc bonum facere, tamen aptiùs accipitur per cubiculum secretum conscientiæ, in quo cubili oportet vt non sit litigiosa vxor, id est, carnalitas quæ inquietet & faciat foràs vagari mẽtem, non permittens sibi quiescere. Oportet igitur eam domari & comprimi, vt non inquietet & litiget. Sed non valet refugere ad cubiculum, nisi clauso ostio, ne intret turba phantasmatum. Ostia sunt vt quinq; sensus corporis, & præcipuè timore & amor terrenus. Per hæc enim duo ostia intrant omnia fantasmata peccatorum, quæ claudenda sunt. *Orantes.* Ostenso vbi sit orandũ, docet quomodo sit orandum, remouendo falsam intentionem gentilium ab orationibus nostris. Gentiles qui seruiebant dæmonijs non credebant, sicut nec erant, in diuersis locis, deos suos esse, & ideò faciebant longas orationes in multiloquio, confidentes, vt per eas ab alijs locis reuocarent. Præterea dæmones non possunt cogitationes intelligere, nisi aliquibus signis indicentur. Erant igitur omnia verbis suis incitanda. Credebant etiam gentiles verborum compositione deos ad compassionem mouere, sicut & homines, faciebant igitur longas orationes in multiloquio confidentes. Hoc remouet Christus, non quòd prohibeat longas orationes, quia pernoctasse in oratione legitur, & passione imminente, prolixiùs orasse dicitur, & Apostolus ait: Orãtes sine intermissione: sed hac intentione longas fieri prohibet, vt quasi in multiloquio tantùm confidant, & non in propria conscientia. vnde ait: *Nolite multum loqui.* multum dico, *sicut,* id est, eadẽ intentione qua *ethnici,* id est, gentiles. *Putant enim.* Exponit intentionem eorum, quod in multiloquio exaudiantur. *Scit nanq;, &c.*) Quasi dicat, non est talis, quales sunt dij eorum, qui ne sciũt voluntatem hominum nisi verba audiant. Quæritur ergo, quare verba promuntur in secretis orationibus, vt videlicet Deo, opere, voce, corde seruiamus, & potiùs propter nos, vt incitemur orando per verba ne desipiamus, & vt quędam verba audita à nobis, nos ad compunctionem moueant. *Sic ergo, &c.*) Docuit orandum, & vbi & quomodo. Docet quæ sunt oranda, ponendo breuiter summam omnium quæ debent postulari à Deo. Et sicut superiùs docuit septẽ virtutes quibus homines efficiantur beati, de quibus omnes aliæ dependent, sic materiam petitionum ponit, ne errent homines in petitionibus, & ne aliquid quod non includatur in aliqua istarum, petatur. Pauca verba & plena mysterijs ponit, vt & idiota possit retinere, & summatim intelligere, & sapiẽs ibi inueniat profunda mysteria, in quibus se posset diu exercere: & quæcunq; in orationibus diffuse petuntur, hic omnia breuiter inueniuntur. *Pater noster.*) Septẽ sunt petitiones, sicut septem dona spiritus, & septẽ virtutes superiùs expositæ. Per petitiões venitur ad dona, & per dona ad virtutes, per virtutes ad beatitudinem. Istæ petitiones distinctæ sunt secundum duas vitas, quia vita alia temporalis, alia cœlestis. Per temporalem transitur ad cœlestem, si bene & rectè vtatur temporali viator, ita quod non adhæreat huic mundo, imò liberetur ab eo. Tres vltimæ petitiones pertinent ad temporalem vitam, & tres primæ consummabuntur in cœlesti vita. Media verò, quamuis de cœlestibus sit, hîc tamen completur, quia panis spiritualis ideò petitur, vt in præsenti eo fruamur, & per eum cõfortemur. Sed antequam ad petitiones veniatur, captatio beneuolentiæ more orantis præmittitur, cùm dicat: Pater noster, inducitur vnusquisque fidelis orans, non sibi, sed communi saluti hominũ, vt charitas & vnitas ecclesiæ designetur, in qua tam bene desiderat frater salutem fratris sicut & suam. Dicit ergo, *Pater noster*) Cùm vocet eum patrem, debet esse filius, neque degenerare à tanto patre, qui affectu & beneuolẽtia est pater. Cùm vocamus patrem, significamus quòd iam non sumus serui, sed filij. Cùm dicit noster, significat quòd multorum est, non vnius tantùm. Qui enim habebat vnum filium naturaliter per gratiam suam, voluit & alios adoptionis filios addere. Ecce communis est pater omnium nostrũm, per quod admonentur omnes eiusdem fraternitatis & vnanimitatis. Non applaudat sibi diues, vel nobilis, siue dominus, quia similiter filius Dei est pauper, ignobilis, & seruus. Omnes ita q; fratres sumus. Cum dicitur: *Qui es in cœlis,* videtur orare ille qui est in imo, vt ad patrem suum, qui est in cœlis, id est, in immutabilitate, æternitate, impassibilitate, posit ascendere, vt cum eo fiat immutabilis, impassibilis. Præmissa captatione beneuolentiæ, accedit ad petitiones. Sed alio modo ordinantur, quàm in hominibus cõplentur. Præmittuntur enim illæ petitiones? quæ in futuro erunt consummatæ, quia digniores sunt. Posteà ponuntur illæ quæ ad præsentem vitam pertinent, quia indigniores sunt. Sicut Isaias fecit, qui dona Spiritus sancti digniora præmisit descendendo in minimis, & Moyses qui dilectionem proximi, dilectioni Dei præmisit, quãuis sit posterior tempore. Vt ergo melius & dignitatem, & quomodo aliud ex alio nascitur videamus, naturalem ordinem sicut in nobis cõpletur sequamur, priùs, & posteà ad istum ordinem redeamus. Vltima petitio est: Sed libera nos à malo, quæ tamen prima est in nobis. Ho-

mo enim qui vult aſcendere in cœlum, videns quia nõ poteſt aliter aſcẽdere, niſi à malis huius mundi liberetur, clamat: Libera nos à malo, id eſt, à peccato originali & actuali, & à deſiderio huius mundi, vbi & temporalia & meipſum abijcere queam, & fiam pauper ſpiritu. Quod totum fit per ſpiritum timoris, ſicut ſuperiùs expoſitum eſt planiùs in tractatu virtutum. *Et ne nos inducas, &c.*) Abdicatis omnibus terrenis, neceſſe eſt inſtare tentationes interiores & exteriores. Neceſſaria eſt ergo manſuetudo, vt mitis ſit & humilis omnibus nocẽtibus, & nulla ira, nec rancor, id eſt, ſuperbia eũ moueat, quod fit per ſpiritum pietatis, & non orat quod non eueniant, ſed vt non inducatur. Ille inducitur in tentationem, qui ſuccumbit tentationi, & mergitur in ea.

Et dimitte, &c) Quamuis ſit liberatus à malo, quamuis non frangatur tẽtationibus, adhuc tamẽ non poteſt mutari, quin in multis Deum offendat. Et nauis tranſiens per mare, per rimas recipit aquas, & ideò neceſſarius eſt luctus quo peccata abluat, & vt ſibi dimittatur, alijs dimittat, & de miſerijs huius ſeculi doleat, quod totum fit per ſpiritum ſcientiæ. Scientia de terrenis eſt, & ſpiritus ſcientiæ facit lugere hominem, qui quanta ſit miſeria in præſenti facit cognoſcere, & peccatis cognitis facit clamare, *Dimitte nobis debita noſtra.* Id eſt peccata quæ debemus lugere. *Sicut et nos dimittimus debitorib. noſtris.*) Debitores ſunt qui debent nobis pecuniam, & qui fecerunt nobis aliquam iniuriam. Si debent pecuniã & perfectus es, dimitte. Si imperfectus es, licitè requirere potes, ſi ille habeat vnde reddat. Sin autem, debes dimittere, ſi fecit iniuriã, & ſe tibi humiliauerit, dimitte: ſi non vult humiliari, paratus ſis ad condonandum, & fac quantum in te eſt. Illi autem nihil prodeſt quod tu facis, niſi rogauerit, ſed tu te expediſti. *Panem noſtrũ quotidianum, &c.*) Hę tres petitiones ad terrenam vitam pertinent, quia liberatio à malo, tentatio, lugere pro peccatis, in præſenti eſt, & à mundo ſeparatio vocatur, modò tranſitad cœleſtia, & in primis petit ſibi dari panẽ cœleſtem, quò bene operetur, & in via cõfortetur ne deficiat. De cœlo quidem panis petitur, ſed vt hîc comedatur, & ita petitio iſta confinium eſt de temporali ad cœleſtem vitam, quia res cœleſtis inclinari poſtulatur, vt in preſenti habeatur. Panis iſte eſt Deus, qui paſcit angelos, & ſicut panis qui à matre comeditur, in lac in matre conuertitur, vt puer illo fruatur, ſic Deus quo fruuntur angeli ſicuti eſt, nobis verſus eſt in lac, vt eo poſſemus frui. Aſſumpſit enim viſibilem formam vt doceret homines, & ſic ſaltem eum cognoſceremus. Comedimus ergò eum ſemper ſub aliqua ſpecie, in ſacramento altaris, in ſcripturis, & in verbo prædicationis & in omnibus modis, quibus modis nobis reuelatur. Fruimur etiam in illo pane, quando pane terreno veſcimur, vt ei, fortius ſuſtentati, ſeruiamus. Panem iſtum vocat ſuperſubſtantialem, quia ſuper omnes ſubſtantias eſt, & quotidianum eum vocat Lucas, quia eum quotidie aliquo ſupradictorum modorum comedimus, hodie vocat præſens tempus. Per iſtum panem eſurimus & ſitimus iuſtitiam futuram. Iuſtitia enim præſens eſt imperfecta, & quaſi eſuriẽs, de hac eſurie dicitur: Satiabor cùm apparuerit gloria tua, & deſiderium cœleſtis iuſtitię, quę imperfecta eſt, & iſte panis habetur per donum fortitudinis.

Fiat voluntas tua, &c.) Iſtæ tres quæ reſtant non poſſunt impleri perfectè niſi in cœlo. Paſtus illo pane, petit quod voluntas Dei fiat, in terra ſicut in cœlo. Duæ ſunt volũtates in Deo: vna miſericordiæ, quæ non eſt cogens, nec aliquid libero arbitrio aufert, qua omnes homines vult ſaluos fieri, quod tamen in libera voluntate illorum poſitum eſt. Eſt alia quæ eſt de effectibus rerum, de qua dicitur: Omnia quæcunque voluit fecit, huic nemo poteſt reſiſtere, de qua dicitur: Voluntati eius quis reſiſtet? hæc prouidentiæ concordat ſemper, alia verò, non ſemper. Si enim velit per miſericordiam de aliquo prauo quod ſit iuſtus, & conferat ei gratiã ſuam, & tamen ille per liberum arbitrium contradicat, nec gratiæ Dei conſentiat. Hæc voluntas Dei non cõcordat prouidentiæ, quia quamuis per dulcedinem gratiam conferat, tamẽ ſcit non conſenſurũ. Quæ aũt de effectibus eſt, alia eſt permittẽs, alia approbãs. Permittẽs eſt, & efficiat malum quãdocunq; vult. Approbans aũt eſt quòd faciat bonum quandocunq; vult, & vtraq; eſt ex iuſtitia. Itaq; homines reſiſtunt voluntati miſericordiæ, & non reſiſtunt voluntati iuſtitię. In Paulo tamen videtur cogens volũtas Dei, ſed non eſt, quia licèt ſit percuſſus, tamen volũtas erat libera, vt reſiſteret ſi vellet. In cœlo ſunt omnes Dei voluntates, & nullus ibi voluntati Dei reſiſtit, ſed in terra multi contradicunt voluntati Dei, illi ſcilicet, quæ eſt ex miſericordia. Cùm enim vellet prauos etiam ſaluare, ſi vellent, tamen ipſi cõtradicunt operibus huic voluntati. Orat ergo iſte, quod ſicut volũtas Dei eſt in omnibus ciuibus cœli, ita faciat ſe & alios terrenos tales, qui nullo modo volũtati Dei reſiſtant, quod in nullo perfectè completur niſi in cœleſti vita, & tamen aliquo modo in hac vita cõpletur in ſanctis, etſi non per opera, quia nullus ſine macula viuere poteſt.

Sicut in cœlo & in terra.) Diuerſis modis variari poteſt, vt dicamus, ſicut in cœlo, id eſt, in Chriſto, in quo dominico homine deitas ſedet, & ſuæ voluntati tanquam ille homo cõtradixit, ita in terra, id eſt, in Eccleſia fiat. Vel ſicut in cœlo, id eſt, in angelis, ita & in terra, id eſt, in hominibus. Vel ſicut in cœlo, id eſt, in anima iuſti, ita in terra, id eſt, in carne, vt nullo modo caro contradicat ſpiritui, ſed in eadẽ voluntate conſentiat cũ eo. Vel ſicut in cœlo, id eſt, in ſanctis

ctis, viris, ita in terra, id eſt, in peccatoribus. Quod totum eſt per ſpiritum conſilij, qui dat nobis conſilium bonum, quo illam miſericordiam adipiſci poſſumus, vt ſimus ſcilicet miſericordes. Beati enim miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.

Adueniat regnum tuum) Poſtquam aſſecutus eſt illam miſericordiam, vt voluntati Dei non reſiſtat, poſtulat altius donum vt Deum videat, ſcilicet clarè remotis omnibus nebulis phantaſmatum, quod non erit perfectè cõpletum niſi in futuro. Et quamuis illa in cœlo non dentur ordine, tamen ſecundum ordinem dignitatis poſtulantur, quia quamuis non ſint plenariè data, tamen ordine ſunt in terra à ſanctis recepta. Hæc poſtulatio ſexta eſt, quia homo in ſexta die, id eſt, in perfectione quæ per ſenariũ ſignatur ad imaginem Dei factus eſt, quæ imago poſteà per peccatum corrupta eſt. Modo in eandem imaginem ſe reformari petit perfectam, id eſt, in eundem intellectum vt Deum apertè intelligat. Quæ imago regnum Dei dicitur. Videre enim ſummum bonum, eſt regnum cœlorum. Reformatio huius imaginis eſt idem quod munditia cordis. Vnde dicitur: Beati mundo corde, &cæt. Quæ aliquatenus in præſenti habetur. Hęc petitio per ſpiritum intelligentiæ completur.

Sanctificetur nomen tuum.) Hæc eſt ſeptima petitio, vltra quã nulla habetur, quæ meritò ſequitur poſt Dei viſionem. Nihil enim valeret Deum videre, niſi delectaretur homo in illa viſione. Hæc requies & delectatio præfigurata eſt in die ſeptima, in qua dicitur Deus requieuiſſe. Vnde & dicitur: Sanctificauit Deus diem ſabbati, quia in futura requie verè ſancti erunt fideles. Hæc eſt illa pax de qua dicitur: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Quando enim ſimiles erunt Deo impaſsibiles, immortales, incorruptibiles, nulla inquietudine moti, ſed in æterna pace, in qua eſt Deus, viuentes tunc erunt filij Dei & etiam dij participatione vocati. Quod orat iſte: Sanctificetur nomen tuum in nobis, vt tu dicaris pater, & nos filij tui, & etiam dij. Ac ſi diceret: Sanctitas noſtra non erit noſtra, vel dignitas noſtra non erit noſtra, ſed tua in nobis, & ideò ſanctificetur, id eſt, ſanctitas tua fiat & appareat in nobis. & tuũ ſanctum nomen in filiorum appareat dignitate. Hæc petitio completur per ſpiritum ſapientiæ. Differunt ſapientia & intelligentia, ſicut inter nos poſſumus videre. Intelligentia enim intra nos eſt ipſum exercitium inueſtigandi ſcripturas. Sapientia verò ipſa delectatio cognitionis, quia iam nihil inueſtigamꝰ, ſed quaſi omnia ſcimus, & in cognitis delectamur, ita per ſimile in cœlo intelligere, & ipſum videre, non quod in cœlo ſit labor aliquis. Sapientia verò eſt in cognitis delectari. Ita aſcendit, ille qui eſt in terra ad cœlum, & hoc ordine complentur petitiones iſtæ ſeptem. Modo eas legamus ſecundum hoc quod deſcendendo ſunt ordinatę. Quia ille qui petit, vocauerat eum patrem in cœlis regnantẽ, petitionem illam præmiſit quę patri illi vicinior eſt, de pace illa qua homines filij Dei efficiuntur, quaſi diceret:

Pater noſter qui es in cælis. da vt tuum nomen ſanctificetur in nobis.) Id eſt, vt in cœlo tecum maneamus, & filij tui efficiamur. Quam delectationẽ, quia niſi adueniat regnũ tuum nõ poſſumus habere, id eſt, niſi reformes in nobis imaginẽ quæ corrupta eſt. *Ideò adueniat regnũ tuũ.* Quæ imago & immunditia cordis, quia reſtitui non poteſt donec voluntati tuæ conſentiamus, *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra.* Et qui voluntati Dei obedire non poſſumus per omnia, niſi pane corroboremur, *Panem noſtrũ cotidianũ da nobis hodie.* Et quia corpore Chriſti digni ſumus, quàm diu peccatis fœdamur *Ideò dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Vt aũt peccata noſtra intelligamus, & deplorare valeamus, orandum eſt nobis, ne tentationes inimici nos ſibi ſubdant, & ideò dicendum eſt.

Et ne nos inducas in tentationem.) Quibus tentationibus reſiſtere non poſſumus, niſi terrena abdicemus: ideò petendum eſt.

Sed libera nos à malo. Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, &c.) Quia quandam conditionem poſuerat quæ grauis erat, ſcilicet, Dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, vt ad eam nos inuitet, eam nobis commendat, dicens eam quaſi medicinam peccatorum noſtrorum, vt ſi condonare volumus alijs ſua peccata, quæ nobis fecerunt, & Deus noſtra nobis condonabit. Sin autem, nec ipſe noſtra. Nota quòd dicit hominibus & non dicit nos homines, quia illi quibus condonandum eſt, ſunt peccatores.

Cum autem ieiunatis, nolite fieri, &cæt.) Dixerat de eleemoſyna & oratione quod ſi humani fauoris appetitu afficeretur, &c. Similiter modò admonet de ieiunio. Nõ prohibet triſtitiam pœnitentiæ, quia cor cõtritum & humiliatum Deus nõ deſpiciet, ſed triſtitiam per hypocriſim. Si enim lupus induit pellẽ ouis, nõ tamẽ ideò ouis ſua pelle debet priuari. Exterminant, id eſt, deſtruũt per pallorẽ ac macerię faciei ſuę.

Exterminant enim facies ſuas, &c.) Ab exulibus ſumptum eſt, id eſt, extra terminum aliorum verè pœnitentium faciũt pallere & macreſcere facies ſuas, ſed hac intentione, vt appareant hominibus iuſti.

Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum & faciem tuam, &c.) Docuit quòd non eſt faciendum, modò docet quòd eſt faciendum. *Vnge caput tuum.* Conuiuatores, vt dicit Horatius, ſolent vngere facies ſuas. Et mos Palæſtinorum erat vngere caput, & faciem lauare in feſtiuis diebus, vt dierum lætitiam repræſentarent, &

oleo ſolent fouere carnem & hilarem facere. Non eſt ergo credendum, Deum præcepiſſe ieiunantibus, quod eſt luxuriantium & amantium, ſed metaphoricè locutus eſt. Falſi igitur ſunt illi moleſti expoſitores, in vtroque vehementes, qui nihil volunt in veteri Teſtamento accipere ad literam, & nihil allegoricè in nouo. Hic notantur duo ieiunia, aliud gaudij, aliud triſtitiæ. Ieiunium triſtitiæ propter peccata. Ieiunium gaudij eſt, quando contemplatiuus in Deo cogitando adeò delectatur, quòd temporalium etiam eſus obliuiſcitur. Præcipit ergo.

Cum ieiunaueris, laua faciem tuam.) Id eſt, conſcientiam tuam, in qua Deus te cognoſcit ieiunando propter peccata. Vel vnge oleo Spiritus ſancti caput tuum, id eſt, mentem tuam, delectando in Deo & gaudendo. Præpoſterus ordo ibi eſt. Ideò laua faciem, vnge caput, ne cũ ieiunaueris, ad laudem hominum ieiunare videaris. *Qui eſt in abſcondito*, id eſt, in æternitate ſua inuiſibilis. *Videt in abſcondito*, id eſt, in cõſcientia.

Nolite theſaurizare vobis theſauros, &c.) Dixi quia neq; eleemoſynam, neq; orationem, neq; ieiunium, propter laudem hominum facia tis, vel terrenam. Et quid dicerem per ſingula? Iubeo vt nihil propter temporalia velitis facere. Et hoc eſt. *Nolite theſaurizare*, id eſt, congregare & facere theſauros veſtros in terra, id eſt, in terrenis, *Vbi ærugo & tinea demolitur, & fures effodiunt & furiantur.* Tria ponit ſecundum tres diuerſitates diuitiarum. Metalla ærugine, veſtes à tinea demoliuntur. Sunt alia quæ neq; ærugine, nec tineam timẽt, ſicut lapides precioſi, & ideò ponit generale detrimentum, ſcilicet fures, qui omnes diuitias rapere poſſunt. Poteſt etiã prohibitio non ſolum de pecunia, ſed etiam de omnibus terrenis intelligi. Quiſquis enim amoré ſuum in aliqua terrena applicat, in terra theſaurizat, & ſi aliquid ſicut gulam vel libidinem, vel aliquid terrenum diligit, vel ſi bonum mala intentione faciat, iſte theſaurum in terra ponit, & illa ærugo & tinea demolitur. Aerugo obfuſcat, & comedit & videtur. Tinea verò comedit, ſed non videtur. Aerugo igitur ſignificat carnalia peccata quæ videntur. Tinea ſpiritualia animæ, quæ non videntur, ſicut eſt ira, inuidia, fures, dæmones. Aerugo comedit theſaurum temporalium & tinea, dũ ex amore gulæ, vel inanis gloriæ, rubigo luxuriæ naſcitur, & dormitionis, & aliarum voluptatum, quæ illum gulæ amorem obfuſcant, & dum ex inani gloria naſcitur, inuidiæ tinea, & timor & cura quę conſumunt illam gloriam. Si autem, vt diximus, propter laudem faciunt bona, illa fures, id eſt, dæmones auferunt. Probat quod neque ieiunium, neque eleemoſyna ſub hypocriſi facta aliquid proficiãt. In cœlo verò nulla ſunt iſtorum. *Vbi enim eſt theſaurus, &c.*) Ideò non debes in terra theſaurizare, ſed in cœlo: quia quicquid eſt quod potiſsimum eſt, illi ſeruis, in illa cor tuum infigis, id eſt, intentionem tuam. Si cor eſt in cœlo, mundum eſt, quia munda ſunt cœleſtia. Si autem in terra volutatur, quomodo mundum eſt? quoniam ſordeſcit res dignior, dum inferiori miſcetur, ſicut aurum argento. *Lucerna, &c.*) Superiùs inſinuauit, quod nulla bona mala intẽtione debent fieri, & hoc in proximo vbi dixit: Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuũ. Quod ita probatur. Ideò pura intentione omnia debetis facere, quia oculus tuus, id eſt, bona intẽtio, eſt lucerna, id eſt, illuminatio corporis tui, id eſt, congeriei bonarum actionũ. *Si enim oculus tuus, &c.*) Determinat quomodo oculus eſt lucerna, ſcilicet ſi ſimplex eſt intentio, id eſt, pura, non duplex, id eſt, partim propter temporalia, partim propter cœleſtia, totum corpus lucidum eſt, id eſt, tota actio erit bona. Non tamen intelligendum eſt de malis, ſi bona intentione fiant, quod ideò bona ſint. Nullum enim per ſe malum bonum poteſt eſſe, etiamſi bona intentione fiat. Furtum enim facere, vt darem pauperibus, non eſſet bonum. Sed quædam ſunt quæ indifferentia exiſtunt, quæ poſſunt flecti ad bona per intentionem, & ad mala. Sicut leuare lapidem vt ponam in ædificio templi, & leuare lapidem vt feriam hominem, etſi dum bonum facio bona intentione, malum tamẽ inde contingat alicui, non eſt imputandum mihi pro peccato, ſicut ſi dum leuo lapidem in ædificium Eccleſiæ, lapis ſuper hominẽ caderet & eum interficeret. Sed bona, ſi mala intentione fiant, mala ſunt. Sicut ſi ieiuno propter laudem. Vnde ſequitur. *Si oculus*, id eſt, intentio eſt nequam, id eſt, praua & totũ corpus, id eſt, tota actio eſt mala. *Si ergo, &c.* Et quandoquidem propter malam intentionem bona fiunt mala, ergo mala, per ſe facta mala intentione quanta erunt? Et hoc eſt: *Ergo ſi lumen*, Id eſt, intentio quæ debet eſſe lumen operum. *Quod in te eſt*, id eſt, in tua manu. *Tenebræ ſunt*, id eſt, praua, & mala per ſe mala intentione facta, tenebræ quantæ erunt, poſtquam mala intentioni vnitæ erunt? Vel aliter: Lumen eſt intentio dicta, quia nota eſt illi qui intendit. Exitus verò rei, quia incertus eſt, tenebræ dicitur. Ille enim qui incendit, licèt cognoſcat quid intendat, neſcit tamen quid de facto eueniat, ſiue bonum ſiue malum. Vt cum alicui aliquid do vel ago, neſcio vtrum bono cedat illi an malo. Dicit ergo: Si intentio qua facis quæ tibi nota eſt, appetitu temporalium ſordidatur, quanto magis ipſum factum, cuius exitus dubius eſt? Quod etſi bene cedat alicui, quod nõ bona intentione facis, nihil tibi prodeſt, quia quomodo feceris tibi imputatur, non quomodo illi euenit.

Non poteſtis duobus dominis ſeruire, &cæt.) Adhuc diceret ille vel aliquis: Si propter intentionem temporaliũ bona ſunt mala, ego etiam faciam bona, & propter eccleſiam & propter temporalia. Ad hoc Dominus ait: *Non poteſtis duobus dominis ſeruire.* Videlicet contrarijs quaſi vni Domino. Per hos duos dominos intelligitur Deus & diabolus. *Aut enim unum, &c.*) Reddit cauſam quare diabolũ, qui aut odio habebit vnum, id eſt, diabolum quem naturaliter homo habet odio, & alterũ diliget, id eſt, Deũ. Aut vnum ſuſtinebit, id eſt, diabolum. Nõ dicit, aut diabolum diliget. Nullus eſt enim adeò nequam, qui diabolum diligat, ſed aliquid diligit, propter quod imperiũ eius patitur. Sicut ſi aliquis diligeret ancillã alicui⁹ nequiſsimi, & propter eã ſuſtineret imperium praui Domini. Nõ dicit odit, ſed contẽnit. Nullus enim naturaliter odit Deũ, ſed propter voluntatẽ eius præcepta contẽnit. *Non poteſtis, &c.* Exponit qui ſunt duo domini. Mãmona Syriaca lingua ſunt diuitiæ. Per diuitias intelligimus diabolum, qui præeſt diuitijs, non quòd poſsit eas dare, niſi quantum Deus permittit, ſed quia per eas hominẽ fallit.

Ideo dico vobis: Ne ſoliciti ſitis, &c.) Et quia non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ, ideò nolite eſſe ſoliciti de diuitijs temporalibus cauſa victus & veſtitus. Duæ enim ſunt ſollicitudines, alia eſt rerum, alia ex vitio hominũ. Ex rebus ipſis oritur ſolicitudo, quia panem habere non poſſumus niſi ſeminemus, laboremus, & ſimilia. Hanc ſolicitudinem non prohibet, quia Dominus ait: In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Conceditur ergò nobis prouidentia & labor. Sed eſt quædam ſolicitudo ex vitio hominum ſuperflua, quando ipſi deſperantes de bonitate Dei frumentum pluſquam eſt neceſſarium, & pecuniã reſeruant, & dimiſsis ſpiritualib. illis intenti ſunt. Hoc prohibetur hic dũ dicitur: Nõ ſitis animæ veſtræ, ſoliciti, id eſt, vitæ veſtrę, ſcilicet cibo veſtro per quem vita ſeruatur, &c.

Nonne anima plus eſt &c.) Verè nõ debetis eſſe ſoliciti vltra modum, quia qui dedit maius, ſcilicet vitã: dabit minus, ſcilicet eſcã. *Reſpicite uolatilia cœli, &c.* Simile eſt a minori. Si Deus prouidet auibus, multò magis hominibus. *Nõne uos pluris eſtis, &c.*) Hîc eſt comparatiuus pro poſitiuo. *Quis autem, &c.*) Ita cõſtrue, vt melius videas. Et de *ueſtimento quid ſoliciti eſtis?* Quod ad corpus pertinet, pro nihilo: quia totũ corpus in meo opere eſt, ita q; nullus veſtrum poteſt adde re aliquid, & hoc eſt: *Quis aũt veſtrum, &c.* Etſi in corpore nihil addere poteſtis, ſed ſolus Deus totum facit, tunc nolite ſoliciti eſſe pro induméto corporis, quia q; corpus fecit veſtiet corpus, mediante tamen prouidentia hominum poſtq; operatur, & dat quando vult, & quãdo nõ vult, & quantum vult. *Conſiderate lilia agri, &c.*) Iterũ alia ſimilitudo, ſcilicet de indumento. Prior enim fuit de cibo, lilia induta ſunt colorib. ſuis. Chibanum vocat furnũ, Gentes quę de Deo nõ habẽt notitiã, nec in eo confidunt, nec de futuris cogitãt, iſta ſi procurent, non eſt mirandũ. *Quærite ergò &c.*) De temporalib. nõ debetis eſſe ſoliciti, ſed de cœleſtib. Et hoc eſt, quęrite regnum Dei ſicut principale, ſicùt illud quod finis eſt ad quẽ tẽditur. Quęrite dico, & hoc primùm, id eſt, pręponite cęteris reb. regnum Dei, & quęrite iuſtitiã non Phariſęorum, ſed eius, id eſt, regni Dei, quia alia nõ regit ad regnũ Dei, vel eius Dei, id eſt, quã Deus dat. Dixit primùm quęrite regnũ Dei, & nõ poſteà, ſubinfert tẽporalia quærenda eſſe, ſed ait: *Adijciẽtur uobis.*) Quia, vt ait, ſcit pater veſter, quia omnibus his indigetis, & ideò ipſe ſponte adijciet. Nota q; dicit adijcientur, id eſt, ſuper apponẽtur, quia nõ ſunt munus principale, ſed ſuperadditamentũ. Non tamen prohibet iſta peti, ſicut illa quæ neceſſaria ſunt, & ipſe neceſſaria dixit, vbi ait: quia pater veſter ſcit, quia his indigetis, ſed ne petantur vt principalia, ſed vt viaticum, quo ſuſtentantur homines *in via. Nolite ergò &c.*) Prohibuerat ſolicitudinem præſentiũ rerum temporaliũ, modò prohibet ſolicitudinem ex vitio hominũ prouenientem, nõ ex rebus. Sed ſi quis abbas prouidens ſibi & monachis ſuis colligeret annonã ad annum præſentẽ ſufficientem hoc eſſet prouidentia, non ſolicitudo vana. Sed ſi eſſet timens vel deſperans de bonitate Dei, & ideò ad vſum reliquorũ annorum vellet eã reſeruare, hæc eſſet vana ſolicitudo, & hoc eſſet cogitare de craſtino. Præſentem enim diem vocat, ſcilicet hoc tẽpus, quod prouidẽtia noſtra debet obſeruare. Non metimus in anno niſi ſemel, & ideò quantũ ad meſſes vnus annus eſt, quaſi præſens tempus. Craſtinum enim tempus eſt annus alius, & ita in alijs ſecundum qualitatem rerum. Et quòd prouidentiã nobis nõ negat ipſe oſtendit, quibus loculos qui ſe & diſcipulos paſceret habuit & Iudę tradidit.

Craſtinus enim dies. &c.) Duo dies ſunt, dies Adæ, & dies Domini, de quo ait Dauid: Hæc dies quam fecit Dominus. Dies Adæ plena eſt miſerijs. Poſt peccatum enim in miſeria & labore poſitus eſt. Vnde dictum eſt Adæ: In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Dicitur ergò pro nihilo tu haberes ſolicitudinem vanã de futuro, quia certè futurum tempus ex ſe ſatis afferet ſolicitudinem & laborem, & hoc eſt, craſtinus dies ſolicitus erit ſibi, & ipſe afferet ſolicitudinem ſuam ſecum. *Sufficit diei, &c.*) Pro nihilo ſuperadderes tuam ſolicitudinem ex tuo vitio, ſolicitudini rerum, & ita cum malitia, id eſt, labor & anguſtia temporis ſatis ſufficiet diei, nõ oportet vt ex tua parte ſuperaddas. Iſti diei Adę maledixit Iob. Maledictus dies in qua natus ſum, & Ieremias: Maledictus vir, &c. Vellent enim ſancti hanc miſeriam non eſſe, & nihil eſt maledicere eorum, niſi velle non eſſe.

CAPVT VII.

NOlite iudicare, &c.) Remouit ſolicitudinẽ, modò remouet etiã illud qd ſequitur ex ſolicitudine, ſcilicet temeraria iudicia. Qui enim diligit terrena, facilèhabet ſuſpiciões malas de factis aliorũ. Inde inuidiæ, detractiones,

nes,odia,temeraria iudicia oriuntur. Qui enim diligit mundum, si viderint aliquẽ iustum nos ad vtilitatem suam referuare, auarũ vocãt, hypocritam appellant, & à se abijciunt,quia de conscientia sua alios iudicant. Illa temeraria iudicia prohibet Dominus. Et notandum quòd non agit hic de temerarijs iudicijs,nisi quæ fiũt à paribus non à prælatis. Sunt enim quædam iudicia quæ in Ecclesia conceduntur,quando scilicet vicarius Christi,id est,prælatus,aliquẽ vice Christi iudicat, sed confessum vel conuictum, quia aliter esset temerarium iudiciũ. Si autem aliquis iudicat fratrem suum, siue cõuictum siue peccatorem, manifestum temerarium iudicium est. Non aufertur correctio fratri in fratrem, sed iudicium. Hoc iudicare est, quando nec loquitur cum eo nec comedit,immò alios à consortio eius subtrahit.

Continuatio.) Et per hoc:Nolite iudicare temerè fratrem,quia forsitã cras bonus erit. Vel ita forsitã peior vel es,vel eris,vel similis:& propterea non est tuum, *& non iudicabimini.* Propterea, id est, propter temerarium iudicium, non damnabimini in futuro,quia certè iudicabimini,id est,damnabimini in eo iudicio,id est,propter illud iudiciũ, propter quod iudicabitis eũ temerariè. *Et in qua mensura,&c.*) Id est,secũdum mensuram culpæ erit mensura pœnę vestrę. Secundum hoc enim quod magis temerariè & grauius iudicabitis fratrẽ, secundum eandem mensuram pœnæ qualitas sibi in inferno mensurabitur. *Quid autem uides festucam in oculo fratris tui, &cæt.*) Ecce agit de correctione. Iudicium omninò abstulit paribus non prælatis. Correctionem autem annuit, sed mundis tantùm. Si enim immundis corrigit, non amore correctionis facit, sed amore inuidiæ, vel hypocrisis vt iustus videatur. Si enim amorem correctionis haberet, certè in se priùs vitia mundaret,& postea in fratre. Et tunc cum lenitate & dilectione & pura intentione iustitiæ. Quoniam in omni re est gradus,priùs videat ne sint in eo peccata,& tũc mittat in alium lapidem, deinde ne foueat peccatũ alterius adulando. Tertiò, ne sit negligens de peccato alterius, quin corrigat eum, quia aliter consentire esset. Vnde Ambrosius: Consentire est non redarguere cùm posses. Non solùm debes cessare à temerario iudicio, sed etiam ab illicita correctione,hoc est: *Quid autem uides festucam*,id est, notas festucam,id est, leue peccatum de secularibus obstans oculo,id est, menti fratris tui,*& non uides*, id est, notas trabem in oculo tuo,id est,adulterium in conscientia tua. Et non solùm notas,sed etiam *dicis*,id est, corrigis eum dicendo: *Sine,&c.* Hic datur licentia corrigẽdi, sed mundis tantùm. *Nolite,&c.*) Correctionem permitto omnibus,vt communem, sed profunda Dei mysteria non omnibus dare iubeo, immò prohibeo dare sanctum canibus, id est, hæreticis oblatrantibus & dilacerantibus, & porcis,id est,in luto vitiorum viuentibus, & verbũ Domini uili pendentibus. Non enim de corpore & sanguine Domini agendum est cum hæreticis dilacerantibus, & porcis,id est,meretricibus & ebriosis,& quibuslibet laicis contemnentibus, vel etiam clericis vili pendentibus exponendum est. Sanctum dicitur illa scriptura,quę inuiolabilis est & inexpugnabilis est & sancita. Margaritæ dicuntur lapides inuenti in conchis, qui politi pretiosi sunt. Similiter allegoriæ de concha figurarum sumptæ & bene politæ pretiosæ sunt. *Ne forte,&c.*) Per simile dicitur quasi vilificent, & ne canes ab illo sancto recipiendo conuersi,disrumpant. Non dico illud sanctum quod inuiolabile est in natura sui,sed vos rumpant clamore. *Petite,&c.* Dicerent aliqui: Quomodo tot & tanta poterimus obseruare. Respõdet Christus: *Petite* à Deo facultatem bene operandi. *quærite* vbi sit hoc quod vultis,& eo inuẽto:postea *pulsate & aperietur uobis.* Duo sunt quæ sunt necessaria homini, operatio & intelligẽtia, & priùs oportet nos operari, quàm perfectè intelligamus. Vnde Dauid: Annunciauerũt opera Dei, & postea intellexernnt, & ideò præcipitur prius petere operationem. Duo subdit quæ pertinent ad intelligentiam, vt priùs quærant in qua authoritate sit quod inuestigant, & inuenta authoritate si non intelligant pulsent & inuestigent, & Deus aperiet eis. Faciant ad modum infirmi,qui priùs quærit vires vt eat, deinde viam qua eat,& tandem cùm illuc venerit, vt aperiatur pulsat. *Aut quis ex uobis,&c.*) Dixi,vobis, sine determinatione,omnis qui petit &c. Hoc vt meliùs credatis audite: Si patres carnales dãt bona filijs,multo magis pater cœlestis. Duo ponit,panem & piscem,Lucas tertium, ouum, scilicet. Panis qui est communis cibus,charitatem significat,sine qua alię virtutes in nobis non valent. Piscis,fidem, quæ ex aqua baptismatis orta est,& in medijs fluctibus huius mundi pulsatur,& tamen viuit. Ouum quidẽ quod est spes animalis, sed mundum animal spem designat. Contra charitatẽ ponit lapidem, id est,odij duritiam. Contra fidem serpentẽ ponit,id est, perfidiæ venenum. Contra ouum,id est,spem, scorpionem ponit,id est, desperationem, quæ retrò pungit, sicut scorpius. Cùm enim spes in anteriora se extendat,desperatio retrò aspicit.

Omnia ergo quæcunque vultis vt faciant vobis homines,&c.) Dabit spiritum bonum, & dato spiritu, procedent inde virtutes omnes. Sed cùm deberet virtutes ponere omnes, ponit dilectionem proximi, quia ipsa est adimpletio legis. Qui enim habet dilectionẽ proximi,peruenit ad dilectionem Dei, & qui iterum habet dilectionem proximi, habet dilectionem sui. Præcipitur enim homini diligere proximum sicut seipsum. Se autem diligere nõ potest in malo,cùm scriptum sit: Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Si ergò pari amore iubetur proximum

proximũ diligere, cùm se in malo non diligat, nec proximũ in malo potest diligere. Qui igitur habet dilectionẽ proximi,nullum malũ operatur, neq; in se, neq; in proximum,neq; etiam in Deũ. Vnde Apostolus: Dilectio proximi malum non operatur. Ecce prohibitiones malorũ, quæ in lege sunt, in dilectione proximi cõplentur. Ex dilectione similiter Dei erga Deũ & erga proximum bene agit. Sic ergo dilectio Dei proximi est impletio legis. Ad hanc ergo accepto spiritu homines iuuãtur, quasi dicat: Quandoquidẽ dat spiritum bonũ, ergò petite illum, & illo impetrato, studete in dilectiõe proximi. Et hoc est:*Omnia quæcũque uultis,&c.* Si vultis bene fieri vobis, benefacite alijs. Si vultis corrigi, corrigite & alios. *Hæc est enim lex*,id est, impletio legis,*& Prophetæ*,id est, impletio Prophetarum. Per legem & Prophetas moralitatem librorum Moysi & Prophetarum accepit. *Intrate per angustam portã,&c.*) Quasi dicat: Dura videntur vobis quæ præcipio & angusta, sed per hanc duritiam & angustiam intrandum est vobis ad vitã, & verè per angustam portã, quia non per latam viam,per latam enim viam intratur ad mortem, & hoc est quod dicit: Porta verò quæ ducit ad vitam,nõ solùm est angusta, sed etiã arcta, quia per labores & ieiunia panditur. Considerandũ est quòd competenter de vtraque via locutus est. Per latam multi ambulant, angustam pauci inueniunt,latam non quæramus,nec inuestigatione opus est,spontè se offert erranti in via,angustã verò nec oẽs inueniunt, nec qui inueniũt, statim ingrediuntur per eam. Multi enim,inuẽta veritatis via,capti seculi voluptatibus,de medio itinere reuertuntur.

Attendite à falsis Prophetis &c.) Pauci inueniunt,& hoc faciunt multa impedimẽta,quorum tria ponit,scilicet hæreticos,qui sub specie religionis serunt errores. Aliud impedimentum ponit, scilicet falsos fratres, qui bene loquuntur, sed malè viuunt,& moribus suis alios corrumpunt. Tertium ponit, scilicet quosdam à quibus vix possunt sibi homines cauere,qui in nomine domini prædicant,& miracula in nomine domini faciunt. Sunt & alia impedimenta, sed ista ponit, quia in his maior diligentia est adhibenda.

Continuatio.) Et quia pauci sunt qui inueniunt, & multi qui impediunt, cauete vobis ab impedimentis,& inter alia attendite,id est,diligenter cauete ab hæreticis,non dico manifestis, quia illud facilè est, sed qui sunt Prophetæ, id est,prædicatores,scilicet falsi & occulti, quia veniunt in vestimentis,id est,in ieiunijs & orationibus & alijs operib. ouium,id est, fideliũ, &c. *A fructibus,&c.*) Si non ab omnibus,saltem ab aliquibus cognoscetis eos. *Nunquid,&c.*) Spinę & tribuli sunt hæretici, qui lacerant & pungunt mentes hominum. Vua est feruor dilectionis, ficus dulcedo bonæ conuersationis. Sicut ergò de spinis nõ nascũtur vuę,neq; de tribulis ficus; sic nec hæretici feruẽt in dilectione, nec studẽt in bona operatione. *Sic omnis arbor,&c.*) Quæritur quo modo dicat de bona arbore non procedere fructum malum, cùm Dauid qui bonus erat, peccasse in adulterio & homicidio legatur; & similia? Sed hîc per malam arborem mala voluntas, per bonam arborem bona voluntas intelligitur. De mala ergò voluntate nunquã bona actio procedit,neq; bona voluntas malam actionẽ generat. Sed vt melius possimus exequi literam quæ exequitur: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur,& in ignem mittetur*, quod non potest propriè de bona volũtate legi. Ideò per bonam arborem non solùm bona voluntas, sed & homo habens bonam voluntatem: & per malam arborem, homo habens malam voluntatem debet intelligi.

Non omnis,&c.) Posuit vnum impedimentum ad viã vitę,scilicet hęreticos,ecce quomodò & aliud ostẽdit,scilicet fratres falsos,qui verbo Deum profitentur, factis autem negant, & pendet ex superiori ita. Ideò dico quòd à fructibus cognoscetis eos, quia in verbis non semper cognoscuntur homines, quia nõ omnis qui dicit mihi,&c. Huic videtur contrarium quod dicitur: Omnis qui inuocauerit nomen domini, salutis erit. Et illud nemo potest dicere,dominus Iesus, nisi in spiritusancto. Sed illud inuocare, atq; illud dicere non verbotenus accipiendũ est, sed ponderosiùs intelligẽndum, iuxta illud Psalmistę: Propè est dominus omnibus inuocãtibus eum in veritate. Verè inuocat dominum, qui facit se idoneum seruum. Similiter non potest verè dicere: Iesus est dominus meus, nisi sit ipse seruus eius idoneus. Cùm autem ait: Non omnis qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnũ cœlorum,dicere verbotenus accipitur.

Multi dicent,&c.) Ponit & tertium impedimentum,scilicet falsos alios fratres, qui prædicant bene,& etiã inuocatione nominis Domini miracula faciunt, à quibus similiter cauendum est,quia in re ostenditur, Dæmonia eijcere, & alias virtutes facere, interdum nõ esse meriti illius qui operatur, sed inuocationis nominis domini ad facientis damnationẽ, & ad videntium vtilitatem,vt licèt contẽnatur inuocãs, tamẽ glorificetur Deus, qui talia operatur. Et quòd falsi quidã fratres in nomine domini prophetant, & miracula faciunt professionem illorũ comprobat, quã in vltimo iudicio facient, in quo mentiri non poterunt,& hoc est,*Multi dicent mihi in illa die*,id est,in die iudicij,quam non oportet determinari,quia satis est famosa & nota &c. *Et tunc confitebor quia non noui uos*, id est, non approbaui vos in hoc quòd falsi fratres erant.

Discedite à me qui operamini iniquitatem. Non dicit qui operati estis, quia licèt modò nõ habeãt facultatẽ peccandi, tamẽ adhuc peccare vellent,si adhuc viuerẽt. *Omnis ergò qui audit,&c.*)

Positurus

Positurus dominus finem sermoni suo, cõmendat illum dando sentẽtiam super obseruatores & contemptores.

Contiuuatio.) Quandoquidem illi qui operantur iniquitatem à Deo discedant, facite ea quæ præcepi, *quia omnis qui audit uerba mea & facit ea, assimilabitur uiro forti, &c.*) In primis Christus ille homo sapiẽs qui ædificauit ecclesiam suam supra petram, id est, super semetipsum, & tunc omnia genera tentationũ impulerunt eam, nec tamen cecidit. Pluuia quæ paulatim crescit, est carnalis concupiscentia, vel leuior tentatio diaboli. Flumina sunt impiorum persecutiones. Venti sunt maiores dæmonum impugnationes. Huic potest cõparari vt diximus, qui audit verba Dei & facit ea, quia domum suam, id est, collectionem virtutum ædificauit supra petram, id est, Christum, quia nulla persecutione destrui potest, cætera non mutantur. *Et omnis, &c.*) ponit sententiam super contemptores, cõtrariam superiori dicens: *Omnis qui audit & non facit, similis est stulto, qui domum suam,* id est, summum bonum, in alia arena, id est, in temporalibus, quæ instabilia & infructuosa sunt ædificauit, quod bonũ persecutiones auferunt in præsenti, & in futuro erit magna ruina, quando dicetur: Ite maledicti & cæt.

Et factum est, &c.) Duobus modis potest iste versus intelligi. Si enim dicamus esse eundem sermonem, quem Matthæus & Lucas referunt, tunc euidens est litera: quod cùm consummasset Iesus hæc verba, admiratæ sunt turbæ, quæ tunc huic sermoni interfuisse nõ ambigũtur. Si autem duo sermones esse dicuntur, tunc intelligendum est priùs ad solos discipulos Iesum in cacumine montis sermonem habuisse, posteà ad locum campestrem, qui erat in latere montis descendisse, & ibi eundem sermonem populo recapitulasse, quædam tamen noua intermiscẽdo, & quædam iam dicta prætermittendo, quem vltimum Matthæus prætermittit, & tamen quodam modo innuit cùm dicit: Cùm cõsummasset verba hæc, &cæt. quasi diceret: Cùm hæc discipulis semel protulisset, & eadem repetendo in secundo sermone consummasset, quæ consummatio in loco campestri facta est, & cęt. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & cæt. Scribæ & Pharisæi tantummodò infirma & rudibus Moysi data prædicabant, Christus verò docebat perfecta mãdata sicut potestatem habens addendi quæ volebat, & commutandi figuras in spiritualem intellectum.

CAPVT VIII.

CVM autem de monte, &c.) Cùm Christus consummasset sermonem, voluit confirmare miraculis prędicationẽ, iuxta hoc quod alibi dicitur: Domino cooperãte, & sermonem confirmante sequentibus signis. Matthæus etiam ad confirmationem sermonis inter miracula multa signa annumerat, quæ tamen ante sermonem facta sunt. Vnde & cõuersionem suam Matthæus inter miracula refert, quę ante sermonem non dubitatur fuisse, cùm ipse in monte cũ alijs discipulis in Apostolum ordinatus sit. De curatione leprosi dissentiunt Lucas & Matthæus. Matthæus enim hanc ante introitum in Capharnaum narrat. Lucas verò post introitum. Sed Matthæus præcipuè videtur historiã sequi, cùm dicat. Et ecce. Lucas non curans ordinem, hoc miraculum inter cæteras virtutes annumerat, dicit ergò: *Cùm descendißet de monte,* id est, de loco campestri, qui erat in latere montis, *secutæ sunt eum turbæ multæ.*) Multi sequebantur diuersis de causis, alij ꝓpter insidias vt Pharisęi, alij propter charitatem, alij propter doctrinam eius audiendam, alij propter admirationem miraculorum, alij propter curationem, quia ægroti erant. *Et ecce,* in proximo, *leprosus ueniens,* tam passibus bonæ deuotionis quàm passibus corporis, *eum adorabat,* id est, humili flagitatione venerabatur dicens. Hoc est mentis deuotionem & vultus humilitatem ostẽdens, exteriùs per oris confessionem: *Domine, si uis, potes me mundare,* quia eum dominum vocat ad se curandum potentem nõ dubitat. Dum verò *si uis* subiũgit, quodammodò de volũtate & misericordia eius diffidit. Nõ diffidit quid de misericordia quantum ad eum qui adorabat, sed potiùs quantùm ad seipsum, qui se indignũ misericordia esse iudicabat, vnde Augustinus: Ostendens vulnus, remedium postulat, & ipsa cõfessio religionis & fidei plena est. *Si uis,* inquit, *potes me mundare.*) Voluntati Dei attribuit potestatem. De voluntate autem domini nõ quasi incredulus pietatis dubitauit, sed quasi colluuionis suæ conscius non præsumpsit curare. Venit ergo ad eum, ante quam peteret, adorare cœpit, ante quam rogaret, culturam ostendit. Venit credendo, adorat colendo, dicit confitendo: *Domine, &c.*) Dominum cognoscit verè, cuius voluntatem, potentiam, sequi confitetur cùm dicat: *Si uis, potes.* Et *extendens manum, tetigit eum, &c.*) Cùm lex prohibeat tangere leprosum, ipse soluit legem, vt dominũ se legis ostendat, qui eam facit & soluere potest. Erat enim in lege permissio non præceptum propter humanam fragilitatem non tangere leprosum, & est figura, ne aliquis communicaret alienis peccatis. Ille qui perfectionem humilitatis & misericordię docet, destruit permissionem, & docet perfectionem, ne horreamus in paupere infirmam carnem. Tetigit etiam propter aliam causam, vt humilitatem videlicet demonstraret, & doceret nullum esse spernẽdum propter quamlibet corporis læsionem quæ à Deo immittitur. Cùm extẽdit manum, significat se affectum misericordiæ in eum habere. Cùm tangit, significat se affectum per operationem complere, & quod factis ostẽderat, verbis manifestiùs posteà declarat, cùm dicat: *Volo mundare.* Per *uolo* notatur misericordia, quam per extensionem manus significauerat, cum dicit, mundare, notatur actus misericordiæ, quod posteà figuratum est, per tactum lepræ.

Et confestim, &c.) Nihil medium est inter opus diuinum & eius præceptũ, quia in præcepto est opus Dei qui dixit & facta sunt. Et ait illi Iesus: *Vide nemini, &c.*) Marcus dicit, at ille cœpit prædicare & diffamare. Quare præcipitur nemini dicere, cùm reuerà sciret illud miraculum ab eo manifestandum esse, nisi propterea vt doceret non vulganda esse nostra beneficia, sed potiùs premenda, vt non solùm à mercede pecuniæ abstineamus, sed etiam gratiæ, ergo nõ propter se, sed propter nos prohibuit. Diuersis de causis mittit ad sacerdotem leprosum, videlicet propter humilitatem, vt ille deferat honorem cui lex iubet mundatos munera deferre, vt etiam videntes credant ei, vel si non credant inexcusabiles sint, & ne etiam legem frangere videretur, & vt etiam sacerdotes intelligerent nõ legis ordine, sed Dei gratia supra legem illum curatum esse. Offerre aũt sacrificium præcipit, vt ostenderet quod non legem solueret, sed impleret, qui secundũ legem gradiens, supra legẽ eos sanaret, quos remedia legis nõ sanauerãt. Quod si aliquem mouet quomodo dominus Moysaycum videtur approbare sacrificium cùm id non receperit ecclesia, meminisse debet mundũ cœpisse sacrificium sanctũ sanctorũ, quod Christi corpus est. Christus enim nondum passus erat, & vmbram oportebat tenere, donec veritas veniret sacrificij. *In testimonium illis.*) Quasi dicat: ideò præcepit Moyses offerre munus læprosi, vt essent in testimonium curationis læprosi illis sacerdotibus, quorũ erat læprosos à templo eijcere, & sanatos recipere. In testimonium etiam erat eis, vt per ipsa scilicet munera legale sacerdotium esse venerandum testificaretur, cum per ipsum leprosi & alij tam mirabiliter sanarentur. vel aliter: In testimonium illis, vt scilicet ipsa curatio & ipsa munera figuraliter oblata, aliam curationem aliamq; oblationem testificarentur. Typicè quod descensio illius de monte incarnationẽ illius significet, quia semetipsum, exinaniuit, formam serui accipiens. Et post hæc secutæ sunt eũ turbæ multę, quia postquam verbũ caro factũ est & habitauit in nobis, qui tãtùm in Iudæa antè notus erat, & in vnõ populo nomen illius magnum habebatur, per hoc admirabilis est factus in vniuersa terra, leprosus, genus humanũ designat: lepra, peccata fœdantia, qui ad Iesum venit credẽdo, adorat colendo, dicit confitendo: Domine, si vis, potes me mundare. Extendit manum suam, id est, auxiliũ suum, dũ ad homines venit: Tangit lepram dũ carnis nostræ infirmitatem suscipit, & nos à peccatis mundat. Cùm dicit: vade, ostende te sacerdoti, officium ecclesię ministrorũ innuit, per quorũ ministeriũ debent homines mundari, & à peccatis absolui.

Cum autem introijsset Capharnaum, &c.) Lucas refert quòd Centurio non venit ad eum, sed misit seniores Iudęorum ad eum, quia gentilis per se impetrare diffidebat, & ideò dixerũt seniores, multa bona fecit nostræ genti, & synagogam nobis constituit, sed Matthæus dicit per fidem eum accessisse. Itaque Centurio accessit pasibus fidei, rogat per internuncios dicens: *Domine, puer meus, &c.*) Multi in illo tempore rogabant pro diuersis infirmitatibus alius pro filio, alius pro alio aliquo, & nullꝰ pro seruo, nisi iste solus, & hoc ei ad augmentum beatitudinis, & ad coronam gloriæ erat, quod pro seruo tam humiliter dominum interpellat dicens: *Domine, &cæt.*) Singulas miserias serui ita diligenter exprimit, scilicet *iacet,* cuius rei assiduitas grauat hominem infirmũ, *in domo,* vbi assiduè eũ video, *paralyticus,* id est, membris dissolutus, *& malè torquetur,* acuta passione infirmitatis, vt Christum ad compassionem commoueat.

Moralitas.) Sic debent homines qui famulos habent & famulas, cogitare, sic misereri, sic condolere eis, sic supplicare, sic curam habere de seruis suis vel ancillis, sicut ille beatus Centurio fecit. Et ait illi Iesus: *Ego ueniam, &c.*

Moralitas.) Ad sanandum reguli filium venire noluit, ne diuitias honorasse videretur. Hic ne conditionem spreuisse seruilem, ad Centurionis famulum mox ire consensit. Hæc promissio impleta fuit, dum per auxilium venit, & corporaliter etiam cœpit venire. *Et respondens, &c.*) Hæc responsio, vt ait Lucas, erat per internuntios. Ait enim Lucas: Iesus autem ibat cum illis, & cùm iam non lõngè esset à domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine noli vexari, non enim sum dignus, vt intres sub tectum meum, & alia quæ sequuntur. Notatur in hac responsione humilitas Centurionis, qui se indignũ visitatione tanti hospititis recognoscit & ait: *Domine, non sum dignus, &c.*) Notatur & magna fides cùm supponat, *sed tantùm dic uerbo, &c.*)

Moralitas.) Credit enim iussione eum omnia posse, nec eius præsentiam corpoream necessariam esse.

Moralitas.) Similiter accedens ad sacramẽtum dominici corporis, dicat vnusquisq; fidelis humiliando se: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meũ. Ostensa humilitate & fide Centurionis, ponit & prudentiã eius. Respõdit enim quasi antipophoræ alicuius obijcientis, & vnde hoc nosci quod omnia verbo Christi obtemperent? Responsio: Quia si mihi subiecti obediunt mihi, tunc omnia tibi subiecta tibi obedient, & hoc est: *Nam ego sum* purus homo, tu Deus, ego *sub potestate domini,* tu Deus omnium, *habens sub me milites,* tu angelos vel omnia. *Dic huic uade & uadit.* Tu huic infirmitati dic, vade, & ibit *& alij ueni, & uenit,* & tu dic sanitati veni, & veniet,

& ſeruo meo fac hoc, & facit. Tu dic angelo, ſana eum, & ſanabit.

Audiens autem Ieſus, miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit.) Non propter ſe miratus eſt qui omnia nouit, ſed vt nos ad admirationẽ fidei Centurionis inuitaret. *Amen dico uobis, non inueni tantam fidẽ in Iſraël.*) Non de omnibus Patriarchis & Prophetis hoc dixit, ſed de omnibus præſentis temporis quibus prædicabat, quibus ideò fides Cẽturionis antefertur, quia ipſi legis & Prophetarum monitis docti erant, hic autem nemine docente in eum credidit, quia nec etiam Apoſtoli erant tantæ fidei eo tempore.

Dico autem) Oſtendit significationẽ huius figuræ, quòd Centurio gerit perſonam omniũ gentilium, quaſi diceret: vt credatis iſtum hominem magnæ fidei eſſe, & populi gentilis cõuertendi figuram gerere, dico vobis, teſtor, prædico, quia mali venient ab oriente, & occidente, id eſt, ex omni gente, quæ eſt ſub Sole eunte ab oriente in occidentem, & qui venient ſicut ſunt illi quibus dictũ eſt, vt & filij qui diſperſi ſunt congregentur in vnũ. Vel ab oriente venient hi, qui ſtatim illuminati tranſeunt ab occidente in orientem, id eſt, qui paſsiones tolerauerũt vſq; ad mortẽ pro fide. Venient quidẽ & recumbent cum Abraham, Iſaac & Iacob in regno cœlorũ. Recumbent dico, nõ temporaliter potentes, ſed etiã fœliciter epulantes: non carnaliter iacentes, ſed ſpiritualiter quieſcẽtes cũ patribus ſanctis, qui crediderunt in filiũ creatoris. Sequitur: *Filij aũt regni eijcientur in tenebras exteriores, &c.*) Filij autẽ regni ſignificant Iudæos, in quibus anteà regnauit Deus: *exteriores*, nõ quòd ſint extra Deũ, qui omnia continet, ſed ſicut cæcus ſub ſole extra ſolem dicitur eſſe quẽ non videt, quãuis Sol videat eũ, ſic poſiti in pœnis Deũ non videbũt, quamuis ſit præſens. Fletus qui venit ex affectu mentis, anguſtiã mentis ſignificat. Stridor dentium anguſtiam corporis. In membro quo plus peccauit peccator, plus cruciabitur. Et dixit Ieſus Centurioni: *Vade, &c.*) Secundũ menſuram fidei dat vnicuiq;, credebat quod verbo poterat curare etiã abſens, verbo curauit. Myſticè Centurio ſignificat primitias gentiũ, qui cẽtum militibus ſtipatus erat, quia fideles gentiles virtutib⁹ tendẽtes ad cœleſtia ſtipati ſunt. Hoc ideò dicitur, quia in ſiniſtra numeratur vſq; ad nonagintanouẽ, & centenarius eſt in dextra, & ideò per hũc numerũ virtutes tendentes ad cœleſtia deſignantur. Iſti pro alijs orant qui adhuc ſerui idololatriæ iacent inutiles, diſſoluti, & à diabolo vexati, illis dicit dominus: Ego veniam per Apoſtolos, & curabo eum à peccatis. Et gentiles dicunt quòd non ſunt digni, vt in perſona ſua tranſeat, ad idololatras, & ideò ſanet eos per verba prædicatiõis Apoſtolorũ, quod ita factũ eſt. *Et cùm uenisſet, &c.* Iſta miracula quæ ſequuntur, facta ſunt antè ſermonẽ domini in monte, ſicut Lucas refert, quod poteſt videri etiã in vocatione Matthæi, quã ponit inter miracula. Matthæus enim voluit priùs oſtendere ſermonem noui Teſtamenti, & ad autoritatẽ tanti magiſtri ſupponit multa miracula quoquo tempore facta, & tamen cõuenienter ordinauit. Cùm aũt deſcendiſſet de monte quaſi deitatis, priùs oſtẽdit per leproſum totum genus humanũ ſanatum, quod diuidit per partes, per gentilem ſcilicèt populũ, qui ſignificatur in ſeruo, & per ſynagogam, quæ ſignificatur per ſocrũ Petri, & quia maior gratia fuit in gentili conuerſo, & maius miraculũ, priùs narrat de ſeruo, vel quia in fine ſæculi ſynagoga plenariè conuertenda eſt, cũ plenitudo gentiũ ſubintrauerit, non dicit: Et poſtquã intrauit Capharnaum, vel ecce vel tunc vel aliquid ſimile, quia ſecundũ hiſtoriam non cõtinuatur ſuperiori. Domus Petri erat in Bethſaida. Sed quæritur quare ſecundũ ſignificationem ſynagoga dicitur ſocrus Petri. Petrus enim fuit doctor circumciſionis, & poſt aſcẽſionem Chriſti primitiuam Eccleſiam Iudæorum ad Chriſtum cõuertit, quæ fuit quaſi vxor Petri. Infidelis verò ſynagoga, de qua Eccleſia Iudæorum carnaliter orta eſt mater, vnde & ſocrus Petri poteſt vocari. Quam dominus tamen in principio partim conuertit ad fidem, tunc per Apoſtolos, tũc per alios, ex maxima verò parte in fine ſæculi per Heliã & Enoch à morte infidelitatis reuocabit.

Veſpere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes, &c.) Solis occubitus paſsionẽ mortẽq; deſignat illius qui dixit: Quãdiu in mundo ſum, lux ſum mundi, & ſole occidente plures dæmoniaci quàm antè, & plures ſanantur ægroti, & qui temporaliter viuens in carne, paucos Iudæorum docuit, calcato mortis regno, omnibus per orbem gentibus fidei dona tranſmiſit, cuius miniſtris tanquam vitæ lucisq; præconibus Pſalmiſta dicit: Iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſum. Aſcendit ſuper Occaſum, quãdo in paſsione occubuit, maiorem reſurgendo ſuam gloriam manifeſtauit.

Ipſe infirmitates noſtras, ad literam ſecundum præſentem locũ, ipſe infirmitates noſtras, id eſt, leuiores infirmitates hominum, ſicut febres & ſimiles *accepit*, id eſt, ſanando abſtulit, & *ægrotationes*, id eſt, diurturnas infirmitates *portauit*, quaſi aſportauit, id eſt, remouit. Secundum myſticũ ſenſum in cruce infirmitates noſtras accepit, & ægrotationes noſtras, id eſt, diuturnas, portauit, quia paſsionem & mortem pro minoribus & maioribus peccatis noſtris ſuſtinuit.

Videns autem Ieſus turbas multas, &c.) In craſtino poſt ſanationẽ ſocrus Petri, iuit Ieſus in deſertũ, vt vitaret turbas, poſteà in alio die cùm eum illuc ſecutæ eſſent turbæ, iuſsit diſcipulos ire trans fretũ. De illo die quo iuit in deſertum, tacet Mathæus, ſed alij referunt, & in via dum irent ad mare, cõtigit de iſto ſcriba vt vellet Chriſtũ ſequi, & addiſcere aliquid à tam bono magiſtro, de ſcripturis, de miraculis faciẽdis, non

non vt bonus eſſe vellet, ſed vt inde aliquid lucraretur vel gloriaretur, hoc idem deſiderans quod Simon Magus à Petro emere voluit. Talis ergo fides iuxta Domini ſententiam damnatur, & ei dicitur: Quid me propter diuitias ſæculi lucrandas vis ſequi, cum tantæ paupertatis ſim vt nec hoſpitiũ habeam, nec mea vtar domo? Vel aliter: Vulpes quod eſt fraudulentũ animal, fraudem ſignificat. Volucres cœli, elationem & ſuperbiam. Quaſi dicat: Nolo vt me ſequaris, quia vulpes, id eſt, fraudulentia, in te habeat foueam ſuã, quia fraudulenter vis ſequi me, ſimulando obſequiũ diſcipuli, & volucres cœli, id eſt, elatio, in te habet nidũ ſuum, ſed filius hominis, id eſt, ego, non habet in te vbi *caput ſuum*, id eſt, diuinitatem ſuam *reclinet*. Caput enim Chriſti Deus eſt. Elatio erat in eo, quia propter inanẽ gloriam eum ſequi volebat.

Alius autem, &c.) Illum qui rogabat repudiauit, & cũ qui nõ petebat vocauit, ſed vtriuſq; mentẽ bene nouerat, qui ſcrutatur renes & corda. Nouerat enim iſtum malum, illum aũt gratia ſubminiſtrata futurũ bonũ. Domine. Nõ diſcipulatũ reſpuit, ſed expleta priùs paterni funeris pietate, poſt vult eũ liberior ſequi, Ieſus aũt dixit illi: Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. Duplicem neceſſe eſt mortẽ nos intelligere, alteram corporis, & alteram animæ, quaſi dicat: Dimitte mortuos in peccatis ſepelire mortuos in corpore, nõ ideò prohibet ſepelire patrẽ, quod nõ ſit magnæ humanitatis ſepelire mortuos, ſed quia melius officiũ eſt prædicare Euangeliũ, & reſuſcitare inanima mortuos, & minora bona pro maioribus, ſunt aliquando poſtponenda. Aliter ſecundum Gregorium, quod tamen non pertinet ad præſentem locum. Mortui mortuos ſepeliunt, quando adulatores fouent in peccatis peccatores, vnde dicitur, linguæ adulantium alligant animas in peccatis, & ſepeliunt, quia cùm laudant peccatum, quaſi negant peccatum, & ſic peccatorem tegunt. Notandum eſt quod nunciat patrem mortuum, ſed quoniam non rogatur Chriſtus pro illo non reſuſcitat illum. Sic non reſuſcitat mortuũ in peccatis, poſtquam nec ipſe nec alius orat pro eo.

Et aſcendente Ieſu &c.) Sicut miracula fecerat in terra, ita voluit & in mari, vt ſe maris & terræ dominum cõprobaret eſſe. Ingreſſus ergo nauiculã, fecit mare turbari, & mouit ventos & fluctus concitauit. Cur hoc? Vt diſcipulos mitteret in timorẽ, & ſuum auxiliũ poſtularent, ſuãq; potentiam rogantibus monſtraret. Illa verò tẽpeſtas nõ ex ſe orta eſt, ſed poteſtati paruit imperantis, eius qui eduxit ventos de theſauris ſuis. Facta eſt verò magna & non puſilla tempeſtas, vt magnũ opus & non puſillum oſtenderet.

Ipſe vero dormiebat corpore, qui non dormit in deitate, iuxta Pſalmiſtã, qui ait: Ecce non dormitabit, neq; dormiet qui cuſtodit Iſraël.

Orta eſt autem tempeſtas, acceſſerunt diſcipuli & excitauerunt eum dicentes: Domine ſalua nos, perimus.) Tanto fuerunt metu perterriti, & penè animo alienati, vt irruerent in eum, & nõ leuiter aut moleſtè ſuggererẽt, ſed illum turbulenter excitarent, dicentes: Domine ſalua nos, perimus. Diſcipuli qui adhuc paruuli & infirmi erant, necdũ plenariè robuſti, nondũ enim eos cõfirmauerat paſsio Domini, reſurrectio, & aſcenſio, nec deſcẽſio ſpiritus paracleti, ideò fragilitatẽ timebãt & dicit eis: *Quid timidi?* Quaſi dicat: Vita nobiſcũ eſt, & de morte ſollicíti eſtis? Si potentẽ ſuper terrã me eſſe cognouiſtis, quare me non potentem in mari creditis? Qui puſillum credit arguitur, & qui non credit contemnitur, fragiles in fide corripiuntur, omnino à fide alieni ponuntur, vt pagani, hæretici.

Porro homines mirati ſunt.) Homines hic videtur intelligere, alios quam diſcipulos, nautas ſcilicet & alios aliquot, qui in mari erant, qui diuinam potentiam mirantur tantùm, non glorificant. Vel eoſdẽ intelligamus diſcipulos, qui nondũ ſpiritu ſancto roborati, nondũ ad plenã diuinam attendebant potentiam, dicentes: *qualis eſt hic, quia mare & uenti obediunt ei.* Tipicè quidem mare, q̃ Dominus cum diſcipulis tranſire deſiderat, amarus præſentis ſæculi ſtatus accipitur. Nauicula verò quã aſcendit, intelligitur arbor beatæ paſsionis, cuius auxilio fideles adiuti, tranſcenſis mundi fluctibus, quaſi ad ſtabilitatem, ad habitationem patriæ cœlis perueniunt ſecuri littoris. Cum ergo Chriſtus poſitus fuiſſet in cruce, motus magnus factus eſt, quia commotæ ſunt mẽtes diſcipulorũ de eius paſsione, & nauicula operta eſt fluctib⁹, quia tota vis perſecutionis circa Chriſti crucem fuit, vbi ſcilicet in morte occubuit. Vnde dictum eſt: Ipſe verò dormiebat. Suũ dormire, mori eſt: Excitant diſcipuli Dominũ, dum turbati morte maximis votis reſurrectionẽ quærunt dicẽtes: Domine, ſalua nos reſurgẽdo, quia perimus turbatione tuæ mortis. Ipſe verò exurgẽs in die reſurrectionis increpat illos, & duritiam cordis eorũ, quæ increpatio legitur poſt reſurrectionẽ multis modis fuiſſe, ſicut illud: Exprobrauit incredulitatẽ eorũ & duritiã cordis, quia his qui viderant eũ reſurrexiſſe non credebant, & cum iterùm dicit: O ſtulti & tardi corde ad credendũ in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ. Nónne hæc oportuit Chriſtũ pati, & ita intrare in gloriam ſuã? Nónne in his verbis dicit: Quid timidi eſtis modicæ fidei? Exurgens imperauit ventis, quia diaboli ſuperbiam ſtrauit. Imperauit mari, quia veſaniam Iudæorũ deiecit, & facta eſt magna pax, quia ſedatæ ſunt mentes Apoſtolorũ viſa reſurrectione. Poſſumus etiam per nauiculam generalem Eccleſiam intelligere, quæ in fluctibus huius ſæculi vexatur, & magnis perſecutionibus. Et tunc dicitur Deus dormire, cum tribulationes ſuis permittit accidere. Sed fideles orant, Domine, ſalua nos, quia perimus. Ipſe verò exur-

exurgens ad auxilium,restituit pacem Ecclesię.

Et cum venisset Iesus trans fretum in regionem Gerasenorum) Gerasa est vrbs Arabiæ trans Iordanem, iuncta monti Galaad, quę tenuit tribus Manasse, non longè à stagno Tyberiadis,in quo porci præcipitati sunt. Significat aũt nationẽ Gentium, quam post somnũ passionis & resurrectionis suæ gloriam missis prędicatoribꝰ Saluator dignatus est visitare. Vnde bene Gerasa dicitur. Gerasa enim,vt quidam legunt,colonum eijciens, siue aduena appropinquans interpretatur, videlicet insinuans, quia Gentium populus,& diabolum à quo incolebatur,de suo corde reppulerit,& qui erat longè,factus est sic propè in sanguine Christi.

Occurrunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sæui nimis, &cæt.) Matthæus duos dæmoniacos dicit fuisse, qui legionem illam dæmonũ patiebantur, quę in porcos ire permissa est. Marcus verò & Lucas vnum commemorãt. Intelligas ergo vnum eorũ fuisse clarioris personæ,quam regio illa colebat, & pro cuius salute plurimùm satagebat. Hoc volẽtes significare duo Euãgelistę,solum cõmemorandum iudicauerunt, de quo facti huius fama latiùs effluxerat. Vel Marcus & Lucas scribentes gentibus cùm vellent gentilem populum significare, de vno tantùm dæmoniaco scripserunt. Matthæus verò duos posuit,vt non solùm Gẽtilem,sed etiam Iudaicũ populũ significaret, Iudæis scribens: Vterq; enim populus dæmonibus deditus erat. Alter idola colendo, alter mãdata legis trãsgrediendo. Vel quod notatur per vnum, significatur etiam per duos, scilicet gentilis populus,qui de duobꝰ filijs Noë processit, scilicet ex Cham & Iaphet. De Sem enim exiuit Iudaicus populus. Sensus literæ satis patet. *Et ecce clamauerunt dicentes: Quid nobis & tibi fili Dei Iesu? &cæt.*) Quæritur quare vocauerunt eum filium Dei. Si enim credunt esse filium Dei, quare crucifigi faciunt? Si non credunt esse, quare filium Dei vocant? Sed credẽdum est, illos nequaquã Christum Deum esse cognouisse, sed suspicari tantùm pro signorum magnitudine,& ex suspitione & timore talia dixisse. Cum ergo Deum illum suspicarentur,præsentiam eius timebant,& ad iudicandos se venisse credebant. Postea verò cùm passibilem & egentem viderent, eum Deũ esse desperabant. Hilarius tamẽ dicit dæmones cognouisse Christum, his verbis: Nõ voluntatis ista confessio est, sed necessitatis extorsio, quæ cogit inuitos. Velut serui fugitiui post multum temporis dominum suum vidẽtes, nõ aliud nisi de verberibus deprecantur: sic & dæmones Dominum cernentes in terris, repentè territi ad iudicandos se venisse credebant. Præsentia enim Saluatoris dæmonum sunt tormenta. Ambrosius etiam videtur huic sententiæ conuenire, cùm dicit: Tantùm eis innotuit, quantum Deus voluit: tantùm aũt voluit, quantum oportuit. Sed innotuit nõ sicut angelis sanctis, qui eius æternitate, secundũ quã verbũ est Dei, perfruũtur: sed sicut eis terrendis innotescendũ fuit, ex quorũ tyrannica potestate fuerat liberaturus prędestinatos ad regnũ. Innotuit ergo dæmonibus non per id quod est vita æterna, lumẽ quo illuminat pios, quibus vidẽdo per fidẽ, quę in illo est, corda mundantur, sed per quædam temporalia suæ virtutis effecta,& occultissimæ præsentiæ signa, quæ angelicis spiritibus etiam malignis potiùs quàm infirmitati hominum possunt esse perspicua. Si aũt obijciatur quod Apostolus dicit: Si enim cognouissent, nunquàm Deum gloriæ crucifixissent, respondit Beda huic obiectioni. Nõ ideò Iudæus eũ crucifigere persuasit, quia Christum siue filiũ Dei esse putauit, sed quia se morte illius nõ præuidit esse damnandũ. Verè enim de hoc mysterio à sæculis abscondito dicit Apostolus, quòd nemo principum huius sæculi cognouit. Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Dicunt ergo, vel eum intelligendo eum esse Christum, vel suspicãdo. *Quid nobis & tibi fili Dei*, Subaudis est commune. quasi dicat: Qui habent intra se aliquod cõmune, debẽt se visitare. Sed tu quare venis ad nos?

Venisti torquere nos ante tempus iudicij &c.) Quæritur, quare dæmones petant intrare porcos, scilicet ex iniquitate sua, vt cùm nõ possent hominum nocere corporibus, noceant rebus exterioribus. Petunt autem ideò licentiam à Deo, quia nec rebus hominum nocere possunt, nisi permissione Dei. Deus autem permisit in porcos intrare, vt per damnũ homines corrigeret,& viso miraculo diuinæ potentiæ eos ad fidem conuerteret. Sed miseri nolunt conuerti, immo cœperunt rogare vt discederet à finibus eorũ, non tamen hoc ex superbia faciebant, sed conscij fragilitatis suæ præsentia Dei se iudicabant indignos,& propter peccata sua putabant præsentiam tãti viri potiùs grauare quàm iuuare. Sicut mulier, quæ propter Heliam quẽ hospitata fuerat credebat Deũ peccata sua rememorasse,& ideò filium suũ amisisse. Quę inquit: Quid mihi & tibi vir Dei? Ingressus es ad me vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meũ? Mysticè venit Iesus in regionẽ Gerasenorum, quia venit in mundũ, in quo habitant Gerasẽi, id est, homines tam Iudæi quã Gentiles, qui priùs à dæmonio incolebãtur, alij propter idololatriã, alij propter transgressionẽ legis, sed veniente Christo, fuerũt eijcientes colonum, id est, diabolũ,& aduenæ appropinquãtes ad Dominũ, tunc occurrerunt ei per liberũ arbitriũ credendo duo dæmoniaci, id est, duo populi de monumentis, id est, de operibus mortui corporis. Corpora enim perfidorũ sunt quędam defunctorum sepulchra, in quibus animæ mortuæ iacent in peccatis. *Sæui nimis.*) Quia neque legibus diuinis, neque humanis à furore concupiscentiæ poterant retineri. Vnde Marcus

cus eos catenas & compedes narrat dirupisse.

Per viam illam nemo poterat transire.) Via illa Christus est, qui dixit: Ego sum via, veritas,& vita. In hac via,id est,in ipsa vera fide Saluatoris quando adhuc erat incredulus vterque populus,diabolo in se furente,rectè gradientibus,id est,rectè credentibus & fidem prædicãtibus obsistebant. Legitur in Marco legionẽ in eis fuisse, quia genus humanum multis erroribus & idolorũ cultibus erat mancipatum. Quod eiecti ab obsessis corporibus dæmones introeunt in porcos, significat quòd eiecti à mẽtibus fidelium transeunt ad alios infideles immundè viuentes,& præcipitant eos in fluxum sæculi,& eos in eo interficiunt. Quod pastores fugerunt & nunciauerunt ea omnia quæ viderant, significat quosdã primates impiorum, qui quanquam Christianam fidẽ vel legem fugiant, potentiam tamẽ Christi stupendo & admirando prædicãt. Quod tota ciuitas exit obuiam, significat quia alij infideles admirantur miracula Christi,& tamen volunt vt transeat à finibus eorum, id est, à seipsis, ne habeat in eis mansionem.

CAPVT IX.

ET ascendens in nauiculam transfretauit, & venit in ciuitatem suam,&c.) Potest nos monere, quod de isto paralytico Matthæus ita narrat esse factũ in ciuitate Domini. Marcus verò dicit nõ hoc in eius ciuitate factũ esse, quæ vtiq; Nazareth vocatur, sed potiùs in Capharnaum. Remanet ergo quæstio inter Marcũ & Matthæum, quæ faciliùs solueretur, si Matthæus Nazareth nominaret, nunc verò cùm poterit ipsa Galilæa dici ciuitas Christi, quia Galilæa erat Nazareth, sicut vniuersum regnũ in tot ciuitatibus cõstitutum dicitur Romana ciuitas. Et similiter cum inter tot gentes constituta sit ciuitas, de qua scriptum est: Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Cum igitur populus Dei inter tot ciuitates habitãs, etiã vna domus dicta sit domus Israël, quis dubitauerit in ciuitate sua hoc fecisse Dominũ? Cùm enim fecerit in Capharnaum ciuitate Galilęæ, in qua trãsfretauerat de regione Gerazenorũ,& veniens in Galilæã diceretur venisse in ciuitatẽ suã, in quocũq; oppido esset Galilęę, præsertim cùm Capharnaũ esset metropolis, vbi offerebãt paralyticũ iacentẽ in lecto.

Aguſtinus dicit esse mendaciũ, quãdo aliquid dicitur aliter, quàm animo sentitur. Vnde homo mendax dicitur habere duplex cor. Dolus est, quando agitur,& aliud simulatur. Iustitia est habitus animi, reddens vnicuiq; quod suum est, scilicet vt se vestiat secundum mensuram, & comedat & procuret se secundum mensuram. Si enim se fame, nec alio aliquo vltra modum facto labore perimeret, homicida esset. Item est iustum vt tantùm amet proximum, quantum & se. Item est iustũ vt Deum toto affectu animi diligat,& seipsum ei reddat. Prudentia est in mũdanis rebus. Fortitudo est vt ne nimis aduersis frangamur,& ne vltra modum prosperis tollamur. Temperantia est, vt sciat vnusquisq; se tẽperare per omnia. Istis quatuor virtutibus sunt alia quatuor vitia contraria. *Videns autem &c.*) Paralyticus infirmitate grauatus, nullius discretionis erat, sed Christus videns fidem offerentium, peccata remisit & eum sanauit. Quantum ergo propria cuiusq; fides apud Deũ valet, vbi tantùm valuit aliena? *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*) Curaturus hominem Dominus, primo pecccatorum vincula dissoluit, vt ostenderet eũ propter culpas dissolutionem membrorum meruisse. Mira humilitas. Filium vocat, quem sacerdotes non dignabantur tangere: aut rectè ideò filium, quia dimittuntur ei peccata. Cùm ergo peccata causa essent infirmitatis, remouet causam vt infirmitas remoueatur. Quinq; siquidem sunt differentiæ causarum, pro quibus in hac vita molestijs corporalibus affligimur. Aut enim ad merita augẽda propter patientiam iusti corporis infirmitate grauantur, vt beati patres, Iob & Tobias, & innumeri martyres in vtroq; Testamento. Aut ad custodiam virtutum perceptarum, ne superbia tentanti dispereant. Sicut Apostolus Paulus, cui ne magnitudo reuelationum extolleret, datus est ei stimulus carnis suæ, qui eum colaphizet. Aut ad intelligenda & corrigenda peccata nostra. Sicut Maria soror Aaron in heremo, ob verba temeritatis & superbiæ percussa est lepra. Sicut paralyticus de quo tractamus, qui nõ nisi primo dimissis peccatis, potuit ab infirmitate curari. Aut ad gloriã Dei saluantis, siue per se ipsum, siue per famulos suos, sicut cæcus natus in Euangelio, qui neq; ipse peccauit, neq; parentes eius, sed vt manifestẽtur opera Dei in illo. Et sicut Lazarus, cuius infirmitas non fuit ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificaretur filius Dei per eũ. Aut ad inchoationem damnationis suæ æternæ quæ reproborũ est propriũ. Sicut Antiochus & Herodes, qui vterq, suo tempore aduersus Deũ repugnantes, quòd tormentorũ suorũ pœnas in gehẽna perpetuo passuri essent, præsentiũ afflictione miseriam cunctis ostendebãt. Quibus cõgruit illud Prophetæ: & duplici contritione contere eos. *Et ecce quidam &c.* Cùm audiunt Christũ dimittere peccata, quod est, solius Dei, eum blasphemare dicebãt, quia eum esse Deũ non credebãt. Blasphemare est aliquid diuinæ potentiæ detrahere, quod videbatur eis Christus facere dum quod erat Dei officiũ, vsurpabat. Vnde apertiùs ab eis in Marco dicitur: Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus? Verùm dicebãt, quia nemo nisi solus Deus hoc potest, sed errãt dum Christũ Deũ esse negant. *Et cùm vidisset Iesus &c.*) Quia dubitabant eũ esse Deũ, se Deũ euidenti signo ostẽdit, dũ eorũ cogitationes aperit, quasi eis diceret: Potentia, qua vestras cogitationes intueor, possum & delicta dimittere. *Quid est faciliùs*: dimittũtur tibi peccata tua, an dicere, surge

& ambula? Vtrunq; æquè facilè est mihi, quia ea potentia qua sano, etiã peccata dimitto. *Vt sciatis autem &c.*) Facit carnale signũ, vt probetur spirituale. Hæc verba possunt esse Christi vel Euãgelistæ, quasi Euangelista diceret: Ipsi dubitabant eũ posse dimittere peccata, sed vt sciatis, q̃ *filius hominis* habet potestatẽ, *ait paralytico, &c.* Si aũt dicatur Christũ pronunciasse hæc verba, ita legitur. Vos dubitatis me posse dimittere peccata, sed vt sciatis, quia filiꝰ hominis, id est, ego, potest. Tũc ait paralytico: Actus rei est cõsequens illius oratiõis, quæ imperfecta est. Iste paralyticus gerit personam baptizatorũ sub aliena fide, quorũ anima dissoluta est in peccatis, & iacet in lecto corporis, hoc est, voluptatibus eius. Offerentes sunt doctores Ecclesiæ, qui rogãt pro infirmo in peccatis, cui dimittit peccata, & dicit: *Surge*, à vitijs, *& tolle grabatũ*, id est, carnẽ per frena continentiæ correctã rege, vt anima corpori dominetur, quæ priùs seruiebat ei, & ab eo regebatur. *Et vade in domũ tuã*, Id est, ad paradisum redi. *Videntes autem turbæ, timuerunt & glorificauerunt Deum, quia &c.*) Quia conuerso peccatore ad fidem, vniuersa Ecclesia laetatur.

Et cum transiret inde, vidit hominem sedentem in Telonio, &c.) Hinc potest percipi hæc miracula ante sermonẽ Domini in mõte fuisse facta cũ inter ea cõuersionẽ suã referat Euãgelista. Nota, quia Matthæus binominis erat. Vocabatur enim Matthæus & Leui. Marcus aũt & Lucas enim vocant Leui, vt cauteant quasi pudori Euangelistæ, ne vocando eũ vsitato nomine, de pristina cõuersatione eũ notabilem facerent palam. Porrò ipse Matthæus, quasi accusator sui ipsius, vulgari nomine se appellat, & in catalogo Apostolorũ se etiã publicanũ cognominat, quatenus per hoc publicanis & peccatoribus cõfidentiã salutis præbeat, & nemo legens cõuersionẽ ipsius de misericordia Dei diffidat, cũ de Teloniario Euangelistã videat. Nõ est mirandũ quod publicanus ad primã vocem iubentis Domini terrena lucra reliquerit, & comitatui eius, quẽ diuitijs carere videbat, adhęserit. Ipse enim qui vocabat exteriùs, verbo intus inuisibiliter docebat, vt sequeretur obediendo infundens illius menti, quia si deferet thesauros in terris, incorruptibiles thesauros in cœlis haberet, perfectamq; abrenunciationis formam nobis ille dedit, quia non solùm lucra reliquit & curam vectigaliũ, sed & periculum contẽpsit, quod euenire poterat à principibus seculi, qui vectigaliũ rationes inordinatas, & absq; ratione reliquerit, nimiam habens cupiditatem sequendi Dominum. Sed reuertamur ad literam. *Vidit hominẽ sedentem, &c.*) id est, humanis lucris inhiantem, in Telonio, id est, in domo, vbi scilicet vectigalia congregabantur, id est, publici redditus cõportabantur. Erat enim iste Teloniarius dictus à Græco, quod est telon, id est, vectigal.

Et factum est, &c.) Hîc Matthæus non expressit, in cuius domo discubuit, nisi Marcus & Lucas, qui hoc conuiuium similiter narrant, dicentes in domo Leui eum discubuisse. Cùm ergo dicit in domo illius, exprimit illum de quo loquebatur superius. Notandũ quia discubuit cũ publicanis & peccatoribus. Vnius quippe publicani conuersio, multis fuit exemplum pœnitentiæ & indulgentię. Qui enim cũ Iesu & discipulis eius discũbebant, iam publicani & peccatores esse desierant, nec si in peccatis esse & perseuerare decernerent, ei qui sine peccato est consuesci auderẽt, nec forsitan Deus cum eis. Publicani vocantur, qui publicis sceleribus sœdãtur, vel publicis negotijs implicantur, quæ sine peccato aut vix aut nunquã tractari possunt. Et pulchrum fuit præsagiũ, quia qui Apostolus & doctor Gentium futurus erat in prima sua conuersione, peccantium gregem post se trahit ad salutem, officiumq; euangelizandi, quod proficiente meritò virtutum expleturus erat, à primis iam fidei suæ incipit rudimentis, vt iam proficeret exemplo, qui proficere debebat & verbo. Et notandum est, quia secundum quod Lucas dicit, Matthæus Christo magnum conuiuiũ in domo sua parasse, congruam beneficijs cœlestibus vicẽ rependens, vt illi cõmodaret sua temporalia, à quo expectabat perpetua bona. Sequitur:

Et videntes Pharisæi dixerunt discipulis eius, quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester? Duplici errore tenentur Pharisæi: Cùm magistro veritatis de susceptione peccatorum detrahant, arbitrantes se esse iustos, qui à iustitia longè erant, & eos criminantur iniustos, qui resipiscendo à peccatis non parum iustitiæ appropinquabant. Errabant ergo Pharisæi, qui nec alienа nec sua nouerant corda, sed Deus qui nouit occulta cordis, eos quos iam pœnitentes susceperat, amplius in fide confortat, & illos quos adhuc superbos tolerat & impios, ad humilitatis ac pietatis gratiam prouocat. Nam Iesus audiens & prauas eorum cogitationes attendens ait:

Non est opus valentibus medico, sed malehabentibus. Tangit hic Scribas & Pharisæos, qui iustos putantes se, cõsortia aliorũ declinabant. Seipsum verò medicũ dicit, qui miro medicandi genere propter iniquitates nostras vulneratus est, vt vulnus peccatorũ nostrorũ sanaret: sanos quidem appellans eos, qui suã volentes statuere iustitiam, iustitię Dei non sunt subiecti. Malehabentes vocat eos, qui suę fragilitatis cõscientia deuicti, nec per legem videntes se iustificari, pœnitendo submittunt se gratiæ.

Euntes autem, discite quid est, misericordiam volo, & non sacrificium.) Pharisæis de falsa iustitia tumidis, dat consilium correctionis. Faciebant sæpe sacrificia in templo, vt iusti apparerent coram populo, sed non exercebant opera misericordię, vbi comprobatur vera iustitia.

iustitia. Si enim verè iusti essent, peccatorib. cõdescenderent, & de salute illorum, sicut de sua laborarent, quasi dicat: Vos æstimatis vos esse iustos, sed euntes ad Prophetas, discite, quid est vera iustitia, discite quod ait Dominus per Prophetam. Ait enim: *Misericordiam uolo, & non sacrificium*, tamen non despicit Deus sacrificium, sed sacrificium sine misericordia.

Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.) Hic est duplex intellectꝰ, quasi dicat: Ideò frequento peccatores, vt ad pœnitẽtiam inuitẽ.

Non enim veni in mundum vocare iustos, subaudi *ad pœnitentiam*, quod dicit Lucas, *sed peccatores*. Qui enim iustus est, vt Nathanael, cui testimonium perhibuit Christus, vel Ioannes Baptista, non erat ad pœnitentiam inuitandus. Vel aliter: Non enim veni vocare falsos iustos, qui erant de iustitia sua gloriantes, sicut Pharisæos, qui ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes statuere, iustitiæ Dei nõ sunt subiecti. Sed illos, qui se peccatores recognoscunt, & gratiæ Dei colla submittunt. Quamdiu enim iusti in oculis suis erunt sapientes, ad fidem conuerti nõ poterunt, sed postquàm sua peccata recognoscũt, ipsi idem peccatores, non iusti ad fidem vocari poterunt.

Mystice.) Matthæus significat hominẽ terrenis lucris inhiantẽ, & sedentem in Telonio, id est, sedulum in secularib. negotijs. Quẽ videt Iesus, dum eum oculo misericordię respicit, & bonæ conuersationis voluntatem imprimit, & ait illi, vel per prædicationem, vel per scripturę admonitionem, vel per internam inspirationem. Sequere me, id est, postpositis seculi cupiditatibus, imitare me. At ille surgens à vitijs, sequitur eum, viam veritatis, qui meritò dicitur Leui vel Matthęus. Leui enim assumptus, Matthęus donatus interpretatur. Tũc enim pœnitẽs à massa perditorum assumitur, & gratia Dei Ecclesię donatur. Et tunc peccator Deo conuiuium in domo sua præparat, quando Deum in pectore suo bonorum operũ spirituali cõuiuio delectat. Cuius considerata pœnitentia alij peccatores conuertuntur, & eodem conuiuio reficiuntur. *Tunc accesserunt &c.*) Alij Euangelistæ satis euidenter ostendunt, nõ solos discipulos Ioannis, sed etiã Pharisæos hanc quæstionem fecisse. Cùm enim de conuiuio peccatorũ & participatione eis respondisset, de comestione aggrediũtur eũ, quęrentes: *Quare discipuli tui* quasi comestioni vacantes non ieiunant? Cui obiectioni respondet.

Nunquid possunt filij sponsi ieiunare? &c.) Sponsum vocat se ipsum, qui est sponsus Ecclesiæ. Filios sponsi Apostolos nominat, quos ipse in fide genuerat. Discipuli Ioannis habebãt ieiunare ad domandam carnem, ne spiritui rebellaret. Discipuli aũt Christi non habebant opus ieiunio, quia prȩsentia Christi sponsi, illam fortitudinem dabat ad carnem cõprimendam, & etiam maiorem, quàm illi haberent per ieiuniũ. Propterea paulatim nutriendi erant, non austeritate præceptorum grauandi, ad tempus confirmationis habendæ per spiritum sanctum.

Et notandum est, q̃ sunt duo genera ieiunij: Vnum tristitię propter peccata, Aliud gaudij ex nimia contemplatione, quando in solo bono æterno contẽplando delectatur animus, obliuiscitur esum. Ieiunium tristitię non possunt habere, quia non debent dolere, quãdiu cũ eis est sponsus. Ieiuniũ gaudij non possunt habere, quia adhuc carnales sunt, nec cœlestibus adhuc inhiãt, nec contẽplationi cœlestium vacãt, donec spõsus subtractus sit ab eis ascendens in cœlum, & tunc cœlestia desiderent, & eis inhiẽt paracleto promisso cõfortati. Ieiuniũ tristitiæ habuerunt, non tamen q̃ peccatis in passione Christi, ita q̃ Iacobus frater domini vouit se non comesturũ, donec videret filiũ hominis resurrexisse à mortuis. Ieiunium gaudij post Pentecosten, quãdo scilicet intenti cœlestibus fuerunt.

Nemo autem, &c.) Ostẽdit quia ieiunium gaudij non erat eis imponendũ, quia pars est inseparabilis nouæ vitæ. Noua vita est, scilicet cœlestibus intendere, & temporalibus abstinere. Apostoli verò qui carnales erant, Christũ in regno seculari dominaturum credebãt. Vnde Ioannes & Iacobus per matrẽ suam à Domino petierunt, vt vnus ad dexteram, alter ad sinistrã sederet, & ideò ad cœlestia nõ inhiabãt, sed terrena postposuerãt, quia dominꝰ præceperat, tamẽ nondum scientes erãt quod præmiũ reciperent. Vnde etiam Petrus à domino quęsiuit, Nos reliquimus omnia, &c. & ideò adhuc vestimentum vetus erant. Sunt ergò nouum vestimentũ efficiendi visa passione & resurrectiõe & ascensione, & spiritussancti cõfirmatione, non nouus pãnus assuendus est veteri. Nam qui ponit nouum pannum in veteri, tollit plenitudinẽ noui vestimenti à veteri vestimento, sed non dat nouæ vitæ plenitudinẽ homini, sed aufert vt non habeat quis partem. Sicut qui vult ieiunare à cibis, vult ponere nouã vitã in homine adhuc veteri, quasi dicat: Noua vita illa non potest dari per partes, sed priùs animi intentio ad alta subleuanda est, & tunc grauia onera possunt imponi. Qui enim aliquod graue pondus illius vitæ vult veteri imponere, peior scissura fit, quia homo inde deterioratur, & totum bonum postponit.

Tollit enim, &c.) Ideò rudis pãnus, id est, nouus, non debet poni in vestimẽto veteri, quia tollit sæpè à vestimento plenitudinem eius, id est, perfectionem, & tũc fit peior scissura. Graue enim onus rudi iniunctũ, illud boni quod priùs ei inerat, sæpè destruit, quod etiam nostris temporibus contingere videmus. Dum enim clericis continentia carnalis imponitur, ablato cõiugio, quod peiùs est, per fornicationes euagãtur.

Neque nouum vinum.) Quod est austeritas nouæ vitæ, in vtres veteres, qui sunt Apostoli, qui quamuis omnia quę possidebant postpo-

fuerant, tamen adhuc noui non erant, sed veteres, id est, carnales. Si ergò sæuiora mandata eis traderentur, rumperentur, & totam doctrinam effunderét. Sed postquàm susceptо spiritu sancto noui, id est, apti ad austeritatem nouæ vitæ susciпiendã efficientur, tunc nouũ vinum, id est mustum, nouis vtribus secretè committetur.

Moralitas, Gregorius.) Ergò doctori cauendum est, ne simplicium & carnaliũ humeris grauia imponat, cùm dataæ sint diuersæ similitudines ad idẽ, tamen differunt vinum nouum, & vestimentum. Vino intus reficimur, veste foris tegimur. Vestis ergò sunt opera bona quæ foris agimus, quibus coram hominibus lucemus. Vinum, feruor fidei & pietatis & charitatis, quo in cõspectu Dei, in nouitate sensus intus reformemur. *Hæc illo loquente, &c.*) Matthæus archisynagogum narrat domino nunciasse, filiam suã omninò defunctã esse. Alij verò duo Euãgelistę morti proximã, nondum tamen mortuam vsq; adeò vt dicãt posteà venisse nuncios, qui mortuã esse nunciarent, & ob hoc iam nõ debere vexari magistrum. Intelligẽdum est ergò Iaírum archisynagogum, cùm ad dominũ veniſſet, dubitare de filia, vtrùm adhuc viueret, aut iam mortua esset, & ideò vtrumq; postulasse dicẽdo. Filia mea in extremis est vitę, veni, impone manum super eã vt salua sit, vel defuncta est filia mea sed veni, & impone manũ & viuet. Cùm ergò vtrumq; Iairus dixisset, Matthæus causa breuitatis, respiciẽs ad rei effectũ dicit defunctam, vnam partẽ tantummodò assumens dubitationis, alij verò partem alteram assumpserunt. litera satis patet.

Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebãtur, &c.) Dum tendit ad puellam resuscitandam, in turba accessit ad eum mulier, fluxũ sanguinis per duodecim annos patiens, quæ vt alij Euangelistæ referũt medicis erogauerat omnem substãtiam suam, nec ab vllo poterat curari, quæ tetigit fimbriam vestimenti eius, & sanata est. Nota quòd filia Iairi duodecennis erat vt refert Lucas.

At Iesus, &c.) Hic prætermittit quædam Matthæus, quæ referuntur ab alijs duobus, Referũt enim quod ait Iesus, Quis me tetigit? Negantibus autem omnibus dixit Petrus, & qui cũ illo erant: præceptor turbæ te comprimunt & affligunt, & dicis, quis me tetigit? Et dixit Iesus: Tetigit me aliquis, nam & ego noui virtutẽ de me exisse. Videns autem mulier quia nõ latuit, tremens venit, & procidit ante pedes eius, & ob quam causam tetigit eum indicauit corã omni populo, & quemadmodum cõfestim sanata est. Posteà factum est quod narrat Matthæus.

At Iesus conuersus, &c.) Quod autẽ ait & salua facta est ex illa hora, ex qua Iesus conuersus est ad eã, intelligendũ est ex ea hora, ex qua vestimentũ tetigit, non ex illa hora ex qua Iesus conuersus est. Cùm enim Iesus cõuertit se ad illam, iam salua facta erat, quod & alij Euãgelistæ manifestè ostẽdunt, & ex verbis Iesu potest perpendi, vbi ait: Fides tua te saluam fecit, nõ dicit, te saluam faciat, sed te saluã fecit. Reuertamur ad allegoriã, quia litera satis plana est. Princeps itaq; synagogę nullꝰ melius q̃ ipse Moyses intelligitur, vnde bene Iairus. i. illuminãs siue illuminatus vocatur, quia q̃ accipit verba vitę dare nobis, & per hoc cęteros illuminat, & ipse à spiritu sancto, quo vitalia monita scribere, & docere posit, illuminatur, quia iuxta Euangeliũ Lucæ vidẽs Iesum, ꝓcidit ad pedes eiꝰ, quia præuidẽs in spiritu, in carne venturũ dominũ, humili corde se eius potẽtiæ subdidit, quẽ ita circa finẽ seculi hominẽ incarnãdum esse cognouit, vt ante tẽpora ęternũ nõ dubitaret. Si enim caput Christi Deus est, pedes eius q̃d apertiùs q̃ assumpta humanitas, qua terrã nostræ mortalitatis tetigit, accipiẽdi sunt? Et ꝓcidere ante pedes Iesu archisynagogũ, est legislatorẽ cũ tota progenie patrũ mediatorẽ Dei & hominũ longè sibi dignitatis gloria præferendũ cognoscere, & cõfiteri cũ Apostolo, quia ꝙ infirmum est Dei, fortiùs est hominib. Filia ergò archisynagogi est ipsa synagoga, quæ sola legali institutione cõposita fuerat, quasi vnica filia Moysi, & hoc velut duodecimo ętatis anno, quæ tẽpore propinquãte pubertatis moriebatur, quia nobiliter à Prophetis educata, postquàm ad intelligibiles annos peruenerat, postquã spiritualem sobolẽ Deo generare debebat, errorũ languore cõsternata est, spiritalis vitæ vias ingredi desperabiliter contẽpsit, & nisi à Christo suscitaretur, horrẽdã corruisset in mortem. Ad puellã pergens sanandã dominus, à turba cõprimitur, quia gẽti Iudęæ salutaria monita prębens, quibus eorum conscientiam à vitijs erigeret, noxia carnalium populorũ est grauatus cõsuetudine. *Et ecce mulier quæ sanguinis fluxũ patiebatur duodecim annis.*) Mulier sanguine fluẽs sed à domino curata, est ecclesia de gentibus congregata, quæ ingenti delectationũ carnalium fluxu polluta atq; à cœtu fidelium iam fuerat consepарata. Sed cùm verbum Christi Iudęã saluare decerneret, illa paratam & promissam alijs salutem spe certa prępuit. Notandum ꝙ archisynagogi filia sit duodecẽnis, & mulier hęc ab annis duodecim sanguine fluxit, hoc est eodẽ, quo hęc nata fuit, tẽpore, illa cœpit infirmari. Vna enim penè, eadẽq; seculi huius ætate, & synagoga patriarchis cœpit nasci, & gentiũ exterarũ natio per orbẽ idololatrię sanie fœdari. Nã & in fluxu sanguinis bifariã rectè potest intelligi, hoc est, sub idololatrię pollutione, & super his quæ carnis & sanguinis delectatiõe gerũtur. Ergò quãdiu synagoga viguit, ecclesia laborauit, defectus illius est virtꝰ istiꝰ. Illorũ delicto salus facta est gẽtib. quę iuxta Lucę Euangeliũ erogauerat oẽm substantiã medicis, nec ab vllo poterat curari. Medicos intellige falsos theologos, siue philosophos, legumq; doctores secularium. Sed hæc vbi populum

lum Iudæorum ægrotasse, verumq; de cœlo cognouit adesse medicũ, cœpit & ipsa lãguoris sui sperare pariter & quęrere medicũ. Quare accessit retrò, & tetigit fimbriã vestimenti eius, dicebat enim intra se: *Si tetigero fimbriam uestimenti eius, ſalua ero.*) Hæc mulier sanguine fluens, nõ in domo, nõ in vrbe accessit ad dominũ, vt sanguinis vitium curaretur. Accedit, & tangit dominũ Ecclesia, cùm ei per fidei veritatem virtutemq; appropinquat. Accedit aũt retrò, iuxta hoc quod ipse ait: Si quis mihi ministrat, me sequatur. & alibi præcipitur: Post dominum Deum tuũ ambulabis, quia præsentem dominũ in carne non videns, peractis iam sacramentis illius incarnationis, ad fidei & agnitiõis eius gratiã peruenit. Sicq; dum participatione sacramentorũ eius saluari à peccatis meruit, quasi tactu vestimentorũ eius, sui sanguinis fluxus, id est, immundę cogitationis primordiũ, ex quo nascitur omne peccatum, cessauit. Vestimentũ dicitur mysterium incarnationis Christi, qua diuinitas vestita est. Fimbriæ vestimenti sunt verba de incarnatione Iesu dependentia. Gentilis verò populus tangit fimbriã vestimenti Christi, quia cùm Christũ in carne nõ vidisset, verba tamẽ eius incarnationis recepit. *At Ieſus conuerſus & uidens eam, dixit & cæt.*) Non dedignatur dominus intueri sperãtes in se, sed omnes qui saluari merentur, suo intuitu dignos iudicat ac miseratione, dicens: *Confide filia,* ideò dico filia, *quia fides tua te ſaluam fecit.*) Non dixit, saluam factura est, sed iam saluam fecit in eo quod credidit. Conuersa ecclesia gentiũ, venit ad filiam archisynagogi resuscitandam, quia cùm intrauerit plenitudo gentiũ, tandem in fine ſeculi Iſrael saluabitur. Domus principis est Iudæa, in qua iacet synagoga filia Moysi & patriarcharum mortua. *Et cùm uenisſet Ieſus &c.*) Tibicines, praui doctores, qui Iudęos non docent, nisi figuras, quæ sunt lugubre carmen, id est, delectatio ducens ad luctum & ad mortem. Turba tumultuans, sunt illi qui aduersus doctrinã Christi recalcitrauerunt & murmurauerunt. Isti in fine seculi recedunt, quãdo synagoga fidẽ Christi recipiet, & persuasionibus illorum ampliùs non acquiescit, & tunc Christus tenebit manũ, quia per operationes illorum mũdabit, & suscitabit eam, & tunc exibit inde fama per mundũ, & multi per eos conuertentur. Nota quòd dicit, puella dormit, quia qui peccãt in præsenti, nondum mortui sunt, sed dormiunt, quia adhuc per pœnitentiam suscitari possunt. Similiter ad literam, dormit puella quantum ad Christum, quia sic est ei facilè mortuum resuscitare, sicut alicui dormientem excitare. Tenet manum puellæ & suscitat eam, quia nisi priùs fuerint mundatę manus Iudæorũ, quæ sanguine plenæ sunt, resuscitari non poterunt. Iuxta moralitatẽ, tres mortui à Domino resuscitati, tria genera mortuorum significant in peccato. Qui enim peccant, Alius in cogitatione, non perducẽdo ad actũ, qui per filiam istam in domo, ista mortuã significatur, qui secreta pœnitẽtia potest delere peccata. Vnde pauci arbitri in resuscitatiõe puellæ sunt adhibiti, quib. vehemẽter vt nemini id manifestarent præcipit. Alius peruenit vsq; ad operationẽ peccati, & tunc nõ tantùm in domo mortuus est, sed iam quasi extra portam effertur, qui per filium viduæ significatur: & quia publica noxa publico eget remedio, in cõspectu populi filius viduæ resuscitatur. Alius in cõsuetudine iam positus est, qui per Lazarum intelligitur. In eisdem etiam leuiores alię alijs pœnitẽtiæ pro qualitate criminis notantur. Facili enim voce suscitat puellã cùm dicit: Puella surge. In resuscitatiõe verò iuuenis vtitur plurib. verbis, dicẽs: Tibi dico surge. Super Lazarũ verò lachrymatus est, infremuit spiritu, magna voce clamauit: Lazare, veni forsa. Sic ergò potest notari, quòd alij difficiliùs, alij leuiùs à morte peccatorum suscitantur.

Moralitas.) Ergò puella mortua in domo, est anima mortua in cogitatiõe. Tibicines, adulatores qui fouent mortuam. Turba murmurantium, est turba instantium cogitationum. Eiecta turba fantasmatum, resuscitat animam, tamen cum paucis arbitris, id est, nõ per publicam pœnitentiam, sed per priuatam, præsente ministro ecclesiæ.

Et transeunte inde Iesu, &c.) Hęc de duobus cæcis & muto dæmoniaco, solus Matthæus ponit. Illi enim duo cæci, de quibus alij narrant, non sunt isti, nam & Matthæus de eisdem ait in sequenti. Vnde potest percipi, quædã facta esse consimilia, cùm idem Euangelista aliquãdo vtraq; commemoret. Nota igitur, vt si aliquando singula talia apud singulos inueneris, atq; in eis contrarium, quod non posset solui, occurrat, dices, hoc non esse factum idem cum facto relato ab alio Euãgelista, sed diuersum. Iesu recedẽte de domo principis prædicti, secuti sunt eũ duo cæci clamantes & dicentes: Miserere nostri domine fili Dauid. Duo cęci duo populi sunt, quia qui lumen æternitatis in primo parente amiserunt, rectè cæci vocati sunt. Quia ergò in diuinitate non est mutabilitas, atq; hoc ipsum transire mutare est, profectò iste trãsitus domini ex carne est, non ex diuinitate. Per diuinitatem enim semper astare est, quia vbique præsens est, huic ergò Deo incarnato proclamant cæci & dicunt: Miserere nostri fili Dauid, quasi dicãt: Per gratiam incarnationis redde lumẽ nobis cæcis. Filius enim Dauid dictus est secũdum carnem.

Cum aũt venisset domum, accesserunt ad eum cæci, & dixit ad eos: Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei, Vtique domine.) Tunc Dominus fide eorum cognita, *tetigit oculos eorũ & aperti ſunt.* Mysticè domus illa in qua illuminati sunt cæci, ecclesia est, in qua per fidem, lumẽ visionis Dei percipimus, quod per peccatũ primi parẽtis amisimus. Quod autẽ

dominus

dominus cæcos interrogat, non vtique ignorabat, quid vel quantum ipsi crederent, sed ad hoc interrogat, vt fides nostra orando remuneratior inueniatur, vt quæ ille paratus est concedere per gratiam præuenientem, nos quæramus per liberi arbitrij voluntatem: & illis illuminatis, comminatus est Iesus ne notificarent, ipsi tamẽ per totam terram diffamauerunt. Dominus, licet eos sicut res erat esse notificaturos cognosceret, propter humilitatem tamen fugiens iactantiam gloriæ, hoc præcepit. Illi verò propter memoriæ gloriam non possunt beneficium tacere. *Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem. Et dæmone eiecto, locutus est mutus.* Qui obtulerunt hominem istum, nulli meliùs quàm sancti prædicatores intelliguntur, qui genus humanum non in vno loco, sed in vna fide, conspectibus Dei, non tantùm corpore, sed anima sanandum præsentãt. Sicut enim in duobus cæcis significatus est vterque populus, Iudæorum & gentium, ita in homine muto & dæmoniaco significatum est generaliter omne genus humanum, quod quasi mutũ ad confessionem veræ fidei, nec os aperiebat in laudem Dei creatoris sui, & dæmonium habebat, dum pro Deo falsa figmenta colebat, sed veniẽte Domino in carne, eiectus est dæmõ, & locutus est mutus, & mirantur turbæ dicentes: *Nunquã apparuit sic in Israel*, id est, nunquam est visum hoc in Israel: apparuit, impersonaliter potest legi. Turbæ mirantur, sed Pharisæi iniqui calumniantur, dicentes, hoc eum facere in principe dæmoniorum. In turba quæ confitetur & miratur, nationum fides exprimitur. Pharisæi autem, quia virtutem negare non poterant, opera calumniãtur, sed per suam calumniam Iudæorum vsq; hodie demonstrant infidelitatem.

Et circuibat Iesus ciuitates omnes & castella, docens in synagogis eorum, & cæt.) Notandũ quòd æqualiter in villis, & castellis, & vrbibus, id est, paruis & magnis, absq; discretione personarum prædicauerit Euangelium, non attendens potẽtiam nobilium, sed salutem credentium, & post prædicationẽ curabat omnem infirmitatem eorum, vt quibus sermo non suaserat, operum magnitudo suaderet. Lãguorem vocat diuturnam infirmitatem, & omnem infirmitatem, leues morbos. Huc vsq; dicitur Euangelista miracula scripsisse, quæ fuerunt ante sermonem in monte, à sanatione socrus Petri, quæ omnia cõtinuauit, quidè, vel per cõsimile, modò redit ad alia, quæ facta sunt post sermonem.

Videns autem turbas, &c.) Vult habere coadiutores in prædicatione, & ideò quos elegerat, mittit ad prædicandum: & quare hoc? Præmittit, quia misertus est hominum, qui vexati erant per varios errores, & erant iacentes, id est, torpentes, & non enitentes surgere, & cùm haberent pastores erant quasi non habentes pastores. Messis dicuntur homines, qui possunt meti à prædicatoribus, si non omnes, saltem pars de massa, & de collectione perditorum separari possunt, vt grana excussa a paleis, posteà in horreis reponantur.

Rogate ergo dominum messis, & cæt.) Quasi dicat: Videtis q̃ homines habiles sunt ad conuertendum. Rogate ergò dominum, vt mittat operarios in messem suam. Rogandus est enim dominus, vt ex misericordia sua per inspirationem internam, vel per ministros suos mittat prædicatores in ecclesiam suam. Non enim prædicatores veniunt ad prædicandum, nisi mittantur. Et bene dicit, mittat, homines enim quiescere volentes ad prædicationem, quasi ire cogantur, dum Deus inspirat, vel à superioribus mittuntur.

CAPVT X.

ET conuocatis, &c.) Cùm discipulos ad prædicationem mittit, dat potestatem miracula faciendi, vt prædicationem suam sequentibus signis possent confirmare. Duodecim nomina Apostolorum ponit in cathalogo suo, ne pseudoapostoli se de numero Apostolorũ præsumerent gloriari. Numerus Apostolorum non vacat à mysterio. Duodenarius enim, qui conficitur ex ternario & quaternario, designat eos per quatuor mundi climata fidem sanctæ trinitatis esse prædicaturos. Iste numerus per multas figuras in veteri Testamento præfiguratus est. Per duodecim filios Iacob. Per duodecim principes filiorum Israel. Per duodecim fontes inuentos in Helim, qui locus est in deserto. Per xij. lapides in rationali Aaron. Per duodecim panes propositiõis. Per duodecim exploratores à Moyse missos. Per duodecim lapides sublatos à Iordane, vnde factũ est altare. Per duodecim boues qui sustinebãt mare æneũ. Per duodecim stellas quæ ponebantur in corona alicuius sponsæ. In nouo etiam Testamento designantur per duodecim fundamenta Ierusalem quę vidit Ioannes, & per duodecim portas.

Simon qui dicitur Petrus, &c) Hoc dicit ad differentiam alterius Simonis, qui dicitur Chananæus.

Rabanus: Quamuis hoc loco dicat Marcus, imposuit Simoni nomen Petrus. Sciendum est, quia non nunc primùm Simoni datum est hoc nomen Petrus, verùm longè antè, cùm à fratre Andrea ad se adductus esset. Intuitus eum Iesus, dixit: Tu es Simon filius Iohanna, qui vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Sed cùm Marcus volens nomina duodecim Apostolorũ enumerare, necesse haberet Petrum dicere, breuiter intimare curauit, quia non hoc ante vocaretur, sed ita eum dominus cognominauit, nõ tunc, sed quando Ioannes ipsa verba Domini posuit. Idẽ Græcè siue Latinè significat Petrus, qui Syriacè Cephas, & in vtraq; lingua nomen hoc à petra deriuatum esse, haud dubium, quin illa

illa de qua Paulus ait: Petra autẽ erat Christus. *Iacobus Zebedæi.*) Ad differentiam alterius Iacobi ponit, qui dicitur Alphæi. *Et Ioãnes frater eius.*) His imposuit vt refert Marcus, Christus nomen Boanarges, quod est filius tonitrui. Aptè filij tonitrui sunt cognominati, quorum vnus cœlestibus vocem intonans, illam theologicã, quam nemo priùs ædere nouerat, emisit, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deũ, & Deus erat verbum, &c.

Iacobus Alphæi & Thadæus.) Iacobũ Alphæi cum additamento posuit, ad differentiam Iacobi Zebedæi. Ipse est qui in Euangelijs nominatur, frater domini, & in Epistola ad Galatas. Quia Maria vxor Alphæi, soror fuit Mariæ, Matris Domini, quam & Mariam Cleophę Ioannes Euãgelista cognominat: fortasse ideò, quia Alphæus etiam Cleophas dictus est, vel ipsa Maria, defuncto Alphæo post natum Iacobum, nupsit Cleophæ. Quòd verò Iacobus meritò filius Alphæi, id est, doctus sit cognominatus, ipsi testantur Apostoli, qui eum post passionem domini, statim in Ierusalem ordinauerunt Episcopum. Thadæus autem ipse est, quem Lucas & in Euangelio suo, & in actibus Apostolorum Iudam Iacobi nominat. Erat enim frater Iacobi fratris domini, vt ipse in Epistola sua scribit, vnde etiam frater domini ipse vocabatur; testantibus ciuibus ipsius de virtutibus eius, stupentes aiebant: Nónne iste est filius Mariæ, frater Iacobi, & Ioseph, & Iudæ & Simonis? Iste idem Thadæus à nonnullis vocatus est Iebeus. Simon Cananæus, & Iudas Scariotes qui tradidit eum, hos quoque cum additamento posuit, ad distinctionem Simonis Petri, & Iudæ, fratris Iacobi. Simon autem Cananæus à Cana, vico Galilææ cognomen accepit, quem Euangelista Lucas cum interpretatione posuit Simon Zelotes. Cana enim zelus, Cananæus Zelotes, id est, æmulator. Iudas eligitur vt domesticum inimicũ haberet dominus, quia perfectus est, qui nequaquam familiarem non timet, & ideò vt doceret nos pati malos inter nos, & nullum nisi conuictum abijcere, & vt ostenderet Apostolatum non esse meritum, sed ministerium, cùm tam bene operaretur per istum malum, sicut per Petrum, miracula & sacramenta. Ista nomina ad prædicatorum significationem conueniunt. Omnis enim prædicator debet esse Petrus, id est, firmus in fide, & Simon, id est, obediens, Simon enim obediens interpretatur. Debet esse etiam Andreas, id est, fortis in patientia, Andreas enim virilis interpretatur. Debet etiam esse Iacobus, id est, supplantator vitiorum. Et Ioannes, id est, omnia ascribens gratiæ Dei, Ioannes enim gratia Dei interpretatur. Sit etiam Philippus, qui dicitur os lampadis. Omnis enim prædicator, agnitionem & claritatem mentis ore debet confiteri, vt lampadem quam habet in mente, habeat etiam in ore. Nec minùs sit, Bartholomæus, qui interpretatur filius suspẽdentis aquas, qui euidẽter filium Dei sonat, quod prædicatorum suorum mentes, ad cœlestia contemplanda, erigit & suspendit, vt quò celsa liberiùs personat, eò terrenorum corda veraciùs, dictorum suorum guttis inebriet. Debet esse etiam Thomas, qui interpretatur gemin⁹ vel abyssus. Prima interpretatio ad propriã eius personam pertinet, qui geminus, id est, dubius in resurrectione fuit. Secunda verò omni prædicatori cõuenit, qui altitudinem mysteriorum Dei nouit. Matthæus etiam debet esse, id est, donatus vel assumptus, donatus gratia Dei, assumptus de massa perditorum. Thadæus corculus interpretatur, quasi cor colens, quia omnis prædicator cultor cordis, non corporis debet esse. Debet esse Chananæus, id est, zelotes, id est, Dei æmulator. Conuenit etiã vt sit Iudas, id est, cõfessor, & scariotes, id est, memor dominicæ passionis. Scariotes enim memoria mortis interpretatur.

Rabanus: Iudas autem Scariotes aut à vico in quo natus est, aut ex tribu Isachar præsagium suæ damnationis vocabulum sumpsit. Isachar quippe qui dicitur merces, pretium proditionis insinuat. Scarioth autem, quod memoria mortis interpretatur, arguit eum non repentè persuasum, sed meditatum diutiùs dominicæ traditionis patrasse flagitium.

In viam gentium ne abieritis, &c.) Bis misit dominus Apostolos suos ad prædicandũ. Hic videlicet ad Iudæos, quib. debuit priùs offerri prædicatio, quia eis facta erat promissio, vt cùm illi repudiarent eã, Apostoli se ad gentes transferrent. Secundò ad gentes, vbi dictum est: Ite, prædicate Euangelium omni creaturæ. in quib. missionibus quædam sunt communia, quædam specialia: In hac missione, hoc est speciale, In viam gentium ne abieritis, scilicet, ne gentib. prædicarent, neque Samaritanis, quod hic præcipitur. Samaritani fuerunt gentiles dimissi in terram Israel à Nabuchodonosor post captiuitatẽ ab eo factam, & multis periculis coacti ad Iudaismum sunt conuersi, circuncisionem & quinq; libros Moysi recipientes, cætera verò omninò abhorrentes. Vnde Iudæi Samaritanis non cõutebantur. Missurus, priùs docentur quò eant, & quem locum deuitent.

Euntes autem &c.) Postquàm docuit quò eant, & quid vitare debeant, insinuat quid prædicent, & quid faciant. Ecce quid prædicent. *Euntes prædicate, & cæt.*) Ecce quid faciant. *Infirmos curate, mortuos suscipite, & cæt. Gratis accepistis, gratis date.*) Quia præsciebat nonnullos hoc acceptis spiritus donum in vsum negociationis inflectere, vt Simon magus vult venalitatem illam prohibet.

Nolite possidere aurum neque argentum &c.) Quia alios ad contẽptum secularium debent inuitare, præcepit vt neq; aurũ neq; argentum,

tum,vel nummos in zonis posideāt. Qui enim videret eos abscondere nummos & habere,putaret eos causa lucri prædicare.Per aurum & argentum accipit omnes diuitias. Per pecuniam in zonis,& per peram accipit omne viaticū. Viaticum habet duas partes, vel vnde emantur necessaria,vel ipsa necessaria. Per pecuniam accipitur illud viaticum, vnde emuntur necessaria. In pera verò solent poni casei,panes,piper,candela, vel consimilia necessaria, & ideò per eam accipitur omne necessarium in via.Per hæc igitur duo,omne viaticum prohibetur:Qui in hac missione prohibet deferri necessarios nūmos, discipulis in passione præcipit, vt qui habet peram,tollat,id est,deferat eam. Quàm diu enim fuit in mundo,fuit procurator eorum, & habuit loculos,vt eos pasceret, & ideò noluit vt curam haberent in sumptibus,quàm diu in procuratione eius erant. Mittebat ergò eos sine sumptu, quia ipse prouidebat vnde viuerent,inspirando mentibus recipientium. Postquàm verò subtractus est à conspectibus eorum,permisit eis vicem suam, vt loculos habere liceret, sicut & habuit ipse,etsi vellent viuere de bonis subditorū, quod etiam fecit Paulus, qui multoties etiā labore acquirebat vnde viueret.*Neque duas tunicas, neque calceamenta,neque uirgam.* Non quòd in locis Schytiæ rigentibus glaciali niue debeat esse cōtentus aliquis vna tunica,sed ideò hoc præcipit, ne aliud vestimentum induti, aliud nobis futurorum timore seruemus. *Neque calceamenta,* duplicia eodē modo. *Virgam* etiam non ferre præcipiuntur, vt qui habet semper auxilium Domini, baculi non quærat subsidium. Et quia quodammodò nudos &expeditos ad prędicandum Apostolos miserat,& dura videbatur hęc conditio,seueritatem præcepti,sequenti sententia tēperauit dicens:

Dignus est operarius cibo suo.) Tantum scilicet ab eis accipite, quātum in victum & vestitum vobis est necessarium.

Mystice autem.)Non licet magistris Ecclesiæ,aurum,& argentum,& pecuniam,quę in zonis est, posidere, scilicet non debent sapientiā, quæ per aurum significatur,& eloquētiam,quæ per argentum exprimitur, quasi propria, vel ab alio,quàm à Deo accepta,posidere: & hoc dicitur propter priuatas & hæreticas doctrinas. Vel aliter: Aurum & argētum mysticè acceptum,nō debent posidere, id est,sibi seruare,sed potiùs talentum sibi cōmissum multiplicare. Non debent ferre peram,id est, pondere seculi prægrauari & impediri,neq; duplices animo esse,quod significatur per duplex vestimentum,ne scilicet aliter Deo,aliter nos præsentemus mūdo. Prohibet etiam calceamēta ferre, ne scilicet pedes, id est, eorum affectiones mortiferis vinculis alligarentur, sed potiùs sanctam terram ingredientes,sensus habeant nudos, & à malorum exēplis semper alienos. Non debet aliquis calceamenta ferre,id est, nō debet stultorum operum exempla conspicere, ne sua opera, quasi ex mortuis pellibus credat muniri. Sunt etenim multi, qui prauitatem suam ex prauitatibus alienis tuentur, vt dum alios talia fecisse considerant, se hoc facere licēter putant. Item Plato dicit duas corporum summitates non esse velādas, nec assuetam debere fieri mollicię capitis & pedum, quia cùm hanc habuerint infirmitatem, cætera sunt robustiora. *Neque uirgam.*

Augustinus.) Quęritur quomodò Matthęus & Lucas commemorant dixisse Dominum discipulis,ne virgam ferrent, cùm Marcus dicat & præcipit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm,sed intelligēdum est sub alia significatione, dictam virgam, quæ secundum Marcum ferenda est, & sub alia illam quæ secūdum Matthæum & Lucam non est ferenda, sicut sub alia significatione intelligitur tentatio, de qua dictum est:Deus neminē tentat,sub alia de qua dicitur:Tētat vos Dominus, vt sciat, si diligatis eum. Illa seductionis est, ista probationis. Ita quoq; dictum est,vt virgam ferrent, & non ferrent virgam. Cùm enim diceret secundum Matthæum,nolite posidere aurum,& mox subdit: *Dignus est operarius cibo suo.* Ideò ergò præcepit nec virgam ferri,ostendens à fidelibus suis deberi necessaria ministris suis.Hanc quoq; potestatem, virgæ nomine alius Euāgelista signauit, cùm dicit, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm,vt intelligatur,quia per potestatē a Domino acceptam,quæ virgę nomine significatur, etiam quæ non portantur, non deerunt. Sequitur:

In quacunque ciuitate aut castello intraueritis, interrogate quis ibi dignus sit hospes?) Apostoli introeuntes vrbem,scire nō poterant,quis & qualis esset. Fama populi eligēda est,& iudicio vicinorū, ne prædicationis dignitas deturpetur susciptiētis infamia.Cùm vniuersis debeant prædicare, hospes vnus eligitur nō tribuens beneficiū ei, qui apud eum remānsurus est,sed accipiēs:ideò dicitur, quis in ea dignus sit, vt magis se nouerit gratiam accipere quàm dare.

Intrantes domum dicite:Pax huic domui, & cæt.) Pax,quæ ab ore prædicatoris offertur, aut requiescit in domo, si in illa fuerit filius pacis,aut ad eundem prædicatorē reuertitur, quia aut erit quicunq; est prædestinatus ad vitam, & sequitur cœleste verbum quod audit,aut si nullus fuerit qui audiat,tamen ipse prædicator sine fructu nō erit,quia ad eum pax reuertetur,dum ei à Domino pro labore merces operis sui recompensabitur.

Et quicunque non recipit vos,&c.) Hīc dat sententiam super non recipientes. *Excutite.* Non sunt sacramenta vilificanda. In sacramentū enim puluis præcipitur excuti in testimoniū illis.

illis. Puluis enim in pedibus signum est laboris viæ. Excutiant ergò in eos, vt ostendant se inaniter recepisse viæ laborem pro eis, & quod inaniter susceperūt,in eos retorquendū & puniēdum.Excussio enim puluris significat, q̄ nihil ab eis recipi debet terrenū,etiāsi offertur, postquàm spiritualia audire nolūt. Puluis quoq; in pedibus,venialia illa significat peccata, quę adhęrent prędicatoribus transeuntib.per mundū. Quæ tamen propter charitatē proximi condonantur. Quod significat ablutio pedum in cœna,& ablutio sanctarū mulierum,quæ pedes sanctorum solent abluere,quia & Dominus cōdonat,& amor fidelium animarum, quarum causa pedes fuerant fœdati, abluit, ita quòd in nullo puniūtur illa peccata. Si autem in cassum assumpta sunt illa peccata,non tamen puniuntur in Apostolis, sed in illis, qui eos laborare in cassum fecerint, & in hoc signū puluis excutitur in eis. Vel ideò puluis excutitur in faciem illorum, vt prædicatores planè ostendant, nihil terrenum ab illis quærendum,cùm puluerem de terra eorum non patiuntur sibi adhærere.

Amen dico vobis,&c.) Quasi dicat:In tantum dānabiles erunt, quòd deterius patientur in inferno Sodomitis & Gomorreis, eò q̄ Euāgelium audierunt,& credere Euangelio noluerunt.Sodomitæ verò sine Euangelio perierunt.

Ecce ego mitto vos &c.) Quia multa aduersa eis imminebant, ne fortè quando accideret,desperarent, ideò prænunciat mala ventura,quia tela præuisa minùs lædunt. Quasi dicat: Ipsi vos contēnent, sed vos exhibete omnē patientiā. *Quia ecce ego mitto uos, sicut oues inter lupos, &c cæt.* Pater misit filium suum ad passionem, non tamen contempsit illius amorē,sic discipuli a Domino mittuntur.Sed quia priùs nominauerat oues,propter simplicitatē & patientiam,præcepit eosdem esse serpentes,propter astutiā.Serpens habet cor iuxta caput,& ideò seruato capite, cætera percussori exponit, quia non moritur sine capite lęso. Caput nostrum est fides,quę operatur per dilectionem,quę si moriatur,cętera omnia moriuntur.Ea ergò seruata,debet prædicator omnia secularia, & corpus etiam persecutori exponere,& auferri sibi tolerare. Solet etiā serpens erigere strictas rimas, per quas trāsiens veterem pellem exuat.Similiter prædicator,trāsiens per angustam viam, veterem hominē omninò deponat. In hoc differt ouis à columba, quia ouis tantùm mitis est,& nō recalcitrat cùm interficitur:columba autem, cùm iram non habeat,quia felle caret,tamen iram videtur habere,cùm rostro percutit. Similiter & Prædicator & mitis debet esse interficienti, & correctionis amore,quasi iram debet ostendere fratri.

Cauete autem,&c.) Ostendit,qui sint lupi, homines videlicet, quasi dicat: Isti lupi sunt rationales,& ideò contra astutiam debēt esse,serpentes, id est,astuti. *Tradēt enim uos in cōciliis, &c.* Consuetudo Iudęorum erat, vt si quis contraria legi prædicaret, concilium faciebant, & vocato illo,qui legi eorum cōtrarius erat, primùm prohibebant,ne vlterius talia prædicaret. Si autem propter prohibitionem non cessabat, in synagogacum flagellis corrigebatur, sicut de Paulo legimus. Sed si nec sic acquiescere volebat, tunc præsidibus aut regib.ad damnationem tradebatur, sicut Iacobus Herodi. Et hoc est: Ideò necessarium, vt sitis serpentes,id est, astuti. *Nam tradent* vos,primùm *in conciliis* prohibendo,ne prædicetis in nomine meo, deinde incorrectos *flagellabunt*,tandem,*ad reges & præsides ducemini,in dānationem:in testimonium illis & Gentibus*,quia tormēta sanctorum erunt testimonia dignę damnationis impiorum. Redduntur enim inexcusabiles, qui interfecerunt suos prædicatores. Notādum est,quòd omnes istę malorum prænunciationes non solùm ad primammissionem,sed etiam ad secundam pertinent.

Cum autem tradent vos,&c.) Quia auditis tot erroribus possent perturbari corda infirmorum, ideo consolationem supponit, cùm dicat: *Cùm autem tradent uos, nolite cogitare quid loquamini, aut quomodo,*id est, quibus coloribus rethoricis, & quo ornatu verborum,quasi dicat:Vos ad certamen veniftis,sed ego prælior: vos verba eijcitis, sed ego sum qui loquor. *Tradent autem & c.)* Præmissa consolatione subdit grauiora pericula. Grauiorem enim dolorem ingerunt, quæ à parentibus inferuntur,& ideò cōuenienter post consolationem,vt leuiùs lędant,ponuntur. Hęc mala non solùm prędicuntur Apostolis,sed etiā omnibus Martyribus.

Qui autem perseuerauerit &c.)Non enim maxima virtus est cœpisse, sed perfecisse, vnde cauda hostiæ iubetur poni in sacrificio. Cauda finis operis est in sacrificio. Caudam ponere, est bonum opus ad finem perducere.

Cum autem persequentur vos in ciuitatem istam &c.) Quia inuitauerat eos ad patientiam, ne viderentur non debere fugere, præcepit eos ad horam cedere,ne moriantur,cùm adhuc possint prodesse. Fugit ergo Paulus de Damasco,vt multas Gentes Domino conuerteret. Bene post perseuerantiam supponit de fuga. Fuga enim perseuerantiæ non est contraria. *Amen dico uobis, &c cæt.*) Et quia forsitan illi dicerent, terra Iudæorum parua est, & ideò citò poterimus conuertere, cùm ergò fuerit conuersa ad quos ibimus? Illi antipophoræ respondet. *Amen dico uobis,non consummabitis.* Id est,ad cōsummationē non ducetis ciuitates Israel,id est,omnes Iudæos, donec veniat *filius hominis*,id est, refurgat à mortuis. Quasi dicat: Nolite putare Iudæos,in hac prima missione labore vestro nō sufficere, quia certè in eis satis restabit vobis opus vsque ad aliam missionem, quoniam trans-

mittam vos ad Gentes. Quod erit post resurrectionem, cùm eis præcipitur:

Ite, prædicate Euangeliũ omni creaturæ.) Non ideò dicit, donec filius hominis, quod tũc posset eos conuertere, sed quia tunc eos ad Gẽtes missurus. Vel aliter: Vos non conuertetis filios Israel plenariè ad fidem, donec filius hominis venerit, id est, donec appropinquat secũdus aduentus. Tunc enim conuertetur plenitudo Iudæorum, prædicatione Enoch & Heliæ, & tũc hæc oratio non solis Apostolis, sed omnibus fidelibus dirigetur.

Mysticè possumus dicere: Cùm persecuti vos fuerint in vnam ciuitatem, hoc est, in vno libro scripturarum, vel testimonio, fugite ad alias ciuitates, id est, ad alia librorũ volumina, quamuis enim contentiosus fuerit persecutor, tamen anteà veniet præsidium Saluatoris, quamuis concedatur victoria aduersarijs.

Non est discipulus super magistrum &c.) Seipsum proponit exemplum patiẽtiæ, vt quod Dominus patitur, non sit graue seruis tolerare, quasi dicat: Nolite mirari, si ita vos persequuntur, me enim Dominum tractabunt similiter. Non sit ergo turpe pati quod ego patior, quia non est discipulus supra magistrum, id est, non est maioris meriti meus discipulus, quàm ego magister. *Sufficit ergo discipulo meo*, id est, sufficere debet, *ut sit sicut magister eius*, id est, vt eum imitetur, & in quo imitetur, supponit. *Si patrem familias*, id est, me, *uocauerunt beelzebub*, id est, principem dæmoniorum, *quanto magis uos?* hoc est: Si me conuitijs aggressi sunt, qui sum DEVS, multò magis vos, qui puri homines estis. *Nihil opertum, & cæt.*) Quasi illi dicerent: Cùm pleni sint iniquitate, & nobis conuitia inferant, vos autem religiosi, dignum est, vt vicem eis reddamus, & mala eorum detegamus, & bona nostra prædicemus. Ad hoc respondet: Nolite vicẽ reddere conuitijs, quia si mala modò eorũ sunt operta, veniet dies iudicij, in quo reuelabũtur. Et nolite de bonis vestris gloriari, quia tunc manifestabuntur, & hoc est:

Nihil mali modo est opertum, quod non reueletur, & nihil boni occultum, quod non sciatur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, &c.) Nolite gloriari de bonis vestris, sed inuictam prædicationẽ omnibus propalate, & hoc est: Quod dico vobis in tenebris, id est, in figuris & obscuritatibus, dicite in lumine. Hoc est apertè, & quod in aure auditis, id est, priuatim, prædicate super tecta, id est, publicè. Mos enim erat in Palæstina regione, vbi non sunt tecta cacuminata, sed desuper plana super tecta, sermonem habere ad populum, & ideò prædicare super tecta, pro publicè verba dicere accipiamus. Vel, quod vobis dico in tenebris, id est, dum adhuc in timore carnali estis, dicite in lumine, id est, in fiducia veritatis, cùm à spiritusancto eritis illuminati. Et quod in aure auditis, id est, solo auditu percipitis, prædicate opere complendo, super tecta existentes, id est, corpora vestra, quæ sunt domicilia animarum. Et prædicantes: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam nõ possunt occidere, sed potiùs eum timete, qui potest & animã & corpus perdere in gehennam. Nomẽ gehennæ in veteribus libris nõ inuenitur, sed primùm à Saluatore ponitur, nec absque ratione. Idolum enim Baal, legitur fuisse ad radicem montis iuxta Ierusalem, vbi fuit Siloa. Hęc vallis irrigua fuit & nemorosa, plenaque delitijs, & lucus in ea idolo consecratus. In tantam ergò dementiam populus Israel deuenerat, vt deserto templo, ibi hostias immolaret, & filios suos dæmonijs incẽderet. Et appellabatur locus gehennon, id est, vallis filiorum Ennon. Et hoc legitur in Paralippomenon, & in libro Regum, & in Isaia, & minatus est Dominus implere illum locum cadaueribus mortuorum, vt nequaquam vocetur Baal, sed Polyandrium, id est, tumulus mortuorũ. Futura ergò supplicia, & pœnæ perpetuæ, quibus cruciandi sunt peccatores, huius loci vocabulo denotantur. Sequitur:

Nonne duo passeres, &c.) Quasi dicat: Nõ debetis timere, quia si minutissima animalia, quæ videntur per aera quasi vagari, Deus non obliuiscitur. Vos, qui ad imaginem Dei facti estis ab his, qui occidunt corpus, non terreamini, quia nec vos obliuiscetur.

Quærit fortasse aliquis, quomodo dicat Apostolus: Nũquid de bobus cura est Deo? Cùm vtiq; bos preciosior sit passere. Sed aliud cura, aliud scientia. Non solùm dico, quòd Deus vos non obliuiscitur, sed nec etiam numerum capillorum vestrorũ. Et hoc est: Vestri autem & capilli capitis numerati sunt omnes, non in actu computationis, sed in facultate cognitiõis. Quæ seruare volumus, bene numeramus, quasi dicat: Tam immensa est apud homines Dei gratia, vt nihil nostrum lateat ipsum. Nolite ergò timere, quia vos estis meliores, id est, maioris meriti & dignitatis cunctis volatibus cœli.

Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, &c.) Dixit superiùs: Nolite timere, quia non est timendum, & quandoquidem nihil est timendum, ergò audacter confitemini me, & supponit causam, scilicet, quia omnis qui confitebitur me corã hominibus, vt non timeat mortem pati propter me, & ego cõfitebor eum coram patre meo dicens: Venite benedicti patris mei, percipite regnũ. Et quia superiùs præmisit. Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum. Iterùm tradent vos in concilijs & cæt. ne aliquis persecutionib. territus diceret, apud memetipsum fidem meam, quam soli Deo debeo seruabo, & quàm diu cognitam scio, etsi inter homines mihi pronunciare non licet, tamen eam

eam illi in corde seruabo, quam propter rabiem persecutorum proferre non audeo. Huic infirmæ cogitationi Dominus respondet: Qui autem negauerit me coram hominibus, id est, natum, passum, mortuum, *negabo eum & ego, &c.* Negare quod Deus non sit, nec pagani possunt, tamen quod sit filius Dei, & sit & pater, negari ab infidelibus potest. Negatur verò vnusquisq; à filio apud patrem, cui manifestatur in diuinitatis potentia filius & pater. Confitebitur à filio apud patrem, qui per filium accessum habebit ad patrem. Sequitur:

Nolite arbitrari, quod venerim pacem mittere in terram, &c.) Quasi dicat: Non tantùm volo, vt timore mortis non cessetis à confessione mei nominis, sed etiã volo, vt propter me omnes affectus parentum & amicorum rumpatis, vt nec timor mortis, nec amor carnalis vos separet à me.

Non enim veni mittere pacem, sed gladium.) Totus mundus ad fidem Christi diuisus est contra se. Vnaquæque domus & infideles habuit, & credentes, & propter hoc bellum missum est bonum, vt rumperetur pax mala, quam Isaias sub typo Aegypti prophetico spiritu cecinit dicens: Ecce Dominus ascendet nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & mouebuntur simulachra Aegypti à facie eius, & concurrere faciam Aegyptios cõtra Aegyptios, his scilicet contra fidem, illis pro fide dimicantibus. Sequitur:

Veni enim separare hominem aduersus patrem suum &c.) Quasi dicat: Per diuini verbi gladium diuidere faciam omnem affectum carnalem. Possumus ad patrem diabolum intelligere, cuius aliquando filij eramus, non illo creante, sed nobis imitantibus, sicut Dominus Iudæis improperabat. Vos ex diabolo estis. sed postquàm vocem monẽtis audiuimus, Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, Venit gladius, verbum DEI, separans nos ab inuicem, & ostendit alterum patrem, cui diceremus: Pater noster qui es in cœlis. *Et filiam aduersus matrem suam.* Mater est synagoga, filia verò Ecclesia primitiua. *Et nurum aduersus socrum suam.* Socrus synagoga est, nurus est Ecclesia. De Gentibus & gentilitate, & sponsus Ecclesię, Christus filius synagogæ, dicente Apostolo, quorum patres, & ex quibus Christus secundum carnem. Socrus igitur, id est, mater sponsi, & in nurum, sicut prædiximus, suam, & in filiam diuisa est. Synagoga carnalis, siue de circumcisione, siue de præputio credentes, persequi non cessat, sed ipse in socrum & matrem diuisæ sunt, nolentes recipere circumcisionẽ carnalem, vt actus Apostolorum docent. In hoc loco Lucas ait: Erunt quinq; in vna domo diuisi, tres in duo, & duo in tres diuidentur. Quomodò ergò quinque? Ecce personarum nomina subijcit: Patris, filij, matris & filiæ, socrus & nurus. Sed mater filij, ipsa est socrus vxoris eius, ideoq; illa ipsa in filiam suam, & in nurum dicitur esse diuisa. Sequitur:

Et inimici hominis domestici eius & c.) Cum quibus erat implicita anima consuetudine. Nulla enim pacis iura apud eos custodiri possunt, inter quos est fidei bellum. *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, & cæt.*) Quod antè promiserat, non veni pacem mittere, sed gladium, id est, diuidere complexionem carnalium affectuum, ne quis pietatem parẽtum religioni anteferret, subijcit dicens: *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus, & cæt.*) Vnde legimus in Canticis: Ordinauit in me charitatẽ. Et qui nõ accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Crux à cruciatu corporis nomen accepit, quę duobus modis portatur. Cùm aut per abstinentiam corpus affligitur, aut per compassionem proximi afficitur animus. Crucem ergò ferre debemus, ita tamen, vt non mundum, sed Christum sequamur. Sunt enim nonnulli, qui per hypocrisim crucem portauerunt, sed Christum non sunt secuti. Sequitur: *Qui inuenit animam suam, perdet eam, &c.*) Quasi dicat: Verè debet seipsum homo deserere, vt possit me habere, quia qui seipsum non deserit, seipsum perdit. Vnde apertè subditur: *Et qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam, & cæt.*) Perdidit dico, vt propter me mortem subeat temporalem. Ne igitur vltra modum desolati reddantur, confortat. Et nota ordinem pulcherrimum. Mittit ad prædicationem. Pericula non timere docuit, affectus non prætulit religioni, aurum & argẽtum abstulit, æs de zona excussit. O quàm dura Euangelistarum conditio? Vnde ergò necessaria? Austeritatem mandatorũ temperat spe promissionum, cùm dicitur:

Qui vos recipit, me recipit, & qui me recipit, ille patrem meum recipit, & cæt.) Vt quantæ dignitatis sint, ostenderet, & eos taliter confortaret, & vt in recipiendis Apostolis vnusquisque credentium arbitraretur Christum suscepisse, ait:

Et qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui recipit iustum, & cæt.) In his verbis notandum est, quia non ait, mercedem de Propheta accipiet, vel de iusto, sed mercedem Prophetæ & iusti accipiet. Quid est enim, mercedem Prophetæ accipiet, nisi quia is qui Prophetam sua largitate sustentat, quamuis ipse Prophetiam non habeat, apud Deum tamen mercedem Prophetæ habebit. Iste enim fortasse iustus est, & quantò in hoc mundo nihil possidet, tantò loquendi pro iustitia fiduciam maiore habet. Hunc talem dum sustentat, qui in hoc mũdo aliquid possidet, qui etiam fortasse, quia pro iustitia adhuc liberè loqui non præsumit, iustitiæ

se participem facit illius, vt cum eo pariter iustitiæ præmia accipiat, quem suscipiendo iuuat. Si enim Propheta non reficitur, certum est & vox ipsa subtrahetur. Poterat esse occulta credentiũ responsio, ergò & Pseudoprophetas, & Iudam traditorem recipere debemus. Hoc Dominus antè præuidens, dicit non personas esse suscipiendas, sed nomina, & mercedem non perdere suscipientem, licet indignus sit, qui recipiatur. Sequitur: *Et quicunque potum dederit aquæ frigidæ uni ex minimis istis*, &c.) Quia aliquis poterat dicere & causari, paupertate prohibeor, & tenuitas me retinet, hospitalis esse nõ possum, huius vulneri medicatus est Iesus leui præcepto, dicẽs: Vt calicem aquæ frigidę bono animo porrigamus. Frigidæ, inquit, aquæ, non calidæ, ne etiam in calida paupertatis penuria, & lignorũ occasio quęreretur.

Et factum est, &c) Postquàm discipulos suos Dominus mittens ad prædicationẽ, huiusmodi verbis instituit, ipse etiam quod docuerat verbis, factis impleuit, offerens primam prædicationem Iudæis.

CAPVT XI.

IOANNES autem cum vidisset, &c.) De hoc autem Euangelio, diuersi authores diuerso modo sentiunt. Hilarius enim Pictauiensis ait, Ioannem sibi non dubitasse, sed discipulorum ignorantiæ consuluisse. Neq; enim debet credi, sanctispiritus gratiã in carcere posito debuisse, & illum cui dixerat: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, & iterum: Non sum dignus, vt soluam calceamenta eius, & iterum, illum oportet crescere, me autem minui, ignorasse. Sed videns mortem suam proximam, voluit discipulos suos Christo adiungere, antequam discederet. Et quia discipuli sui adhuc dubitabant eum esse Messiam, cui tamen perhibuerat testimonium, mittit eos ad Iesum, quasi sub specie sua, eis interrogaret, non sibi, & duos mittit, quia in ore duorum testiũ stat omne verbum. Mittit ergò discipulos, quasi discipulis diceret: Si vos dubitatis, illum Messiam fuisse, cui testimonium perhibui, ite ad eum, & quærite sub nomine meo: Tu es qui venturus es, id est, quem Prophetæ venturum prænunciant, an alium venturum expectamus? Gregorius autem refert Ioannem dubitasse, quamuis enim non dubitaret, eum in propria persona in mundum venisse, baptizatum esse, alijs prædicasse, tamen ignorabat, vtrùm esset moriturus, & ad inferos, ad suorum liberationem descensurus. Cùm ergò mortem suam Ioannes imminere videret, & se ad inferos descensurum cognosceret, voluit scire eius aduentum ad inferos, vt qui fuerat præcursor natiuitatis, esset nunciator eius ad inferos descensionis. Quærit ergò Ioannes per discipulos: Tu qui venisti in mundo nascendo, es tu venturus ad inferos moriẽdo, an alium expectamus, demorantes in inferno? *Et respondens Iesus, ait illis: Euntes renunciate Ioanni, quæ audistis & uidistis*, &c.) Sicut Ioannes sub persona sua, quasi sibi dubius quæsierat, ita Christus non discipulis, sed quasi dubitationi Ioannis respondet, & in responsione sua discipulorum dubitationem remouet, & operibus & prædicatione sua, corda discipulorum confirmat. Audierant enim discipuli verba prædicationis eius, & viderant miracula virtutis eius, dicit ergò: *ite, renunciate Ioanni quæ audistis*, quantum ad prędicationem, *& uidistis*, quantum ad miracula. Miracula verò eis enumerat.

Cæci vident, &c.) Pauperes Euangelizantur, id est, Euangelio conuertuntur. Non enim amant cœlestia, nisi qui contemnunt terrena. Quod ipse per Prophetam de se ait: Euangelizare pauperibus misit me. *Et beatus est, & cæt.*) Relatis miraculis, posteà remouet dubitationẽ, dicens: Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me, id est, qui non dubitauerit de aduentu meo. Secundum verò Gregorium, respondet Ioanni, non discipulis, & beatus est qui non fuerit scandalizatus in me, id est, in morte mea. Dubitabat enim Ioannes, vt dictum est, de morte illius. Mysticè Ioannes veterem legem significat. Sicut enim Ioannes Christum annunciauit, remissionem peccatorum prædicauit, regnũ cœlorum promisit, ita & lex antiqua hæc omnia prædixit. Sed sicut Ioannes vinculis tenetur, ne Christus annuncietur, ita lex mala interpretatione Iudęorum constringitur, ne annũciare Christum videatur, tamen lex discipulos suos mittit ad intuenda opera Christi, vt considerent in eo completum, quidquid continetur in ipsa.

Illis autem abeuntibus, &c.) Quia turbæ audierant Ioannem hoc quæsijsse, ne videretur hoc fecisse ex leuitate, cùm eum esse Christum modò perhibuisset, modò iterũ dubitaret, ideò ab eo leuitatem remouet, dicens: Quid existis in desertum videre? quasi diceret: Quid eum putatis esse, quem toties in desertum existis videre? *Existis uidere arundinem*, id est, leuẽ, qui omni vento vel prosperitatis vel aduersitatis, huc & illuc flectatur? Sed iterùm, quid existis videre? Ne iterùm commotum eum aliqua cupiditate vanæ gloriæ credant, vt videlicet Christum se velle facere, vel aliquid huiusmodi, ideò ab eo vanam gloriã remouet, quasi dicat: Non est inanis gloriæ cupidus, quia non quærit frequentiam hominum, sed desertum: non molles vestes, sed cilicium: non delicatos cibos, sed locustas. Et hoc est: *Ecce qui mollibus & cæt.*) Quasi dicat: Si gloriam quæreret, preciosa vestimenta amaret, & inter sumptuosos viros habitaret. *Sed tamen quid existis uidere? Prophetam, & cæt.*) Postquàm leuitatem & inanem gloriam, quæ de Ioanne poterat suspicari, ab eo remouit, deinceps in cõmendatione Ioannis immoratur, quia confirmata eius

eius autoritate, qui Christum prædicabat, Christi autoritas confirmatur. Dicit ergò eum non solùm Prophetam, sed etiam plus quàm Prophetam, quia digito ostendit, quod Prophetarum non est. Prophetarum enim est futura prædicere, non etiam demonstrare prædicta. Hoc autem ideò dicit, vt eum recipiant, cui testimoniũ Ioannes perhibuerat.

Hic est enim, & cæt.) Adhuc commendat eum autoritate Malachiæ Prophetæ introducẽtis patrem loquentem ad filium, quasi dicat: Verè plus est quàm Propheta, quia est præcursor aduentus filij Dei, de quo ait pater filio:

Ecce, mitto angelum meum.) Id est, nuncium meum, *ante faciem tuam*, id est, ante manifestationem tuam, *qui præparabit uiam tuam ante te*, prædicando & baptizando. *Amen dico uobis*, & quid dicerem per singula de commendatione eius? *Inter natos mulierum, non surrexit maior Ioanne Baptista.*) Inter natos, inquit, mulierum, non virginum: mulieres enim propriè vocantur corruptæ. Non ideò ergò Christus maior esse negatur, qui non natus mulieris, sed virginis esse cognoscitur. Si autem Maria mulier aliquando in Euangelio nuncupetur, sciendum est interpretem mulieré pro fœmina posuisse, sicut ibi: Mulier, ecce filius tuus. Et ibi: Quid mihi & tibi est mulier. Ex his verbis habemus, quòd nullus veterũ, maior Ioanne fuit, nec tamẽ inde probatur, Ioannem antiquis maiorem esse, quoniam tantùm minor esse negabatur: non enim Ioannem alijs prætulit, sed Ioanni cæteros adæquauit. Qui autem minor est in regno cœlorum, maior est illo, quasi dicat: Non est minor sanctis, sed tamen minor est angelis. Dum enim aliquis in mortali vita, passibilitati subiacet, minor angelis, qui immortales sunt, esse apparet. Vnde etiam Christus paulò minùs ab angelis minoratus dicitur esse. Et hoc est: *Qui autem minor est*, id est, minimus angeli qui est in regno cœlorum, *maior est illo.*) Vel aliter, regnum cœlorum præsens ecclesia vocatur. Minor in præsenti ecclesia est Christus, hoc est humilior, qui non venit ministrari, sed ministrare, & qui humiliauit se vsque ad mortem. Cùm ergò inter natos mulierum nõ eum maiorem dixisset, ne per hoc maior Christo videretur, addit:

Qui autem, & cæt) Vel aliter: Ita Christus qui minor est Ioanne, opinione Iudæorum maior est ipso, non tamen inter homines, sed in regno cœlorum, id est, in ecclesia sanctorum.

A diebus autem, &c) Adhuc immoratur in commendatione Ioannis, narrans mirabilia, quæ euenerunt in temporibus Ioannis, quę non acciderunt in temporibus aliorum Prophetarum. Et hoc est: *A diebus eius*, prædicationis Ioannis, vsque nunc, id est, vsque ad prædicationem meam, *regnum cœlorum uim patitur*, id est, videtur pati vim, & dictum est per simile. Si enim aliquod regnum extraneis daretur, & filijs regni auferretur, violentia esse videretur. Similiter Pharisæi & Scribæ, qui in conspectu hominum iusti apparebant, filij regni cœlorum videbantur, publicani verò & peccatores, quasi à regno longè erant, dicit ergò, regnum cœlorum patitur vim. Cùm enim Iudæi iusti, in lege filij huius regni viderẽtur, illi eijciuntur foras, & meretrices & publicani, qui regno tanto indigni videntur, per peccatorum confessionem, intrant locum alienum, & in terra generati, sedem cœlorum possident per virtutem, quo non poterant intrare per naturam. *Et uiolenti*, id est, qui violenter domant carnem suam, *rapiunt cœlum*, quamuis alieni. Vel de Gentibus potest intelligi esse dictum, quia cum gloria Israel, patribus debita à Prophetis nunciata, à Gentibus credentibus occupetur regnũ cœlorum, quasi vim patitur, id est, pati videtur. *Omnes enim prophetæ, & cæt.*) Dictum est superiùs, quia regnum cœlorum vim patitur, quando à peccatoribus bene operantibus rapitur, & vobis ô Iudæi auferetur, nec immeritò, quia lumen respuitis, & in vmbra versari vultis, quare penitùs inexcusabiles estis. *Quia omnes Prophetæ & lex*, id est, quinque libri Moysi, *usque ad Ioannem prophetauerunt*, id est, status veteris testamenti, vsque ad Ioannem durauit. A Ioanne enim noua incipit gratia, & præmissæ vmbræ veritas. Non intelligitur quòd Ioannes prophetarum finis sit, sed ille qui Ioannis testimonio prædictus est, intelligitur, neque quòd post Ioannem prophetas excludit, cùm legamus in actibus Apostolorum, & Agabum prophetasse, & quatuor virgines filias Philippi, sed quòd lex & Prophetæ, quos scriptos legimus, quicquid prophetauerunt de Domino venturo, vaticinati sunt. Quando ergò dicitur: Omnes Prophetæ vsque ad Ioannem prophetauerunt, Christi tempus ostenditur, vt quem illi dixerunt venturum, Ioannes venisse ostendit, in quo etiam ipse Ioannes commendatur, & vt adhuc commendabilior appareat, subiungit: Ipse est Helias qui venturus est, non quòd eadem anima, vt philosophi & hæretici suspicantur, & in Helia & in Ioanne fuerit, sed quòd eandem habuerunt spiritussancti gratiam, vel eandem spiritus mensuram. Sed & vitæ austeritas, rigorque mentis Heliæ & Ioannis, pares sunt, ille in eremo, iste in eremo. Ille zona pellicea cingebatur, & iste simile habuisse cingulum perhibetur. Ille quia regem Achab & Iezabel impietatis arguit, fugere compulsus est. Iste quia Herodis & Herodiadis illicitas arguit nuptias, capite truncatur. Sunt qui propterea Ioannem Heliam vocari putant, quia quomodò in secundo aduentu Saluatoris iuxta Malachiã præcursurus est Helias, & venturũ iudicẽ nũciatur⁹ est, sicut Ioãnes in primo aduẽtu fecerat, & ita vterq; fit nuncius: Iste aduẽtus primi, ille aduẽtus secundi, vnde meritò subditur:

Qui habet aures audiendi, audiat.) Si enim planus esset sensus, & manifesta sententia, quid necesse fuit, nos ad illius intelligẽtiam inuitari, nisi vt nos moneret, ea quæ de Helia Dominus dixit, non carnaliter, sed spiritualiter debere intelligere.

Cui autem simile existimabo generationẽ istam? Similes sunt pueris sedentibus in foro, & cæt.) Tantus est Ioannes, sed vos nec ei, nec mihi voluistis credere, & ideò, cui vos similes æstimabo? Per generationem accipit cõuniter & Iudęos, & se etiam cum Ioanne, quia aliter nõ diceret. Similis est pueris, &c. cùm non solùm Iudæi, sed ipse etiam Ioannes & Iesus pueris cõparentur. Pueri dicunt socijs in ludo: vos non estis socij nostri, quia quando cecinimus modò in ludo, vos non saltauistis, & quando plorauimus in ludo, vos noluistis nobiscum plorare. Similiter sunt duo status in sanctis, luctus pro peccatis, gaudium pro redemptione nostra, quæ vtraq; prophetauerunt antiqui Prophetæ. Alius enim dicit: Conuertimini in toto corde vestro, & cæt. Dauid verò ad gaudium nos inuitat, cùm ait: Hæc est dies quam fecit Dominus, exultate & lætate in ea. Similitér Christũs & Ioannes nos inuitauerunt, alius ad lucem, sicut Ioannes, qui ieiunauit, & ad pœnitentiam inuitauit. Alius ad gaudium, sicut Christus, qui in signum æternæ refectionis non ieiunabat cum Apostolis, sed comedebat, & ad gaudium nostræ redemptiõis inuitabat, quasi dicat: Ego, & sequaces mei Apostoli & Prophetæ cecinimus in foro, id est, in Ierusalem, vbi omnes conueniebant, id est, gaudium vestræ redẽptionis prædicauimus, & vos, qui eratis nobis coæquales, quia de eadẽ gente & promisione, noluistis saltare, id est, mente & corpore, de redemptione vestra congaudere. Ioannes & alij Prophetæ lamentauerunt, id est, ad luctum pœnitentiæ inuitauerunt, & vos noluistis cum eis plangere. Imò vocastis Ioannem dæmoniacum, qui tantum potest ieiunare, me autem voracem, qui in signum vestri gaudij, & æternæ refectionis mãduco. Sed ego, quicquid vos dicatis, qui sum sapientia patris, iustificor à filijs meis, id est, iustè agere dicor ab Apostolis. Vel sapientia iustificatur à filijs suis, id est, ab operibus suis, id est, opera quæ ipse facit & generat, ostendunt sapientiam iustam esse.

Tunc cœpit exprobrare, &c.) Qui huc vsque communiter increpauerat Iudęos, nunc nominatim quasdam ciuitates increpare incœpit, quibus specialiter prædicauerat, nec tamẽ conuerti volebant, dicens: *Væ tibi Corozaim, uæ tibi Bethsaida.*) Corozaim oppidum Galilææ est, est autem nunc desertum. Bethsaida est ciuitas Galilææ, Petri, & Andreæ, & Philippi, quę est prope stagnum Genezareth, & non longè ab istis Capharnaum, quę ciuitates idololatrię & vitijs deditæ. Præferuntur autem ideò, quòd Tyrus & Sydon naturalem legem tantùm contempserunt. Iste verò post transgressionem legis naturalis & scriptæ, etiam signa quæ apud eos facta sunt, contempserunt. Quæritur vbi scriptum est, quod in Corozaim & Bethsaida Dominus fecit signa, sed superius legimus, quia circuibat ciuitates omnes, & vicos, curans omnem infirmitatem. Inter cæteras ergò vrbes & vicos existimandum est, dominum in istis signa fecisse. *Augustinus.* Sed oritur quæstio, qua ratione Dominus illis imprecatur, cùm alibi præcipiat diligere inimicos nostros. Et Apostolus: Benefacite, & nolite maledicere. Sed facilè soluitur, non enim voto optantis dicuntur talia, sed præuidentis spiritu. Non enim, quod ait Dominus, væ tibi, aliud sonat, quãm aliquid mali euenturum, merito infidelitatis. Corozaim, mysteriũ meum interpretatur, quę nominis interpretatio summa est eius cõfusio, quantò magis enim mysteria & opera Dei nouit, tantò magis damnãda, quia non credidit. Bethsaida domus fructuum vel venatorum interpretatur. Hac quoq; interpretatione damnabilem istam possumus ostendere, dicit ita q;: Væ tibi Corozaim, quæ mysteria mea nouisti, & tamen credere noluisti. Væ tibi Bethsaida, quę mihi fructificare debuisti, & non fructificasti, *quia si in Sidone & Tyro factæ fuissent uirtutes, quæ in te factæ sunt,* id est, si in gentilibus populis, diabolicis tẽtationibus, angustiatis & venatis, id est, deceptis, tot signa fecissem, *olim egissent pœnitentiam in cinere.* Conditionem memorando, & cilicio, id est, ieiunijs carnem domando. Tyrus enim angustia, Sydon verò venatio interpretatur. Ideò Tyro & Sydoni, priùs non prædicauit, nec signa fecit, quod postmodũ tamen fecit, quia tunc apud illos erant qui saluandi non erant, nec ad vitam reparari merebãtur. Subtili ergò occultoq; iudicio, à quorundã auribus prædicatio sancta subtrahitur, quia suscitari per gratiam non merentur. Impletum ergò videmus hodie dictum Saluatoris, quia scilicet Corozaim & Bethsaida præsente domino credere noluerunt. Tyrus autem & Sydon posteà euangelizantib. discipulis crediderunt, tantaq́ue fide & deuotione fuerunt, vt Paulũ Tyro abeuntem, cuncti ciues cum vxoribus & filijs foras ciuitatem prosequerentur, pulcherrimoq́ue spectaculo, tanta hominum multitudo pauciſsimos hospites, sed sibi charissimos ad naues vsq; valedictura perduceret. Quamuis præuidebat Deus illos habiles esse ad conuersionem, tamen non fuit iniustitia, sed eos qui peccatores erant, & ideo indigni, noluit vocare, quia cui vult miseretur, & quẽ vult indurat, hunc per misericordiam, illum per iustitiã. Proposuerat Dominus, vt salus non offerretur Gentibus, donec Iudæis esset oblata, & ab eis repudiata. Tyrus verò & Sydon, erant ciuitates gentium, quæ posteà per Apostolos cõuersæ sunt. Sed quare Deus negat gratiam libenter suscepturis, & gratiæ cõsensuris,

ris, non est nostrũ scire, sed hoc solùm audemus affirmare quod iustè agit, si peccatores respuit, Sed quare hunc eligit, non consensurum gratię, illum aũt tam bene consensurum gratiæ negligit, soli Deo notum est, & quibus Deus vult reuelare. Non suscepturis igitur offertur gratia, vt inexcusabiles reddantur, & vt prædicatio priùs oblata Iudæis, & ab eis repudiata, ad Gentes opportuno tempore transferantur. *Veruntamen Tyro & Sydoni.* Quamuis illis non sit facta prædicatio, & non sint conuersi ad fidẽ, *tamen remissius erit eis in die iudicij quàm uobis.* Dignus est enim, vt illi puniantur, qui prædicationem receperunt, & tamen ei non consenserunt, quam illi qui prædicationem non audierunt. *Et tu Capharnaum, &c.* Nõ solum Bethsaidæ & Corozaim væ erit, sed & tu Capharnaum, *quia tu nunquam exaltaberis usq; in cœlum, & cæt.*) Hic duplex est intellectus, quasi dicat: quia contra me in cœlum, & contra meam prædicationem insurrexisti, per superbiam ad inferna descendes, vel aliter: Tu vsq; ad cœlum per laudem fidelium exaltaberis propter prędicatioem meam in te incœptam, & propter miracula mea in te ostẽsa, nónne vsq; ad inferna descendes, quæ neq; prædicationi meæ, neq; miraculis credere voluisti? *quia si in Sidonis, &c.*) Sodomitæ peccatores erant, & ideò indigni quibus gratia offerretur Dei, sed tamen habiles consentire, si offerretur, sed tamen dominus ex iustitia damnauit eos, nec misit prædicatores, nec fecit in eis huiusmodi virtutes, quia nondum tempus erat prædicationis, nec aduentus Christi. Quare autem noluit gratiam offerre eis qui cõsensuri erant, ipse nouit qui omnia nouit. Sciendũ est, quia Capharnaum pulcherrima villa interpretatur, quæ miraculis domini coruscauit, sed nomen suum in contrarium sibi cessit, dũ in infidelitate permansit. *In illo tempore, &c.* Quia sciebat multos de hac quæstione dubitaturos, respondit cogitationibus eorum dicens: *Confiteor tibi pater,* id est, gratias ago tibi, & in te exulto domine cœli & terrę, quasi dicat: Qui potes facere cœlos quoq; vis, id est, qui potes reuelare cuiuis occulta concilia tua, & eadem potes alijs occultare, vt iam cœlum non dicantur, sed terra. Confiteor dico, quia abscondisti hæc à sapientibus, scilicet quare his non fuit prædicandum, & quare illis fuit, & cætera huiusmodi à sapientibus & prudentibus, id est, à Pharisæis nec non etiam ab alijs, qui videntur sibi sapientes in diuinis & prudentes, id est, astuti in humanis, & ea quæ alijs sunt occulta, reuelasti paruulis, id est, humilibus. Reuelasti dico in parte, & si non ex toto, & ne aliquis iterum instet, & quęrat cur hoc sit, subiungit: Ita fit pater, quoniam sic placitum est ante te, id est, in conspectu tuo, nec tamẽ sine ratione placet tibi hoc, quidquid enim agis, aut iustè, aut misericorditer.

Augustinus. Confessio dupliciter intelligitur: confessio de peccatis, confessio de laude quæ Christo tantùm conuenit. Confessionem vocat scriptura generaliter, quicquid manifeste, sicut cernitur, enunciatur. Quod autem dixit: Abscõdisti hæc à sapientibus, & reuelasti paruulis, ideò dixit, vt probaret se tumorẽ dãnare. Quod verò subdit, ita pater, quoniã sic placitũ est tibi, blandientis affectu loquitur ad patrẽ, vt cœptum in Apostolis beneficiũ cõpleatur. Hoc enim placet illi, vt humilis redeat, qui superbiẽdo recessit ab illo, vnde sequitur: Omnia sunt mihi tradita à patre meo, quasi diceret: Paruulis qui de se nõ præsumunt, reuelantur quia per me reuelãtur. Et verè per me reuelãtur, & reuelari possunt, qa omnia tradita sunt mihi à patrẽ meo, & nemo nouit filiũ, nisi pater, &c. Quasi dicat: Nõ solùm pater dedit mihi illos, qui per me habent accessum ad illũ, sed & quod notificatũ est nomen meum, hoc est per patrem. Pater dicitur tantùm nõscere filium, quia quod filius nõscitur, hoc gratiæ patris tantùm ascribitur, & intellige filium hic incarnatum. Et econuerso, nemo nouit patrem nisi filius. Incarnatio enim verbi Dei patris, & diuinæ maiestatis notificatio fuit, vt ostendatur quædam familiaritas, & quasi quædam coniunctio inter caput & membra, id est, inter Christum & fideles, subiungit: *Et cui uoluerit filius reuelare.*) Ostẽditur enim quædam identitas notitiæ, inter patrem & filium, & familiaritas filij ad patrem: non enim dixit, cui voluerit pater reuelare, sed dixit, cui voluerit filius reuelare. Nota, quod quando dicit, nisi filius per vnam personã, intelligi totam Trinitatẽ.

Venite, &c.) Et quia per me est reuelatio, & omnia mihi sunt tradita, *ergo uenite ad me,* sicut submonuit Iohannes. Ad hoc enim tẽdebat cõmendatio ista Iohannis, & ad hoc iterũ cõmendatio sua, vt ad eũ omnes venirent. Et hoc est: Venite passibus fidei, qui *laboratis* in lege, id est, in iugo legis, quod neq; vos, neq; patres vestri portare potuistis, *& onerati estis,* pondere peccatorum, *& ego reficiam uos,* id est, non solùm exonerabo, sed etiam in æternæ vitæ refectione saturabo.

Tollite super vos, id est, in superiori vestro, in anima scilicet iugum meũ, id est, iugum præceptorum meorũ, & tollendo discite à me, id est, exemplo meo, esse mites, vt non murmuretis, & humiles, vt aduersa patienter tolleretis. Et hoc modo quietem mentis habendo, inuenietis tandem, *requiem sempiternã animabus uestris.*) Et ne abhorreatis ferre iugum meum: scitote quia suaue scilicet est iugum fidei, & onus præceptorum meorum leue est. Quid iugo ipsius suauius? quid onere leuius? probabilẽ Deo fieri, abstinere à scelere, bonum velle, malum nolle, amare omnes, odisse nullum, æterna consequi, præsentibus non capi, nolle inferre, quod sibi ipsi molestum est perpeti, hæc leuia sunt.

CAPVT XII.

IN illo tempore.) Ista quæ sequuntur post mortem Ioannis facta esse creduntur. Videntur enim omnia sequentia intra se continuari, quibus relatis posteà supponit. Audiuit Herodes tetrarcha famam Iesu, & ait: Hic est Ioannes Baptista, & ipse surrexit à mortuis. Vnde concipitur, ista omnia post mortem Ioannis esse completa. Cũ enim Iohannes discipulos suos ad Iesum misisset, creditur pòst paululum decollatus fuisse, vnde cũ dicat: In illo tẽpore, inde terminatum tẽpus poni videtur, sed ad literã redeamus.

Abijt Iesus sabbato per sata, & discipuli illius cœperunt vellere spicas, & manducare.) Legimus in sequentibus, quia multi erant qui veniebant & redibant, nec manducandi spacium discipuli habebãt, & ideò vt homines esuriebant, quod aũt spicas segetum manibus fricant, & inediam cõsolantur, vitæ austerioris indicium est, quod scilicet non præparatas epulas, sed simplices cibos quærebant.

Pharisæi autem videntes, dixerunt ei, &c. De sabbato iudicabant Apostolos, & non de auulsione frugis alienæ, quia Moyses in lege præcepit: Si introieris in vineam aut in segetem amici tui, comede quantum vult anima tua, falce aũt non metas, neque foras eijcias: & idcirco de solo sabbato calumniantur, & non de frugibus. Mysticè discipuli per sata transeunt, cũ doctores sancti, quos verbo veritatis instruere quærũt, cura piæ solicitudinis inspiciũt, & qualiter vnum quemq;, & quo ordine ad salutem attrahere debeant, sedula consideratione perpendunt, & salutẽ hominum esuriũt. Vellere spicas, est homines à terrena intentione, qua radicem cordis infixerant, eruere. Fricare verò spicas, quod alij Euangelistæ referunt, est exuere homines, quasi grana à paleis viciorum cum manibus virtutum. Manducare, est mundos corpori ecclesiæ incorporare.

At ille, &c.) Dominus defendit discipulos suos per necessitatem famis, & ostendit similiter Dauid necessitate violasse legem, comedendo eo die panes propositionis, quos soli sacerdotes debent comedere, & tamen Dauid nõ vituperatur, per quod liquidò apparet, Moysen nunquam intellexisse, cum præcepit nullũ opus seruile in sabbato fieri, quod aliquis non faceret aliquod opusculum propter necessitatem. Ille enim ꝓprie dicitur facere seruile opus, qui peccatum committit, faciunt itaq; Apostoli cõtra literam, sed non contra sententiam. In illo enim facto præfigurauit Dauid figuras illas destruendas tandem, sicut Samuel destructionem sacerdotij prefigurauit. Dauid fugiens Saulem, venit in Nobe, & ab Abimelech sacerdote susceptus, postulauit cibos, qui dum panes laicos nõ haberet, dedit consecratos, quibus non licebat vesci, nisi solis sacerdotibus & leuitis, & hoc tãtum interrogauit, si mundi essent pueri à mulieribus: & illo respondente, ab heri & nudiustertius, non dubitauit panes dare, melius arbitratus (propheta dicente) misericordiam volo, & non sacrificium, de famis periculo homines liberare, quã Deo sacrificare. Hostia enim Deo placabilis, salus hominum est, figuratè autem, quod Dauid & pueri eius panes acceperunt sanctificatos, ostendit sacerdotalem cibũ ad vsum esse transiturum populorum, siue quod omnes sacerdotalẽ vitam debemus imitari, siue quod omnes filij Ecclesiæ sacerdotes sunt. *Aut, &cæt.*) Defenderat Apostolos per necessitatem, adducit etiam exemplum, vbi Iudęi violant legem sine necessitate, quando scilicet sacerdotes violant sabbatum, hostias eo die interficiendo, excoriando, & similia. *Dico autem uobis, &c.* Quia illi possent dicere, quod ministeriũ templi eos excusat. Respondetur: Quia, si ministeriũ templi eos excusat, tunc ministeriũ Christi debet illos Apostolos excusare, quia ipse maior est tẽplo, Dũ enim sunt intenti prædicationi Christi, non possunt quærere cibos, & ideò spicas euellũt. Si aũt vellent excusare Dauid & suos per regiam potestatem, Christus similiter rex est, & suos excusare potest per regiam potestatem.

Si autem &c.) Non solum propter necessitatem parcere eis debuissetis, sed etiam propter misericordiam. Sed quia immisericordes estis, ideò parcere nescitis. Et hoc est: *Si scire tis. &cæt.*) Authoritatem Prophetæ de misericordia superius expositam adducit: *Dominus enim est, &c.*) Est & alia causa, quare possunt legem violare, quia sunt serui illius, qui est Dominus sabbati, & ideò potest legem mutare pro voluntate sua, qui fecit eam. *Et cum inde trãsisset, &c.*) Hoc videretur in eodem Sabbato factum fuisse, nisi Lucas diceret: Factum est autem in alio sabbato, vt intraret in synagogam & doceret. *Et erat ibi homo &c. Et interrogabant eum.* Matthæus refert illos interrogasse, si licèt sabbatis curare? cum Marcus & Lucas referant, Christum hoc interrogasse, si licèt sabbatis benefacere? Sed sciendum est vtranq; interrogationem factam fuisse. Cum aũ tẽ quæsissent, an liceret sabbato curare? Respõdit Christus: Nónne licèt benefacere sabbato?

Quis erit ex vobis, &c.) Sic soluit propositam quæstionem, non vt interrogantes auaritiæ condemnaret. Si vos, inquit, in sabbato ouẽ, aut aliquodlibet animal in foueam decidens eripere festinatis, non animali, sed vestræ auaritiæ consulentes, quanto magis ego hominẽ, qui multo melior est oue, debeo liberare? Itaq; licèt sabbatis benefacere.

Allegoria.) Homo qui manũ habebat aridam, humanum genus significat, infœcũditate boni operis arefactum, sed Domini miseratione curatum. Cuius dextera, quę in primo parẽte aruerat, dũ vetitæ arboris poma decerperet, per redẽptionis gratiã, dũ infontes manus in crucis arbore

arbore extenderet, bonorum operum crucis est restituta saluti. Et bene in synagoga manus erat arida, quia vbi scientiæ donũ est maius, ibi grauius est inexcusabilis noxæ periculum. Sanãda manus arida iubetur extendi, quia infructuosæ animæ debilitas nullo melius ordine quam eleemosynam largitate curatur. Vnde Ioannes Baptista turbis scisciantibus quid facerent, vt non velut arbores aridæ mitterentur in ignem, hoc solùm præcipit: Qui habet duas tunicas det non habenti, & qui habet escas, faciat similiter. Et in Ecclesiastico dicitur: Fili, non sit manus tua ad accipiendum porrecta, & ad dandum collecta. Frustra enim manus ad Deum pro peccatis rogaturus expandit, qui non has ad inopem rogãtem beneficium laturus extendit.

Et restituta est, sicut altera, sanitati, &c.) Per sinistram manũ, mala operatio intelligitur, & per dexteram, bona. Sicut ergo mala operatio in eis priùs vigebat, sic & bona in eisdem cœpit vigere.

Exeuntes autem Pharisæi consilium faciebant aduersus eum &c.) Cum neq; verbis, neq; factis possent eum deprehendere, dolo volunt eum aggredi, & mortem eius machinantur. Meritò ergo dicuntur exire, qui à præsentia diuinæ gratiæ remoti erant.

Iesus autem sciens, recessit inde, & secuti &c.) Secessit Iesus, quia parcebat vesanię eorum, ne eos peioraret, si se periculo obijceret, & nondũ venerat hora passiõis, cuius locus extra Ierusalem non erat, & accessit, vbi plures inuenit, sese per timorem sequẽtes. *Et præcepit eis, &cæt.*) Hanc mortalitatem in nobis generat, ne cum magnum aliquod fecerimus, laudẽ humanam quæramus. Spiritualiter autem recessit ab eis, cum eos deserit gratiam subtrahendo, & ad Gentes transiuit, in quibus secuti sunt multi eũ per fidem & bonam operationẽ, & curauit eos per remissionem peccatorum.

Vt adimpleretur &c.) Ostẽdit per aũctoritatem Isaiæ, quod Christus quærebat Iudęorũ salutem, non eorum destructionem, & ideò eis insultantibus non reclamauit, sed omnia æquanimiter pertulit, vsque ad diem resurrectionis. Multa autem in hac authoritate ponuntur, quæ ad rei præsentis confirmationem non pertinẽt, sed totus locus illius scripturæ gratia patris inducitur. Verba authoritatis sic exponuntur. Dictum est per Isaiam Prophetã dicentem in persona patris: *Ecce puer meus*, qui formam serui accipiens, minor me factus est, *quem elegi*, ad opus, cui non erat alius idoneus, *dilectus meus specialiter, in quo bene complacuit animæ meæ*, quia per ipsum genus humanum perditum voluit restaurare. *Ponam ergo spiritum meum super eum*, scilicet spiritum sapientiæ, & intelligentiæ, & fortitudinis, & scientiæ, & pietatis, & timoris, & consilij. Spiritus iste super eum, in specie columbæ perhibetur descendisse, non super Dei verbum, & vnigenitum, qui de sinu patris exijt, sed super eum, de quo dictum est: Ecce puer meus, & iudiciũ meum gentibus nunciabit, vnde Psalmista: Deus iudicium tuũ regi da, & iustitiam tuam filio regis. Et in Euangelio: Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio. Et hic talis non *contendet*, quia oblatus est, sicut ipse voluit, quando manibus persequentium se vltrò tradidit. *Neq; clamauit*, quia sicut ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se obmutescet, sic non aperuit os suum, neq; audiet quisquam in plateis vocem eius quia arcta & angusta est via, quę ducit ad vitam, lata & spatiosa, quæ ducit ad perditionem, & multi ingrediuntur per eam. Isti sunt, qui vocem non audiunt Saluatoris, quia nõ sunt in arcta via, sed spatiosa. Vnde his, qui foris erant, non sua voce, sed per parabolas loquebatur. Sequitur:

Harundinem quassatam non conteret.) Harundinem vocat Iudæos, quos & à vento agitatos, & quasi ab inuicem dissipatos, non statim condemnabit, sed patienter supportabit. *Et linum fumigans non extinguet*.) Id est, populum de gentibus congregatum, qui extincto naturalis legis ardore fumi amarissimi & oculis noxij, tenebrosæq; caliginis inuoluebatur erroribꝰ, quẽ non solùm non extinxit, & redegit in cinerem, sed econtrario de parua scintilla, & penè moriente, maxima excusitauit incendia, ita vt totus orbis arderet igne Domini saluatoris, quem venit mittere super terram, & qui modicam fidei scintillam contemnit in paruulis, hic linum fumigans extinguit, quod Christus non fecit. Ad hoc enim venit, vt saluum faceret quod perierat, non confringet dico, neq; extinguet, donec iudicem, scilicet huius mundi principem, qui iam iudicatus est, eijciat de mundo ad victoriam suam. Vnde alibi: Nunc princeps mundi eijcietur foras, vel donec occultum Dei iudicium manifestetur, & in nomine eius Gentes sperabũt. Vnde Isaias: Erit radix Iesse, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes sperabunt. Vel linum possunt esse Iudæi, qui in se aliquam scintillam veritatis per legem habebant, sed amarissimas sententias emittebãt. Non peiorauit Christus quantũ ad se, non extinxit illum ignem, sed voluit prædicationẽ & correctionem augmentare. Tamdiu scilicet noluit eos destruere nec dãnare, sed omnia pati, donec iudiciũ, quod factũ est, in eum eijciat ad victoriã suã, quod fuit in die ascẽsionis. Post ascensionẽ enim eius eos per Titum & Vespasianum destruxit. Vel donec suũ iudiciũ, quod priùs occultũ erat, quamdiu illis parcebat, eijciat, id est, manifestat, qđ fecit in die captiuitatis, & in tempore aliarũ vltionũ.

Tunc oblatus est ei homo dæmonium habens, &cæt.) Dæmoniacus iste, nõ solum mutus, sed etiam cæcus esse monstratur, curatus q; fuit à dæmonio, ita vt loqueretur & videret, quod tunc carnaliter factum, quotidie comple-

tur in conuersione credentium, vt expulso priùs dæmone, fidei lumen aspiciant, deinde ad laudes Dei ora priùs tacentia relaxantur.

Quo facto stupebant omnes turbæ, & dicebant: Nonne hic est filius Dauid? &cæt.) Turbæ stupebant, & confitebantur esse Deum, qui tanta signa faciebat, sed Pharisæi calumniabantur opera Dei dicentes: *Hic non eijcit dæmonia, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.* Et non hæc aliqui de turba, sed Pharisæi & Scribę calumniabantur. Turbæ enim, quæ minus eruditæ videbãtur, facta Domini semper mirantibus, alij cõtra, vel hæc negare, vel quæ negare nequiuerãt, sinistra interpretatione peruertere laborabant, quasi hæc non diuini, sed immundi spiritus opera fuissent, id est, Beel, qui Deus erat Accaron illius loci. Vnde Accaronitæ dicuntur. Nam Beel quidem ipse est Baal, Zebub autẽ musca vocatur. Beelzebub ergo Baal muscarum, id est, vir muscarum, siue habens muscas interpretatur, propter sordes scilicet immolaticij cruoris, ex cuius spurcissimo ritu, vel nomine principem dæmoniorum nominabant.

Sciens Iesus cogitationes eorum, &c.) Nõ ad dicta, sed ad cogitata respondet, vt vel sic cõpellerentur credere potentiã eius. Vel: Hæc argumentatio plus dicta est ad ædificationem fidelium, & scripta, quam ad correctionem Pharisæorum. Hæc argumentatio per discretam ratiocinationem facta, partem aduersarij ad falsum ducit. Cum enim eum dicerent in potestate Beelzebub dæmonia eijcere, hanc sententiam ad hoc inconueniens ducit, quod si per dæmones eijceret, tunc dæmones destructionẽ sui regni quærerẽt, quæ argumẽtatio sic ordinatur. Si ego eijcio dæmonia in Beelzebub, tũc sathanas sathanam eijcit, & si sathanas sathanã eijcit, tũc sathanas sathanæ contrarius est, & ita à se diuisus. Hanc consequentiam habemus, vbi ait:

Et si sathanas sathanam eijcit, & si sathanas à sathana diuisus est, quomodo stabit regnũ eius?) Et hoc ponit sub interrogatione dicens: *Quomodo stabit regnum eius?* Hanc autem vltimam consequentiam probat per vniuersales præmissas, quasi dicat: Verè si est à se diuisus, desolabitur regnum eius. Quia omne regnum diuisum contra se desolabitur, & verè omne regnum, quia omnis ciuitas: & verè omnis ciuitas, quia omnis domus, iterùm à minori. Cum ergo secundum hoc, quod sathanas sathanam eijceret, desolatio regni eius sequeretur, tunc sathanas desolationem sui regni quæreret, si alius alij repugnaret. Eligant ergo Pharisæi quod voluerint. Si sathanas sathanam non potest eijcere, nihil contra Dominum, quod dicerent, inuenire potuerunt: si autem potest, multo magis sibi prospiciant, & recedant de regno eius, quod aduersum se diuisum, stare non potest.

Et si ego in Beelzebub eijcio dæmones, filij vestri in quo eijciunt?) Iterùm alia argumentatio. Apud Iudæos erant exorcistę, qui per exorcismos à Salomone inuentos, sæpe dæmonia ab obsessis corporibus eijciebant. Verè ego eijcio potentia diuina ab hominibus dęmones, quia filij vestri eijciunt in virtute Dei.

Si ergo expulsio dæmonum in filijs vestris, Deo, non dæmonibus deputatur, quare in me idem opus non eandem habeat causam? cum & mea opera non videantur, nisi bona, & cum ad inuocationem Dei, sicut & illi, dæmones eijciam? Et hoc est:

Et si ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij uestri, id est, exorcistæ vestri, *in quo eijciunt?* Vel etiam filij possunt vocari Apostoli, de quibus certum erat, quod nullius consilij erant maleficij, cum idiotæ & illiterari essent, & tamẽ miraculis eos quotidie coruscare videbant, & dęmonia eijcere. Si ergo discipuli eius per spiritum sanctum dęmonia eijciunt, multo magis hoc de magistro eorum credendum est.

Ideo ipsi &c.) Hoc de exorcistis, vel discipulis potest legi. Quia exorcistæ per inuocationem Dei dæmonia eijciebant, erunt causa damnationis Iudæorum, cum Iudæi videant puros homines, & minoris meriti, posse diuina virtute dæmones eijcere, & tamẽ hoc de filio Dei præsumunt dubitare. Erunt ergo iudices non potestate, sed causa. De Apostolis quoque dicitur ita: Quia Apostoli, qui sub discipulatu meo miracula facientes, *meæ virtutis sunt testes*, & vestram nequitiam damnantes, *ideò iudices vestri erunt*, quia cum super duodecim tribus sedentes iudicabunt, vos etiam cũ impijs damnabunt.

Si autem &c.) Ecce altera pars complexionis, quasi dicat: Aut ego eijcio dæmonia per spiritum sanctũ, aut per sathanam, sed si per sathanam, quæ sunt prædicta, sequuntur. *Si autem in spiritu.* Hæc est vtilitas vestra, quia per hoc *peruenit* in vos, hoc est, intra vos, *regnum Dei,* Diminutio autem regni diaboli, est augmẽtatio regni Dei.

Aut quomodo &c.) Alia probatio. Verè ego eijcio dæmonia in Beelzebub, quia contrarius sum ei. Et verè contrarius sum ei, quia intraui in domum illius, hoc est, in mundum, & diripui vasa illius, hoc est, homines, in quibus habitabat, per fidem subtraxi, & vt possem ei illos diripere, eum priùs alligaui, id est, potestatem hominibus nocendi eripui ei, quia *quomodo potest aliquis intrare in domum fortis, & uasa eius diripere, nisi priùs alligauerit fortem, &c. Qui non est mecum, contra me est, &c.*) Ego sum contrarius ei, quia ipse est contrarius mihi. Et hoc est: *Qui non est mecum, contra me est,* & verè est contrarius mihi, *quia ego congrego, & ipse spargit.* Ille enim ad multa bona sæcularia, ego ad summum bonum singulare. Ille ad discordiam, ego ad dilectionem.

Ideo dico vobis: Omne peccatum & blasphemia,

phemia, remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittetur, &c.) Ostẽso per rationes, quod in Beelzebub nõ eijcit dæmonia, vult dare sententiam super Iudæos, qui peccãt in spiritum sanctum. Hanc scilicet, quod hoc peccatum est eis irremissibile. Sed videamus, quid est peccare in spiritum sanctũ. Angelus in fortitudine scientiæ & substantiæ conditus est, ita quod & profundam cognitionem habuit, & facultatẽ exequendi ex fortitudine substantiæ. Cum ergo in tanto bono abundaret, videns diuinam essentiam præstantiorem multo se, contra conscientiam suam, non ex aliqua infirmitate cœpit Deo inuidere, & voluit se ei parificare. Non ergo ex infirmitate ignorantiæ neq; substantiæ contra Deum peccauit, sed ex sua prauitate, cognoscens tamen eum esse Deũ, & conditorem suum, & tamen contra conscientiam suam, inuidit ei. Deus ergo iustus iudex, subtracta gratia sua noluit eũ visitare, sed permisit eum excæcari omnino, & in obstinatione eadem cadere. Homo verò conditus est in minori intelligentia, & infirmiori substantia, quia non habuit tantam capacitatem intelligentiæ, nec tantam facultatem exequendi. Potuit ergo falli alio suadente, & cum peccauit Adam, putauit facile Deum posse reconciliare sibi, & ideò noluit vxorem suam scandalizare. Quoniam ergo ex infirmitate cognitionis & substantiæ peccauit alio suadente, remissibilis fuit ei culpa, quia visitante gratia Dei humiliauit se homo & pœnituit. Similiter alij, cum peccant in adulterio, gula, & similibus ex infirmitate carnis, & humiliant se, recognoscentes infirmitatem suam, & si nondum reuertentes, Deus per misericordiam visitat eos, & ad pœnitentiam inuitat & sanat. Iterùm infirmitates sunt peccata, peccare in patrem, in filium, & ex ignorantia vel infirmitate credere, vel Deum nõ habere filium, vel filiũ minorem patre. Et quia sunt ex infirmitate vel ignorãtia, sunt remissibilia. Nõ dico, quod semper remittantur, quia si nõ pœniteant homines, moriuntur, & ita damnantur. Sed possibile est eos ad pœnitentiam venire, & ita peccata remitti. Quidam verò recognoscunt veritatem, & tamen ex inuidia & prauitate animi, cõtra conscientiam suã bonitati Dei resistunt, & ideò bonũ odio habent, & detrahunt, vt Iudæi, qui intelligentes Prophetas, & signa completionis videntes, & nihil mali in operibus Christi notare volentes, tamen ex inuidia Christo detrahebãt, & contra conscientiam suam bonitati Dei resistebant, potiùs se nunquam saluari, quam Christũ recipere, & legem suam dimittere volentes. Isti tales in diabolicum peccatũ cadunt, & Deus deserit eos sicut Iudam, ita quod non possunt pœnitere, nec humiliare se, sed per obstinationem detenti sunt, & illud peccatum est irremissibile, & hoc vocatur peccare in spiritum sanctum. Spiritus sanctus enim est bonitas Dei, & qui ita resistit bonitati Dei, contra spiritum sanctum peccat. Solet autem & aliter exponi. Dicitur enim peccare in spiritum sanctum esse impœnitentẽ. Remissio enim peccatorũ, propriè Spiritui sancto attribuitur. Legitur ergo ita:

Qui peccat in patrem, supplendum est, & nõ peccat in spiritum (Hoc enim non est inpœnitens) remittẽtur ei. Similiter qui peccat in filiũ, & non peccat in spiritum sanctum, id est, non est impœnitẽs, iterùm remittetur ei: qui autem peccat in spiritum sanctum, id est, qui nõ pœnitens perseuerat, nunquam remittetur ei. Neq; enim venia, nisi pœnitenti promittitur. In hac authoritate, hæresis Origenis extinguitur, qui asserit post iudicium vniuersale, post multa sæcula, omnes peccatores veniam consequuturos, quæ refellitur, cum dicitur: Qui aũt dixerit in spiritum sanctũ, non remittetur ei, neq; in præsenti, neq; in futuro. Confirmatur etiam ex hac authoritate, purgatorius ignis esse. Dicit enim Gregorius, datur ex hoc intelligi, quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam verò in futuro relaxari. Quod enim de vno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur: sed tamen hoc de paruis minimisq; peccatis fieri posse credendũ est, sicut est assiduus ociosus sermo, immoderatus risus, vel peccatũ curę rei familiaris, quæ vix sine culpa, vel ab ipsis agitur, qui culpã, qualiter declinari debeant, sciunt. Aut etiam in grauibus culpis errore ignorantiæ, quæ cuncta etiam post mortem grauant, si ad huc in hac vita positis, minimè fuerint relaxata. Hoc tamẽ sciẽdũ est, quod illic saltẽ de minimis, nil quisquã purgatiõis obtinebit, nisi hic bonis actib⁹ in hac adhuc vita posit⁹, vt illic obtineat, promeretur.

Aut facite arborem bonam, &c.) Alia probatio. quasi dicat: Si me ex merito blasphematis, ostendite mea opera esse mala. Et hoc est: *Aut facite arborem bonam,* id est, recognoscite me esse bonum, quia fructum meum bonum esse videtis.

Aut facite arborem malam.) Id est, ostendite me esse malum, per malum fructum. Ideo dico ad fructũ esse respiciendũ, quia ex fructu arbor cognoscitur, id est, ex operibus vita hominis iudicatur. *Progenies uiperarum, quomodo potestis esse boni, cũ sitis mali, &c.*) Quasi dicat: Verè ex fructu arbor cognoscitur, quia ex verbis vestris nequitia vestra patet. Progeniem viperarũ, id est, filios & imitatores diaboli appellat eos, qui cũ sint malæ arbores, fructuq; inuidiæ redundantes, scienter peccant, sciẽter bonis operibus detrahunt, quod diabolicum est. Vnde sequitur:

Ex abundantia enim cordis os loquitur. Augustinus. Ille homo ex abundantia cordis loquitur, qui ignorat, ex qua intentione verba promãtur. Quod apertiùs ostẽdere volens, subiungit: Bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus mala. Thesaur⁹ cordis intẽtio est cogni-

cognitionis, ex qua internus arbiter iudicat prouentum operis. Vnde fit plerunq;, vt minora bona nonnulli operentur maiora cœleſtis gratiæ mercede, propter intentionem cordis, ſcilicet quod maiora voluerant patrare ſi poſſent, & alij maiora virtutum opera oſtendentes, ob incuriã cordis tepidi, minora à Domino præmia ſortiãtur, & ſuperiori ſententiæ videtur competenter hæc adhærere. Quomodo enim bonus homo non poſsit proferre mala, nec malus bona, ſic nõ poſsit Chriſtus mala, nec diabolus bona opera facere. Sequitur:

Dico autem vobis, quoniam omne verbum ocioſum, &c.) Hoc quoq; bene adhæret ſuperiori ſententiæ, quaſi dicat: Si ocioſum verbum, quod nunquam ædificat audientes, non eſt abſque periculo eius, qui loquitur, & in die iudicij inde rationem redditurus eſt, quãto magis vos, qui opera Spiritus ſancti calumniamini, reddituri eſtis rationẽ calumniæ veſtræ? Ocioſum quidem verbum eſt, quod ſine vtilitate loquentis vel audientis profertur, ad quod probandum ſubiungit:

Ex verbis enim tuis iuſtificaberis: & ex verbis tuis condemnaberis.) Et ex præcedentibus adhuc pendet ſententia, vbi ait: Ex abundantia cordis os loquitur, Non eſt enim dubiũ, quin damnetur homo ex verbis quę protulerit, ſi mala ſunt, cum etiam nullo modo poterit iuſtificari ex bonis verbis, niſi ea ex intima cordis bona intentione protulerit, ſicut nec Caiphas prophetando iuſtificatus eſt.

Tunc reſponderunt ei quidam de Scribis & Phariſæis &c.) Poſtquàm eius verba nullatenus valent improbare, quærunt adhuc illum in operibus tentare, & quaſi non fuerint ſigna, quæ viderant, ſigna poſtulant. Reſpondent ergo Phariſæi illi & Scribæ, quorum nequiſsima erat aſtutia, & dicunt: *Magiſter, uolumus à te ſignum uidere.* Sed in alio Euangeliſta quid petant, plenius explicatur. Determinat enim, quia quærebant ſignum de cœlo. Vel in morem Heliæ, ſignum de ſublimi venire cupiebant. Vel in ſimilitudinem Samuelis, tempore æſtiuo contra naturam loci mugire tonitrua, choruſcare fulgura, & quaſi non poſſent imbres ruere, illa calumniari & dicere ex occultis cœlis prodijſſe, & varijs aëris paſsionibus accidiſſe. Nam qui calumniantur illa quę oculis vident, manu tenent, vtilitate ſentiunt, quid acturi ſunt de his, quæ de cœlo veniunt? Vtique reſpondebunt & magos, in Aegypto multa ſigna feciſſe de cœlo.

Reſpondens ergo Dominus, ait illis: Generatio mala & adultera ſignum quærit & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ &c.) Bene dixit adultera, quia dimiſerat virum, & iuxta Ezechielem multis amatoribus ſe copulauerat.

Sed notandum, quod duplici q uæſtione fuerat pulſatus. Quidam enim calumniabantur eũ in Beelzebub eieciſſe dæmonia, quibus ante reſponſum eſt. Et alij tentantes, ſignum de cœlo quærebant, quibus ammodo reſpondet, dicens ſe non de cœlo ſignum dare, quod indigni erãt videre, ſed de profundo inferni, quale eſt: Ionas Propheta à ceto voratus, hoc eſt, Chriſtus de abyſſo, & mortis fauce liberatus: Hoc tale ſignũ accipient, & per hoc dedit illis ſignum incarnationis, non dignitatis, paſsionis, non glorificationis. Diſcipulis autem ſuis, qui digni erant, ſignũ de cœlo dedit, quibus æternæ beatitudinis gloriam priùs figuraliter in monte transformatus, & poſteà veraciter in cœlum ſubleuatus oſtendit. Sequitur:

Sicut enim Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, &c.) Ipſum triduum nõ totum fuiſſe plenum, ſcriptura teſtis eſt. Sed primus dies à parte extrema totus annumeratus eſt. Dies verò tertius à parte prima, & ipſe totus. Medius autem inter eos, id eſt, ſecundus dies, abſolutè totus ex viginti quatuor horis, ſcilices duodecim diurnis, & duodecim nocturnis compoſitus. Sextæ quidem feriæ diei partem, qua ſepultus eſt eum parte noctis, pro nocte & die accipiens, hoc eſt, pro toto die. Sabbatum cum nocte & die, noctem dominicam cum eadem die illucęſcente pro toto ſimiliter die accipies. Itaq; habes triduum & tres noctes, & hoc triduum in ſcripturis repertum eſt ſignare mortem Domini ſimplam, & reſurrectionem ſimplam. Mors enim Domini Ieſu non fuit in anima, ſed in carne ſola. Mors verò noſtra non ſolum in carne, ſed etiam in anima eſt. In anima propter peccatum, in carne propter pœnam peccati: Ille verò qui peccatum non habuit in anima, non eſt mortuus, niſi tantùm in carne, & hoc propter ſimilitudinem carnis peccati, quam de Adam traxit. Mors autem eius fuit in carne, & reſurrectio. Non enim reſurrexit anima, ſed tãtùm carne. Sicut nec mortuus eſt anima, ſed carne tantùm. Tamen ſimpla eius mors & reſurrectio, noſtræ duplici morti & reſurrectioni profuit. Per mortem enim eius, mors infernalis, & mors peccatorum nobis ſublata eſt. Et ſimiliter per reſurrectionem eius ſimplicem, quę tantùm in carne, non in anima fuit, nobis vtraq; reſurrectio, hoc eſt, animæ in baptiſmate, & corporis in reſurrectione communi dabitur. Cum ergo in computatione prædicta ſit vnus dies, id eſt, ſabbatum, & duæ noctes, nox videlicet ſabbati & dominicæ diei, accipitur per diem, mors ſimpla Chriſti, per noctes verò, mors vtraq; hominum intelligitur. Sicut ergo dies duabus noctibus opponitur, ſic Chriſtus ſimplam ſuam duplæ noſtræ oppoſuit, & duplam noſtram moriens ſubegit. Si autem horas computemus ab hora mortis vſque ad horam, qua reſurrexio eius declarata eſt, quadraginta horæ inueniuntur. In primo enim die, ab hora nona quatuor horæ inueniuntur.

In ſequenti verò duodecim nocturnæ, & duodecim diurnæ. Poſt ſabbatum verò duodecim nocturnæ cõputantur, quæ omnes in ſimul collectæ, quadraginta reperiuntur. Conuenienter ergo dominus pro quadraginta horis triſtitiæ, quadraginta dies lætitiæ reſtaurauit: vel in tribus diebus & noctibus maius ſpacium poteſt intelligi. Poteſt enim ſic legi illud quod dicitur: Sic erit filius hominis in corde terræ, hoc eſt in corde terrenorum, id eſt, in poteſtate eorum, vt ſuper eum cor ſuum expleant tribus diebus & tribus noctibus. A nocte enim qua traditus eſt vſq; ad diluculũ reſurrectionis, fuit in poteſtate eorum. Sic ergo inueniuntur duo primi dies integri, in tertio verò nox tantùm, ſicut priùs inuenitur. Et notandum bene eſt, quia nox vſq; ad diluculum, quo dominus reſurrexit, ad tertiam diem pertinet, quia dominus qui iuſsit de tenebris lumẽ ſplendeſcere vt per gratiam noui Teſtamẽti & participatione reſurrectionis Chriſti audiremus. Fuiſtis enim aliquãdo tenebræ, nũc autem lux in domino, inſinuat nobis quodammodo quod à nocte ſumat etiã dies initium. Sicut enim primus dies propter futurum hominis lapſum à luce in noctem, ita iſti propter hominis reparationẽ à tenebris ad lucẽ cõputantur. Reuertamur ad literã. Sicut Ionas ille hiſtorialis fuit in ventre cete tribus diebus & tribus noctibus, ita filius hominis, ſcilicet Chriſtus verus Ionas, id eſt, dolens, & dolores noſtros ferens per tres dies & tres noctes, ſicut expoſitũ eſt, fuit in corde terræ, in ſepulchro ſcilicet, vel in corde terræ, id eſt, in corde terrenorũ iam deſperantiũ & dicentiũ, nos ſperabamus quòd eſſet redempturus Iſraël. Sic enim erat Chriſtus quorundã corde humano, quaſi quilibet iacens in ſepulchro, vel in corde terrenorũ, hoc eſt, in poteſtate eorũ. Poteſt etiam Chriſtus Ionæ per omnia adaptari. Nautæ enim ſunt Iudæi, piſcis mors. Nautæ tradunt Ionam piſci, & Iudæi Chriſtum morti. Piſcis tertia die Ionã in portu euomuit, & mors in tertia die Chriſtum firmitati vitæ reſtituit. Ionas Niniuitis prędicauit, & Chriſtus per Apoſtolos Gentibus poſt reſurrectionẽ, veritatem annunciauit. *Viri Niniuitæ &c.*) Quia generatio iſta opera & ſigna Chriſti vidit, & tamen credere noluit, ideò Niniuitæ, qui Gentiles ſunt, ſurgent in iudicio cum generatione iſta, nõ vt eos iudicent poteſtate, ſed comparatione. Niniuitæ enim ſine ſignis ad pœnitentiam conuerſi ſunt, Iudæi verò nec per ſigna voluerunt conuerti, quam comparationem ponit cum ſubdit: Quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. *Et ecce &c.*) Hoc eſt inter Iudæos eſt quidã plus quàm Ionas, id eſt, Chriſtus Deus & homo, cuius prædicationi volunt credere.

Regina auſtri legitur, &c.) Legitur in Paralipomenõn, & libro Regũ quod regina Sabba per multas difficultates, relicto ſuo imperio, venit in Iudæã audire ſapientiam Salomonis, & ei multa munera deferens, ab eo plura recepit.

Continuatio.) Nõ ſolùm Niniuitæ condẽnabũt eam comparatione, ſed etiam regina auſtri, quia ab vltimis terræ finibus venit audire ſapientiam Salomonis ſine lege, ſine prophetis. Iudaica verò plebs habet legem, habet Prophetas, videt Chriſtum, videt opera, & tamen ſapiẽtiam eius non vult audire. Condemnabit igitur eam ſimiliter comparatione, quia ecce hic, hoc eſt, inter Iudæos eſt plus quàm Salomon, id eſt, Chriſtus. Myſticè verò per Niniuitas & reginã, totus gentilis populus ad fidẽ conuerſus ſignificatur. Niniuitæ enim ſignificant eos qui peccare deſiſtunt. Regina verò eos qui peccare neſciunt. Pœnitentia enim peccatum abolet, ſapientia cauet. Nec ideò dicitur, quod regina non peccauiſſet, quia de peccatis eius ſcriptura nihil dicit, imo eam ſapientię ſtuduiſſe aſſerit. *Cum immundus ſpiritus, &c.*) Gentiles cõparauerat Niniuitis & reginæ auſtri modò ſupponit cui Iudæi debeãt comparari. Homini videlicet, à quo immundus ſpiritus exijt, & ad quẽ poſteà reuertẽs, cum etiam vacantẽ inueniat, cum alijs nequioribus ſpiritibus eũ ſubintrans, deteriùs eum quã priùs vexat. Homo ille, cui cõparatur Iudaicus populus, eſt quilibet ad fidem conuerſus, à quo eiectus eſt diabolus per baptiſmũ. Qui eiectus inde, ad alios fideles vadit, & non inueniens ibi locũ, redit ad eum vnde exierat, & videt vacãtẽ, id eſt, negligentẽ, per quod habet ſpem iterum poſsidẽdi, ſed tamen mundatũ à vitijs, ſcopis, id eſt, doctrinis & ſacramentis, & ornatũ falſis virtutibus. Videt tamẽ ibi ſpiritũ ſeptiformẽ inhabitantẽ, non tamen quòd ſint in illo homine ſeptem dona in actu, ſed habilitate. Ideò timens quærit ſpiritus ſeptẽ nequiores, id eſt, ſeptem vitia contraria illis virtutibus ſeptẽ, quas dat ſpiritus, & per eam inhabitat intus. Nequiores dicuntur, quia grauiora ſunt peccata poſt baptiſmũ quàm ante. Homini huiuſmodi eſt Iudaicus populus per ſingula adaptãdus. Ait enim in fine parabolę: Sic erit & generationi huic peſſimæ. Ante legem regnabat diabolus in populo Iudaico, dũ legis naturalis tranſgreſſores erant, ad cuius tranſgreſsionis reformationẽ, hæc lex ſcripta à Moyſe data eſt. Tum ergo & timore legis præceptis legalibuſq; obſeruatis, & in ſacramentorum antiquorũ, ſcilicet circunciſionis & hoſtiarũ & in cultu vnius Dei, Iudæis magnitudine beneficiorũ cõfirmatis. Immundus ſpiritus ab illo populo receſsit, non habens in eo tãtam nocendi poteſtatẽ, quantam & ante legẽ, tamen ſciendũ eſt, quia non ab omnibus receſsit, ſed hic de Iudaico populo indiſcretè agitur, quidam enim inter eos ſummè boni ſemper inuenti ſunt. Exiẽs itaq; diabolus, ad gentes trãſiuit, apud quas vſq; ad prædicationẽ Apoſtolorũ demoratus eſt. Qui cũ priùs eſſent humidi, & in carnalibus voluptatibus fluitantes, facti ſunt

aridi, id est, firmi, & solidi igne spiritus sancti. Tunc ergo ambulans per loca arida, id est, fortia corda gentilium circuiens, & non inueniens sibi requiem, ad antiquũ populũ Iudaicũ reuertitur, & post aduentũ Christi omnino excæcauit (dato enim Euangelio, nullus per statũ veteris legis potest ampliùs saluari) inueniensq; illã domũ vacantem, id est, populum negligentẽ, & non in scripturis bene sibi prouidentẽ, cum aduentũ Christi noluit intelligere, & scopis mundatam, id est, carnalibus obseruantijs, quasi à vitijs purgatũ, & ornatũ falsis virtutibus sicut Pharisæus ille, qui in tẽplo gloriabatur, assumit septem spiritus nequiores se, & habitat ibi. Per septem spiritus omnia vitia intelliguntur. Septenarius enim vniuersitatem significat, qui meritò nequiores dicuntur, quia post aduentũ Christi, Iudæi in grauiora peccata præcipitati sunt, scilicet in blasphemiam Christi & oppugnationem veritatis, & contemptum fidei, & ita nouissima sunt peiora prioribus. Litera verò sic continuatur. Niniuitæ pœnitentiam egerunt, & regina austri sapientiam Salomonis audiuit, Iudaicus autem populus similis est homini, à quo exiuit immundus spiritus & cum exierat, &c.

Adhuc eo loquente, &c.) Hæc prædicatio in domo erat, sicut sequentia declarabunt. Mater verò & fratres eius, extra domũ eũ expectabant, quærentes ei loqui. Beda, Fratres domini, non filij beatæ, semperq; virginis Mariæ, iuxta Heluidium. Nec filij Ioseph ex alia vxore, iuxta quosdã putandi sunt, sed eius potiùs intelligendi sunt cognati esse. Sane quod dominus ad matrẽ, fratresq; rogatus ab officio verbi dissimulat egredi, non maternæ refutat obsequia pietatis, cuius priùs præceptũ est: Honora patrẽ & matrẽ tuam, sed paternis se ministerijs amplius quam maternis debere monstrat affectibus, idem nobis exemplo & verbo cõmendans cum ait: Qui amat patrem aut matrẽ plus quam me, nõ est me dignus. Non iniurioſe fratres contemnit, sed opus spirituale carnis cognationi præferẽs, religiosiorẽ cordiũ copulam docet esse, quam corporum. Mysticè aũt mater & fratres Iesu est synagoga, ex cuius carne est æditus & populus Iudæorũ, qui Saluatore intus docente, venientes intrare nequeunt, cuius spiritualiter dicta intelligere negligunt. Præoccupans enim turba eius ingreditur domũ eius, auscultat sermonem, vt Euangelista Matthæus declarat, quia differente Iudæa, gentilitas cõfluxit ad Christũ atq; interna vitæ mysteria, quanto fide vicinior, tanto mẽte capacior hausit iuxta quod Propheta ait: Accedite ad eũ, & illuminamini. *Et dixit ei quidam: Ecce mater & fratres, &c.*) Intus est verbũ, intus est lumen, vnde alibi: Vt intrãtes, inquit, lumen videant. Si ergo foris stantes, nec ipsi agnoscũtur parentes, & propter nostrum fortasse exemplũ nõ cognoscũtur, quemadmodũ nos agnosceremur, si foris staremus. Foris enim stantes, volũt dominum videre cognati ipsius, cum Iudæi spiritualem in lege sensum non quærentes, sese ad custodiam literæ foris fixerunt, & quasi Christũ potiùs ad carnalia docenda cogunt exire, quam se ad discenda spiritualia consentiant ingredi.

Extendens manum in discipulos ait: Ecce mater & fratres, &c.) Cũ is qui voluntatẽ Dei fecerit, soror & frater domini dicitur, propter vtrumq; sexum, qui ad fidem colligitur, mirum non est. Mirãdum enim valde est, quomodo & mater dicatur. Fideles etenim discipulos fratres vocare dignatus est, dicens: Ite, nunciate fratribus meis. Qui ergo frater domini veniendo ad fidem fieri potuerit, quærendũ est quomodo & mater potest esse? Sed sciendum nobis est, quia qui est frater & soror Iesu credendo, mater efficitur prædicãdo, quasi enim parit dominũ, qui eũ cordi audiẽtis infuderit, & mater eius efficitur, si per eius vocẽ amor Dei in mẽte proximi generatur.

CAPVT XIII.

IN illo die, exiens Iesus de domo, sedebat secus mare, & congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita, &c.) Non solum aũt facta & verba domini, verumetiã itinera & loca, in quibus virtutes operatur & prædicat, cœlestibus plena sunt sacramẽtis. Post sermonẽ quippe in domo habitũ, vbi nefanda blasphemia dæmonũ habere dict⁹ est egrediens, docebat ad mare, vt ostẽderet se relicta ob culpam perfidiæ Iudæa, ad gẽtes saluandas esse transiturũ. Gentiliũ enim corda diu superba & incredula, meritò tumidis amaris q; fluctibus maris assimulantur, domũ verò domini per fidẽ fuisse Iudæam quis nesciat? Sed relicta domo in qua perpessus est blasphemias impiorũ, cœpit docere ad mare, quia derelicta ob incredulitatẽ synagoga, ad colligẽdam per Apostolos populi gentilis multitudinẽ venit, vnde apte præmittitur, quod eo in domo prædicante, mater & fratres eius foris steterũt, quasi ab eo agniti nõ sunt, ac sic de domo exiẽs ad mare ducturus trãsierit. Quia post quã synagoga ad custodiã literæ se foras fixit, internis q; dominicę fidei arcanis figuras legis anteponere maluit, Dominus sacramenta salutis, quæ illa spreuerat, externis per orbẽ nationibus cõtulit.

Et congregatæ sunt, &c.) Turba multa ad dominũ docentẽ congregata, significat frequẽtiam populorũ, prædicãtibus Apostolis, ad Christũ confluentiũ. Quod ascendens nauim, sedebat in mari, significat quod Christus per fidẽ ascensurus erat in mẽtes Gentiliũ, & ecclesiã collecturus in mari, id est, in medio nationũ cõtradicentiũ, in qua ecclesia dicitur sedere, hoc est regnare & dominari. Turba verò quæ stabat in littore, quæ neq; in mari, neq; in naui erat, gerit figurã recipientiũ verbũ Dei, & iam fide à mari, id est, à reprobis separatorũ, sed nec dũ per gratiam baptismatis in ecclesia intromissorum.

Et

Et locutus est eis multa, &c.) Legitur in Euangelijs, Christum locutum fuisse in parabolis, aliquando ad vltionem, quia qui audiebant mysteria Dei, indigni cognoscere erãt. Sicut de his legitur, quibus modo prædicatur, ait enim in sequenti: Vobis datum est nosse mysteriũ regni Dei, alijs aũt in parabolis. Aliquãdo ad euidentiam in parabolis loquebatur, vt per res cognitas ad ignotas mentes rudiũ ꝓmoueret, dũ per similitudinem inuisibilia ostenderet. Quãuis Dominꝰ in sequẽtibus hanc parabolã exponat, tamen singula euidentius explicanda sunt. Seminator ergo est Christus, qui exiens de sinu patris, venit in mundum, ad seminandum verbũ Dei, vel exijt ad seminandũ, cum relicta Iudæa per Apostolos ad gentes transiuit.

Et aliud cecidit secus viam, &c.) Cum verbũ Dei ab illis hominibus receptũ est qui nondũ in via bonæ operationis erãt, sed per voluntatẽ, iam quasi secus viam stabãt, sed & venerunt volucres, hoc est, dæmones, qui secundũ Lucam volucres cœli vocantur, vel quia spirituales naturæ sunt, vel quia in aẽre morantur. *Et comederunt illud*, id est, à mentibus hominum illud subripuerunt, & secundum Lucam ab hominibus illud conculcatum est, quia praua persuasione impiorum sublatum est.

Aliud cecidit in petrosa, &c.) Petra significat duritiam proteruæ mentis: terra, lenitatem obedientis animæ: sol feruorem persecutionis. Cecidit ergo verbum Dei super petrosa, quando in duris mentibus receptum est, ad horam in quibus est parum terræ, quoniam ad horã emolliuntur, ad desiderium cœlestis vitæ. Sed isti veniente persecutione, in tempore tentationis recedunt. Qui radicem nõ habẽt, quia nullis disciplinæ studijs sunt eruditi, nullis tentationum probationibꝰ emolliti, nec in charitate radicati.

Aliud autem cecidit inter spinas, &c.) Spinæ sunt diuitię, quę multis sollicitudinibus mẽtes hominũ pungũt, quæ nimia cupiditate à bono opere retrahunt. *Aliud uerò cecidit in terram bonam.*) Terra bona fidelis electorum conscientia est, quæ commendatũ semen verbi libenter excipit, & ad fructum perducit, & aliud reddit cẽtesimũ, &c. Tres ordines ecclesię hic designantur, scilicet coniugati & cõtinentes, in actiua vita & contemplatiua. Debet aũt esse principalis diuisio iusti, alij cõtemplatiui, alij actiui. Actiui verò subdiuidũtur, alij cõiugati, alij cõtinentes. Tricenariꝰ & sexagenarius fructꝰ actiuis datur, centenarius verò contemplatiuis, quia vt Beda refert in sinistra vsq; ad centenariũ numerũ antiqui solebant computare. Centenarius verò in dexteram transferebatur, vnde Iuuenalis: Iam dextera computat annos. Cum ergo sinistra bona temporalia significet, dextera verò cœlestia, iuxta illud: Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Meritò actiuis licitè temporalibus vtentibus, numerus sinistrę deputatur. Contẽplatiuis verò solis cœlestibus vacãtibus, numerus dexteræ addicitur. Centenarius enim, quia perfectus est, & cœlestia significat, contẽplatiuè cõuenit. Tricenarius verò, qui ex ternario & denario cõficitur, & feruentis ætatis numerus est, coniugatis deputatur. Qui adhuc in feruore pugnæ sunt, dũ feruorẽ libidinis omnino refrenare non possunt, & tamẽ in fide sunt, quod per ternariũ intelligitur, & præcepta legis obseruãt, quod per denariũ denotatur. Sexagenarius aũt continentibus actiuis cõgruit, qui ex senario & denario cõficitur, & numerus maturę & frigescẽtis ætatis est. Senarius perfectionẽ ex primis, quia in sex diebꝰ dominus omnia cõpleuit, & senarius ex suis diuidẽtibus cõficitur: denarius verò, vt dictũ est, decalogũ significat. Meritò igitur cõtinentibus datur, qui iã carnẽ edomuerũt, & à tẽtationibꝰ deferbuerũt, & in operibꝰ legis, quã cõiugati, perfectiores inueniũtur.

Qui habet aures, &c.) Beda. Quoties hæc admonitiũcula, vel in Euãgelio, vel in Apocalypsi Ioannis interponitur, mysticum esse quod dicitur insinuatur. Aures audiendi, aures sunt cordis.

Et accedentes, &c.) Discipuli intelligentes hæc esse obscura quæ populo dicebantur, voluerunt domino intimare, ne loqueretur parabolicè: cùm dicit, accedentes, notat quòd quamuis essent in eadem naui, tamen erãt aliquantulum ab eo remoti. Qui respondens ait illis: *Quia uobis datum est, &c.*) Turbis in parabolis loquebatur, ad maiorem cæcitatem eorum, quia quamuis sequerentur eum propter verba eius audienda, vel miracula videnda, tamen duri erant, & conuerti ad fidem nolebant. Ex occulto ergò iudicio, Dominus in maiorem cæcitatem eos præcipitabat, & mysteria Dei indignis obtegebat.

Qui enim habet, dabitur ei, &c.) Quasi dicat: Vobis quidem reuelanda sunt mysteria regni Dei, scilicet abdita scripturarum vobis reseranda sunt, quia ea diligitis, & illis quæ dicuntur vobis fidem adhibetis, & hoc est quod dicit: Qui habet, subaudis fidem vel amorem diuini verbi, dabitur ei abundanter sensus intelligendi. Ille verò, qui non habet amorem diuini verbi, fides qua debet saluari, etiam vt videtur quam habet naturali ingenio, vel studio scripturarum, aufertur ab eo, vt nihil ei prosit. Nihil enim aliquis patenter potest intelligere, qui non habet caput sapientiæ, ideò in parabolis loquor eis. Reddit causam Apostolis, quare turbis illis parabolicè loquebatur, quia cùm videret Christi miracula, & etiam audirent prædicationem eius, tamen in eum credere nolebãt. Et hoc est.

Quia videntes miracula, &c.) Non vident oculo cordis, hoc est, non intelligunt me esse Deum, & audientes prædicationem meam exteriore auditu non audiunt, hoc est, non concipiunt interiori intellectu, quod exponit, cùm

subdit: Neq; intelligunt quod autoritate Isaiæ confirmatur, qui de eis conuenienter propheta uit, dicens: Auditu exteriori audientes prędicationem Christi, non intelligetis, & videntes miracula eius, videbitis exteriori visu, & non videbitis interiori.

Incrassatum est, &c.) Reddit causam, quare non intelligunt, quia scilicet incrassatũ superbia & induratum est inuidia cor eorum, & ideò auribus grauiter audierunt. Grauiter audiunt illi, qui ea quæ audiunt contemnunt, & ideò sunt eis molesta quæ enunciãtur, & oculos suos clauserũt, quasi dicat: Neq; ab alio audire voluerũt, & discere ea quæ nesciebãt, neq; ex proprio ingenio, neq; ex propria animi aduersione, oculos cordis sui aperuerunt, vt intelligerẽt quæ videbant. Ideò clauserunt, ne aliquando oculis videant. Singula singulis refert, & ideò grauiter audierunt, ne aliquando auribus audiãt, & quid sit oculis videre, & auribus audire, posteà exponit cum dicit: Et corde intelligant. Aure audit, qui ab alio discit, oculo videt, qui per se intelligit, & vtrunq; sub intellectu cordis comprehenditur, & ne conuertantur ad pœnitentiam, & sanem eos ita per remissionem peccatorũ. Quæritur, quare cũ alius Euãgelista dicat: Dominus excœcauit oculos eorũ, an ita, vt nũquam videant, an ita vt aliquando videant, & quæ audiunt contemnãt, & de cæcitate sua doleant, & ex hoc humiliati pœniteãt, & Deũ quęrant? Sed dubiũ est, an dominus prouideret eos ita esse excæcatos, vt nunquam amplius pœniteant? an quod Marcus dicit de eis, ne quando conuertantur & dimittãtur eis peccata sit ita intelligendum, eos peccatis suis meruisse, vt non ex propria virtute possint intelligere & pœnitere? sed tamen hoc ipsum misericordia Dei factum est, vt sua peccata cognoscerent, & veniam mererentur.

Vestri autem beati oculi, &c.) Quasi dicat: Oculi illorum qui vident, & nolũt credere, sunt miseri, vestri autẽ beati oculi, & aures beatæ, nec tamen de exteriori visu tantũ hoc intelligendum est. Oculi enim scribarum & Pharisæorum non sunt beati, qui corpus domini tantum viderunt, sed illi tantum beati sunt, qui sacramenta eius agnouerunt, de quibus dicitur: Et reuelasti ea paruulis.

Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ & iusti, cupierunt videre, quæ vos videtis, & non, &c.) Probatio est, quia sunt beati, hi qui præsentialiter videre & audire meruerunt, quod nullus priorum quantiuis meriti videre meruit, quãuis multum desiderauit. Abraham exultauit, vt videret diem Christi, & vidit, & gauisus est. Isaias quoq; & Michæas & multi alij Prophetæ, viderunt gloriam domini, qui etiam propterea videntes sunt appellati. Sed à longe aspicientes, & quasi salutantes per speculum, & in ænigmate viderunt. Apostoli verò in præsentia habentes dominum, cõuescentesq; ei, & quæcunq; voluissent interrogando discentes, nequaquam per angelos aut varias species visionum opus habebant doceri.

Vos autem, &c.) Quasi dicat, quia illis talibus non est datũ nosse regnũ Dei, vos intelligite parabolã, quibus cõmittuntur mysteria cœli.

Omnis qui audit verba regni, & non intelligit &c.) Sic construendũ est: Omnis qui audit verbum regni, id est, prædicationem meam, quæ ad regnum cœlorum adipiscẽdum valet, & nõ intelligit. Quomodo aũt non intelligat, supponit per parentesim. Venit enim malus, id est, diabolus, & rapit quod seminatum est in corde eorum. Omnis ille qui talis est, hic est qui seminatus secus viã est. Notandũ est, quia seminatus diuersis modis accipitur. Dicitur enim, & semẽ seminatũ, & ager seminatus, quod vtrũq; hic inuenitur: vbi enim ait, rapit quod seminatũ est, de semine intelligendũ est. Vbi aũt sequitur, secus viã seminatus est, nõ de semine, sed de loco seminis intelligendũ est. i. de hoïe, qui est quasi ager semine diuini verbi seminatus & fœcũdatus, cętera quę sequũtur, superius exposita sunt.

Alteram parabolam proposuit illis dicẽs: Simile factum est regnum, &c.) Sciendũ est, quia tũc iterũ, exposita superiori parabola Apostolis, ad turbas se conuertit, quod in sequenti notatur. Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, litera plana est. Moralitas verò talis: Per hanc enim parabolam nobis suadetur, si diligentiam adhibeamus, vt bonam voluntatẽ, cautelam, patientiam, discretionem, lõganimitatem, iustitiam, habere laboremus, quæ omnia in suis locis in parabola distinctè inueniuntur. Vbi enim dicit: Seminauit bonum semen, vocat bonam voluntatem, quæ in electis est. Vbi verò dicit: Venit inimicus, & superseminauit zizania in medio tritici & abijt, cautelam habendã intimare voluit. Quando aũt audito verbo decrescentibus zizanijs, non exarsit in iram, sed quasi patienter ferens ait: Inimicus homo hoc fecit, patientiam nobis cõmendauit. Vbi etiã seruis volentibus colligere ad cõbustionem, ait, nõ, ne fortè colligentes eradicetis simul triticum, donauit nobis exemplum discretionis, quando autem subiunxit, Sinite vtraq; crescere vsque ad messem, commendare voluit longanimitatem. Ad vltimum verò iustitiam commendauit, cum dixit: In tempore messis dicã messoribus: Colligite zizania, & colligate fasciculos ad comburendum. Allegoria autem talis est.

Augustinus. Cum autem dormirent homines, venit inimicus, &c.) Cum scilicet negligenter agerent, præpositi Ecclesiæ, aut cum dormitionem mortis acciperent Apostoli, inimicus venit, & superseminauit eos, quos Dominus malos interpretatur filios. Sed rectè quæritur, vtrũ hæretici sint, an màle viuẽtes catholici? Possunt enim dici filij mali etiam hæretici, quia ex eodẽ Euangelij semine, & Christi nomine procreati, prauis

prauis opinionibus ad falsa dogmata conuertũtur. Sed quod dicit, eos in medio tritici seminatos, videntur illi significari, qui vnius cõmunionis sunt. Verũtamẽ quod dominus agrum ipsum, nõ ecclesiam, sed hunc mundũ interpretatus est, bene intelliguntur hæretici, qui non societate vnius ecclesiæ vel vnius fidei, sed societate solius nomine Christiani in hoc mũdo permiscentur bonis: at illi qui in eadẽ fide sunt mali, palea potiùs quam zizania deputentur, quia palea etiã fundamentũ ipsum habet, cũ frumento, radicẽq; cõmunẽ. In illa quippe sagena, qua conclunduntur & boni & mali pisces, nõ absurdè mali catholici intelliguntur. Aliud est enim mare, quod magis mundũ istũ significat, aliud sagena, quæ vnius fidei, vel vnius ecclesiæ cõmunione videtur ostendere. Inter hæreticos & male catholicos hoc interest, quod hæretici falsa credunt, illi aũt verà credentes, non viuunt ità vt credunt. Sed de his hactenus. Sequitur.

Cum aũt herba creuisset, & fructum fecisset, tunc apparuerunt zizania &c.) Cũ enim spiritualis homo esse cœperit, dijudicãs omnia, tunc ei possunt errores apparere, & praua dogmata hæreticorum patere, quibus apparẽtibus, serui dixerunt ei:

Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo zizania? Videndum est, vtrum ipsi sint serui, quos post messores appellat. Sed quis auderet dicere messores angelos, scilicet, nescisse quis zizania seminauerit? & eis tunc apparuisse, illa cũ herba fructũ fecisset. Magis ergo oportet intelligi homines ipsos fideles seruorũ nomine significatos, quos etiam bonũ semen dicit. Non enim dicit: In tempore messis dicam vobis. Colligite primum zizania, sed dixit: Dicam messoribus. Vnde intelliguntur alia esse officia seruorũ, alia messorum. Serui enim non tãtæ discretionis sunt, quantæ illi. Hinc est etiam quod serui dicunt: Vis tamen imus & colligemus ea? quibus ipsa veritas, quæ patienter oẽs supportat, respondet non, ne forte cum zizania eradicetis simul & triticum. In quo docet, non ita hominẽ constitutum in hac vita, vt certus esse possit, qualis quisq; posteà futurus sit, cuius errorem in pręsenti cernit, vel quid etiam error eius conferat ad prouentũ bonorum. Dicit ergo, non adhuc tales auferendos de hac vita, ne dum malos interficere conarentur, bonos interficerent, qui forte futuri sunt, aut bonis obsint, quibus etiã inuiti forte vtiles sunt, sed tunc opportune fieri, cum iam in fine non restat, vel tempus mundanæ vitæ, vel proficiendi ad virtutem ex alieni erroris occasione. Quæritur ergo, cur quidãhæretici ab episcopis excõmunicantur, & ab ecclesia separantur, quidam etiam à potestatibus sæcularibus interficiuntur? Sed non agitur hic de excõmunicatione, quia illa data est ad correctionẽ hominum, sed de cõmuni suparatione ab agro, id est, à mundo, quia non debent Episcopi interficere, id est, separare à mundo, sicut Petrus, & alij Apostoli non recepti in quadam ciuitate, quæsierunt à Domino, an postularent ignẽ de cœlo, & destruerent? Et Dominus dixit: Nescitis cuius spiritus estis. Et si quidam iam iudicati & cõuicti & subuersi occidũtur à sęculari potestate ad correctionẽ aliorum, tamen non est cõmunis separatio malorũ faciẽda, quia pauci boni remanerent, & hoc est tempus immutationis, & qui hodie sunt mali, cras boni erũt. Quæri etiã potest, cur dixit in sequẽtibus, alligate fasciculos, & non vnum fascem, aut vnum aceruũ zizaniorum? sed fortasse propter varietatem hæreticorum, non solùm à tritico sed etiam à se ipsis discrepantium dictum est hoc, quapropter alligatio fasciculorũ in fine futura est, vt non confusè, sed pro modo suæ peruersitatis puniatur quisq;. Quod aũt sequitur: Triticum congregate in horreum, sic est intelligendum, vt punitis illis, qui diuersitates & scismata secuti sunt, in cœleste horreum recipiãtur & feruentur, qui charitatis vnitatem amauerũt.

Aliam parabolam, &c.) Parabola, est comparatio ex dissimilibus, id est, comparatiua simili tudo, eo quod in ipsa cõparatiua similitudine figuras verborũ & imagines veritatis ostendit, Parabolas parabolis accumulat, vt ex multitudine figurarũ in eis maiorũ excæcationẽ generet.

Simile est regnum cœlorũ, &c.) Regnum cœlorũ præsens Ecclesia dicitur, quę diuersis figuris, nõ secundũ se totam, sed secundũ aliquã partem sui cõparatur. Hic aũt grano synapis secundũ fidẽ assimilatur, quod homo, id est, Christus seminauit, in agro, id est, in cordibus credẽtium, *quod minimũ est omnibus seminibus.* Fides enim nostra vilior omnibus doctrinis philosophicis videtur. Quid enim stultius sapientibus huius mundi æstimabatur, quàm in occisum & sepultum credere, visibilia contemnere, & inuisibilibus inhiare? Cætera autem semina, scilicet libri philosophorum excellere videntur, quia de maximarum rerum agunt subtilitate, & ornati sunt rhetorica compositione. Sed vt ait Apostolus, quod infirmum est Dei, fortiùs est hominibus, ideò cum crescit in mente recipientis, & in toto mundo exaltatur, *maior* apparet *omnibus oleribus*, & fit arbor, ita vt &c. Sciętiæ philosophiæ enim sunt olera, sed ad nullius vtilitatis robur perueniunt, & ideò facilè ex vanitate sua arescunt. Rami verò huius arboris sunt partes fidei multiplices, in quibus habitãt volucres cœli, id est, animæ fidelium delectantur & pascuntur, quæ pennis virtutum ad cœlestia volant. Vnde dictum est: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam. Aliam parabolam locutus est eis. *Simile est regnum cœlorum, fermento quod acceptũ mulier abscõdit in farinæ satis tribus, &c.*) Hic Ecclesia secundum partẽ. i. secundũ feruorẽ charitatis fermento cõparatur, quod acceptũ mulier abscondit in satis farinæ. Satũ est genus

menſuræ, iuxtà morẽ ꝓuinciæ Palæſtinæ, vnum & dimidium capiens modium. Tria ſata, tres ſunt virtutes, quæ deſignãtur vbi dictũ eſt: Diliges Dominũ Deum ex toto corde, & ex tota anima tua, & ex tota mẽte tua. Vel tria genera hominũ ſignificãt, quæ ſuperius per centeſimũ, ſexageſimũ, & triceſimũ fructũ exprimũtur. Vel oẽs fideles ex tribus partibus mũdi collectos, Aſia, Africa, & Europa. Vel ex tribus filijs Noẽ natos ſignificãt. Mulier verò eſt ſapiẽtia Dei, quæ abſcondit in nobis fermentũ. i. feruorẽ charitatis, & gratiã ſuã in nobis reponit, quo corda noſtra fermentantur, id eſt, ad amorẽ Dei accendãtur.

Hæc omnia locutus eſt eis in parabolis ad turbas, &c.) Vt impleretur quod dictũ eſt per Prophetã Dauid: Aperiam in parabolis os meũ, quaſi dicat: Qui priùs locutus ſum per Prophetas, modò in ꝓpria perſona aperiã os meũ in parabolis, *& eructabo*, id eſt, de theſauro ſecreti mei emittam in prædicatione mea, myſteria quę abſcondita erãt à cõſtitutione mundi. Cætera quę ſequũtur, de interpretatione zizaniorũ ſuperius expoſita ſunt. Tranſeamus ergo ad alias parabolas. *Simile eſt regnũ cœlorum, &c.* Qui ſuperius turbis parabolicè loquebatur ad excæcationẽ illorũ, loquitur & Apoſtolis in parabolis, non ad excæcationẽ, ſed ad ædificationẽ, & vt eos loqui in parabolis doceret. Vnde Gregorius: Regnũ cœlorũ idcirco terrenis rebus ſimile dicitur, vt ex his quæ animus nouit, ſurgat ad incognita, quæ nõ nouit, quatenus exẽplo viſibiliũ rapiatur ad inuiſibilia. Qua in re notãdum eſt, quod mentis theſaurus abſconditur vt ſeruetur, quia ſtudiũ cœleſtis deſiderij à malignis ſpiritibus cuſtodire nõ ſufficit, qui hoc ab humanis laudibus nõ abſcondit. In præſenti enim vita ſumus, quaſi in via; qua ad patriã pergimus. Maligni autem ſpiritus iter noſtrũ, quaſi quidã latrunculi obſident. Depredari ergo deſiderat, qui theſaurum publicè in via portat. Hoc aũt dico, non vt proximi opera noſtra non videant, cum ſcriptũ ſit: Videãt opera veſtra bona, ſed vt per hoc qd̃ agimus, laudes exteriùs non quæramus, & ſic ſit opus in publico, vt tamẽ intentio maneat in occulto. Theſaurus ergo, vt diximus cœleſte eſt deſideriũ, ager verò in quo theſaurus abſcõditur, diſciplina cœleſtis ſtudij eſt, quem profecto agrũ venditis omnibus cõparat, qui voluptatibus carnis renuncians terrena deſideria, per cuſtodiã cœleſtis diſciplinę calcat. Vel aliter: Theſaurus iſte verbũ Dei eſt, in quo ſunt oẽs theſauri ſapiẽtiæ, qui eſt abſcõditus in humana carne. Aliter: Theſaurus abſcõditus in agro, duo ſunt Teſtamẽta legis in Eccleſia, quæ quis cũ ex parte intellecta attingit, illic magna latẽre ſentit, & vadit & omnia ſua vendit, & illũ emit, id eſt, per contemptum temporalium comparat ſibi ociũ.

Iterũ ſimile eſt regnũ cœlorũ homini negociatori, quærenti bonas margaritas, &c.) Quaſi dicat: Quæſtio eſt, an numerus pluralis ad ſingularem tranſierit? vt cum quærat homo bonas margaritas vnã inueniat precioſam, quã venditis omnibus quæ habet, emat. Aut ergo homo iſte bonos quærens, cum quibus vtiliter viuat, & vnum præ omnibus inuenit ſine peccato mediatorem Dei, & hominum Chriſtum Ieſum, aut præcepta quærẽs, quibus ſeruiens cum hominibus rectè conuerſetur, Inuenit dilectionem proximi, in quo vno dicit Apoſtolus omnia contineri. Singulæ margaritæ ſunt. Nõ mœchaberis, nõ furaberis, & cętera talia, quę in hoc ſermone continentur. Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Vel aliter: Hos intellectus quærit homo, & inuenit illum, quo cuncti continẽtur, ſcilicet: In principio erat verbũ, & verbum erat apud Deum. Rurſum cœleſte regnum homini negociatori ſimile dicit, qui bonas margaritas quærit, ſed vnam precioſam inuenit, quam inuentam omnia vendens emit, quia qui cœleſtis vitæ dulcedinem, in quantum poteſt, perfectè cognouerit, ea quę in terris amauerat, libenter relinquit, & comparatione illius omnia vileſcunt. Deſerit habita, congregata diſpergit, ſolis cœleſtibus eius animus inardeſcit.

Iterum ſimile eſt regnum cœlorũ ſagenæ miſſæ in mari, &c.) Sagena, eſt Eccleſia commiſſa piſcatoribus, id eſt, prædicatoribus, quæ piſces de mari, id eſt, homines de mundo extrahit, & hoc ex omni genere, id eſt, liberos & ſeruos, diuites & pauperes, fortes & infirmos. Vnde Pſalmiſta: Ad te omnis caro veniet. Quam cum impleta eſſet, educentes & ſecus littus ſedentes. Sicut mare ſæculum, ita littus finem ſæculi deſignat. Tũc impleta erit, cum omnes electi in prædeſtinatione Dei conſummabuntur. Educentes & eligentes ſunt angeli, qui educẽt bonos per reſuſcitationẽ, & eligũt ſeparando à malis, & ponent in vaſis, id eſt, in æternis tabernaculis, malos aũt foras mittent. Sedere aũt dicuntur, quia ſedere iudicãtis eſt, & quodãmodo iudicabũt, dũ totũ myſteriũ exercebunt iudicij, malos in pœnis tradendo, & bonos ad regnũ introducendo. *Ideò omnis Scriba, &c.*) Quaſi dicat: Quia intelligentes eſtis myſteria, quæ vobis reuelo, ideò faciã vos prædicatores, & eritis mihi ſimiles, qui ſum paterfamilias, hoc eſt, Dominus Sabaoth, id eſt, exercituũ, videlicet hominũ & angelorum, qui profero de theſauro ſcientiæ meæ, noua & vetera. i. ſententias noui Teſtamẽti & veteris. Similiter etiã prædicabitis proferẽdo vtriuſq; Teſtamenti ſententias. Vel noua & vetera vocat cõminationẽ pœnæ, & ꝓmiſſionẽ cœleſtis gloriæ, quia antiquum erat ad inferos deſcendere, nouũ verò ad cœlos aſcẽdere. Vetus ergo prædicat, qui pœnã infernalẽ minatur, nouũ verò annũciat, qui regnũ cœleſte pollicetur. Et hoc eſt quod dicit: Ideò, quia intelligentes eſtis, omnis qui inter vos erit doctꝰ ſcriba. i. ſapiens prædicator in regno cœlorũ. i. in præſenti Eccleſia, erit ſimilis mihi patrifamilias, &c.

Et

Et factum eſt cùm conſummaſſet, venit in patriam ſuã, id eſt, in Galilæam, vel ſpecialiter in Nazareth. Vnde huic ſapientia, quantum ad doctrinam, & virtutes, quantum ad miracula? *Nónne hic eſt filius fabri?*) Beda. Paternæ artis opprobrio eum laceſſunt, qui reuera filius erat fabri, quem ſummus fabricator omnium genuerat, & qui homines igne decoquit, dum eos in ſpiritu ſancto & igne baptizat, qui etiã diuerſi generis vaſa fabricat, & vaſa iræ ſpiritus igne molliendo in miſericordiæ vaſa commutat.

Nonne mater eius dicitur Maria? & frater eius Iacobus, & Ioſeph, & Simon, & Iudas?) Fratres Domini, nõ filij beatæ Mariæ, iuxta Helui diũ, nec filios Ioſeph ex alia vxore, iuxta quoſdam ſunt putãdi, ſed potiùs ſunt filij illius Mariæ, quę dicitur mater Iacobi minoris, & Ioſeph, & Iudæ. Fratres aũt apud Iudæos ſolent dici cognati, non ſolùm ex gradu cognatiõis, ſicut fratrum & ſororũ, qui etiã vſitatiſsimè apud nos fratres dicũtur, ſed etiã auunculus & ſororis filius, ſicut erãt Iacob & Laban, fratres appellari inueniuntur. Ieſus aũt dixit: *Nõ eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua*.) Prophetã dici in ſcripturis ſanctis Dominũ Ieſũ & Moyſes teſtis eſt, qui futurã eius incarnationẽ prædicẽs filijs Iſrael, ait: Prophetã vobis ſuſcitabit Dominus Deus veſter de fratribus veſtris, quẽ tanquã me ipſum audietis. Nõ ſolùm aũt ipſe, qui caput & Dominus eſt Prophetarũ, ſed & Helias & Ieremias, cæteriq; Prophetæ minoris honoris in patria ſua, quã in externis ciuitatibus habiti ſunt, quia propemodũ naturale eſt, ciues ſemper ciuibus inuidere.

Et nõ fecit ibi virtutes multas propter eorum incredulitatem.) Non quòd ipſis incredulis facere nõ potuerit virtutes, ſed quomodo nõ multa faciẽs ciues incredulos magis cõdẽnaret.

Beda.) Poteſt & aliter intelligi. Quòd Dominus deſpicitur in domo, & in patria ſua, hoc eſt, in populo Iudęorum, & ideò ibi pauca ſigna fecit, ne penitùs inexcuſabiles fierent. Et quòd aliqua feciſſet ibi miracula, hoc habemꝰ ex Marco, qui dicit: Et nõ poterat ibi virtutẽ vllã facere niſi paucos infirmos impoſitis manib. curauit.

CAPVT XIIII.

IN illo tempore, Audiuit Herodes Tetrarcha famam Ieſu, &c.) Precedentia facta, quę narrauit poſt ſermonem habitum de Ioanne, ad populum, fecit Chriſtus poſt mortem Ioannis in vltimo anno ſuæ prædicationis, & ideò narrat mortem Ioannis, quam prętermiſerat, vt alia facta continuet, quæ fuerunt facta poſt mortem Ioannis. Cõſtat Ioannem eſſe decollatum prope paſcha, quia ſtatim nunciata Ieſu morte Ioannis, tranſiuit mare, & fecit miraculum de quinque panibus & duobus piſcibus, quod reuera fuit prope paſcha. Ait enim Ioannes Euangeliſta, referens illud miraculũ: Erat propè paſcha Iudæorum. *Et ait pueris ſuis, &c.*) In his verbis videntur differre Matthæus & Lucas. Matthæus enim dicit Herodem iſtum, qui fuit filius alterius Herodis, qui occidit pueros, dixiſſe Ioannẽ reſurrexiſſe à mortuis. Lucas verò de his ita ſcribit: Audiebat autẽ Herodes Tetrarcha omnia, quæ fiebant ab eo, & hæſitabat, eò quòd diceretur à quibuſdam, Quia Ioãnes reſurrexit à mortuis, à quibuſdam verò Helias apparuit, &c. intelligendum eſt ergo, aut poſt hanc hæſitationẽ cõfirmaſſe eum in animo ſuo, quod ab alijs dicebatur cùm ait: Quem ego decollaui Ioãnem, hic à mortuis reſurrexit. Aut ita pronuncianda ſunt hęc verba, vt hæſitantem adhuc iudicent. Si enim diceret: Nũquid nam hic eſt, aut nunquid fortè hic eſt Ioannes Baptiſta, non opus eſſet admonere aliquid de pronũciatione, qua dubitãs atq; hæſitans intelligatur. Nunc quia illa verba deſunt, vtroque modo pronũciari poteſt, vt aut confirmatum eſſe ex aliorum verbis credentem accipiamus dixiſſe, aut adhuc, ſicut Lucas commemorat, hæſitantem.

Et propterea, &c.) Bene omni modo de reſurrectionis virtute ſenſerunt, quòd maioris potentiæ futuri ſint ſancti, cùm à mortuis reſurrexerint, quàm fuerunt, cùm carnis adhuc infirmitate grauarentur, ſed & ipſum reſurrectionis miraculum non eſſe incredibile docuerunt.

Herodes enim timuit Ioannẽ, & alligauit eũ, & poſuit in carcerẽ, propter &c.) Quia dixerat de opinione reſurrectiõis Ioãnis cũ nihil de morte dixiſſet, ideò reuertitur, & narrat, qualiter obierit. Vetus narrat hiſtoria, Philippũ Herodis maioris filiũ, ſub quo Dominus fugit in Aegyptũ, fratrẽ huius Herodis, ſub quo paſſus eſt Dominus, duxiſſe Herodiadẽ vxorẽ filiã regis Arethę, poſteà verò ſocerũ eius exortis quibuſdã cõtra generũ ſimultatibus tuliſſe filiã ſuã, & in dolorẽ mariti prioris inimici eius nuptijs copulaſſe. Quis ſit aũt hic Philippus, Euãgeliſta Lucas pleniùs docet. Anno quinto decimo, imperij Tyberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode. Philippo autem fratre eius Tetrarcha Ituręæ & Traconitidis regionis. Ergo Ioannes Baptiſta, qui venit in ſpiritu & virtutæ Heliæ, eadem authoritate, qua ille Achab corripuerat, & Iezabel, arguit Herodem & Herodiadem, quòd illicitas nuptias fecerint, & non liceat fratrem viuente germano illius vxorẽ ducere, malens periclitari apud regem, quàm propter adulationẽ eſſe immemor præceptorum Domini. *Et uolens eum occidere timuit populum, quia ſicut Prophetam eum habebant, &c.*) Hic videtur differre Matthæus & Marcus. Marcus enim refert, quòd libenter eum audiebat. Herodes enim metuebat Ioannem, ſciens eum virum iuſtum. Sed ſciendum, quòd aliud volebat, & aliud ſimulabat. Cùm enim vellet occidere, metuit populũ. Frequentabat igitur eum tẽtans, ſi aliquo modo poſſet eum à reprehenſione ſui reuocare.

Die autem natalis,&c.)Non excusatur Herodes,quòd inuitus & nolens, propter iuramẽtum homicidium fecerit, quia ad hoc fortè iurauit, vt futuræ occasioni machinas præpararet. Alioquin si ob hoc iusiurandum feciſſe se dicit, si patris, si matris postulasset interitum, facturus fuerat, an non? quod in se repudiaturus fuerit, contemnere debuit in Propheta.

Quæ cùm exisset, dixit matri suæ,& cæt.) Herodias timens,ne fortè Herodes resipisceret aliquando,vel Philippo fratri suo amicus fieret, atq; illicitæ nuptiæ repudiando soluerẽtur,monet filiam, vt in ipso statim cõuiuio caput Ioannis postulet. Digno opere saltationis,dignum sanguinis præmium.

Et contristatus est rex propter iusiurandũ iussit eos dari,qui pariter recumbebãt, &c.) **Beda.** Consuetudinis scripturarum est, vt opinionem multorũ sic narret historicus, quomodo eo tempore ab hominibus credebatur, sicut Ioseph ab ipsa quoq; Maria appellatur pater Iesu, ita & nũc Herodes dicitur cõtristatus, quia hoc discũbentes putabãt. Dissimulator enim mẽtis suæ & artifex homicidã tristitiam præferebat in facie, dum lætitiam haberet in mente, sceluscq; excusat iuramento, vt sub occasione pietatis impius fieret. Quòd aũt subiecit, & propter simul discũbentes, vult oẽs sceleris sui consortes esse, ne in luxurioso impuroq; cõuiuio,cruentę epulæ deferrentur. Ioannes figurã tenet legis. Herodes significat populum Iudæorũ, qui sibi velut vxorem gentilis populi de eodem parente progeniti sociauit infidelitatẽ, quàm quia vetat Ioannes tanquam lex, clausa tenetur, & vocẽ dare nõ permittitur. Ad vltimũ in natali Herodis, id est, in expletiõe naturalis voluptatis, saltat filia, id est,exultat voluptas praua infidelitate orta,& postulat addi ad delitias suas caput Ioannis, id est, Christum auferri de intellectu legis. Defertur itaq; per filiam matri, quia per prauã voluntatem satis fit infidelitati. Quo facto discipuli Ioannis, i.auditores legis, corpus Ioannis sepelierunt, id est,carnales obseruantias in se extinguunt,& ita à lege ad Euangeliũ veniẽtes, verbi Dei soliciti auditores fiũt. Nos aũt vsque hodie cernimus in capite Ioãnis ꝓphetę Iudæos, Christum,qui caput est Iudæorũ & Prophetarũ, perdidisse. Aliter: Docollatio Ioãnis minorationẽ famæ illius, qua Christus à populo credebatur, insinuat, sicut exaltatio Domini in cruce designat profectũ fidei nostræ. Minutus est ergo capite Ioãnes, exaltat⁹ est in cruce Dominus,quia sicut idẽ Ioãnes ait, illũ oportet crescere, me aũt minui. Narrat Iosephus vinctũ Ioannẽ in castellum Macheronta adductũ, ibiq; truncatũ. Narrat historia Ecclesiastica,sepultũ eum esse in Sebaste vrbe Palæstinæ, quæ quõdam Samaria dicta est, & tempore Iuliani Principis inuidentis Christianis, qui sepulchrũ eius pia solicitudine frequẽtabãt, paganos in via inuasisse monumẽtum,ossa dispersisse per campos,&rursum collecta igne cremasse, ac denuò sparsisse per agros, adfuisse tũc temporis ibidẽ ab Ierosolymis monachos,qui mixti paganis ossa colligẽtibus,maximam eorum partẽ congregauerũt, & ad patrẽ suum Philippum Ierosolymã detulerũt. At ille miserit ea beato Athanasio, Alexandrinæ vrbis Episcopo, ibique seruata sunt vsq; ad tempora Theophili,eiusdem vrbis Episcopi. Quãdo iubente Theodosio,Principe omniũ Gentiũ fana destructa sunt. Tunc expurgato à sordibus templo Serapis, ibidem illatam basilicam, pro ædicula Serapis in honore sancti Ioãnis consecratã, lege vndecimum Ecclesiasticæ historię librum.

Quod cùm audisset Iesus, secesit inde in nauicula in locum desertum deorsum, &c) Saluator audita nece sui Baptistæ,secesit in locum desertum . Non, vt quidam dicunt, timore mortis,sed parcẽs inimicis suis,ne homicidium homicidio iungerent,vt præberet nobis exemplum vitandi temeritatem tradentium, quia nõ oẽs eadem constantia perseuerant in tormẽtis, qui se torquẽdos offerunt. Vnde alibi præcipit: Cùm vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Postquàm verò à Iudęis,& a regibus Iudæorum,Prophetæ trũcatum est caput, & linguam & vocem apud eos perdidit Propheta. Iesus tempus congruum expectans, secesit in locum desertum, seorsum docens, quia derelicta Iudæa,ad desertum gentilitatis transiuit.

Et cùm audissent turbæ, secutæ sunt eũ pedestres de ciuitatibus,&c.) Non in iumẽtis & vehiculis, sed proprio labore pedum, vt ardorẽ mentis ostenderent. Mysticè,cùm gentiles audirent prædicationem Christi, secuti sunt eum passibus fidei, & relictis vetustatibus pristinæ conuersationis, quasi de ciuitatibus exierunt.

Et exiens,vidit turbam,&c.) Exitus ille significat,quòd turbę habuerũt eundi voluntatẽ, sed non vires perueniendi. Ideò Saluator egreditur obuiam, quasi votis eorum occurrens. *Et misertus est eis.*)Miseretur Dominus,cùm gratiam suã fidelibus inspirat,&per prędicatores eos vocat. Languidos sanat, dum peccata in anima infirmantium remittit. *Vespere autem facto,accesserũt ad eum discipuli dicentes: Desertus est locus, & hora iam præterijt,&c.*)Patet discipulos,dum talia dicunt, futuri miraculi fuisse ignaros. Mysticè venit à Iudæa in desertum gentilitatis, vt dictum est, & hoc vespere facto,id est,in fine seculorũ. Tempus enim gratiæ, finis mundi dicitur, quia cùm sint tria tempora, ante legem, sub lege, sub gratia,tempus gratiæ vltimum cõputatur. Vel facto vèspere,id est,peracta dominica passiõe, quando videlicet sol iustitiæ per mortem occubuit, transiuit Christus per prædicatores ad Gentes. Notandum est,quòd Ioãnes quædam verba hic interserit. Ait enim eum dixisse ad Philippum:

Vnde ememus panes, vt manducent hi?) Intelligendũ aũt est, discipulos prius ad Dominum

num accessisse, & rogasse, vt dimitteret turbas, quod Matthæus refert,& postea Christũ turbas inspexisse, & deinde ad Philippũ locutũ fuisse, quod Ioannes cõmemorat, & isti prætermittũt. Quod aũt Philippus respõdet apud Ioannẽ, ducentorũ denariorum panes nõ sufficiũt eis, hoc Marcus à discipulis respõsum esse cõmemorat, volẽs hoc intelligi ex ore omniũ cęterorũ discipulorũ respondisse Philippũ. Mysticè aũt discipuli ad Iesum accedunt & dicunt: Desertus est locus, cũ prædicatores in primitiua ecclesia admirantur de conuersione Gentiũ, quasi desperantes se posse eos,qui tã diu in idololatria permanserant & sine lege erant, deinceps ad fidem conuertere. Et ideò dicunt:desertus est locus, quia gẽtilitas sine lege est,sine aliqua dei cognitione,& ideò iã hora præterijt, quia vsq; ad finẽ seculi in cæcitate perstiterũt. Dimitte ergò turbas, noli incassum eis annunciare verbũ veritatis,vt euntes in castella.i.ad muniméta philosophicarũ sententiarum,quę quasi multis rationibus munitæ sunt. Emant precio studij & laboris escas, i. doctrinas, quarum pastu delectantur. *Iesus autem dixit eis,non habent necesse ire,* id est, non habẽt necesse diuersos cibos quærere, vt me cœlestem panẽ dimittãt,& ignotos panes quærant.

Date vos eis potiùs manducare, & cæt.) Prouocat Apostolos ad fractionẽ panis, id est, ad apertionem scripturarum. *Responderũt ei,&c*) Non habemus hic,nisi quinq; panes,& duos pisces. Quinq; panes,quinq; libros Moysi significant, qui bene ab alio Euangelista hordeacei dicuntur, quia hordeum est cibus iumẽtorum. Rudibus enim Iudęis tantùm grossa & aspera erant danda præcepta. Animalis enim homo nõ percipit ea quæ Dei sunt. In hordeo tamen latet medulla suauissimi sensus, quæ perfectis est danda fidelibus. Per duos pisces, Prophetias & Psalmos habemus . Totum enim vetus Testamentum in his tribus completur. Vnde post resurrectionem ait Dominus,quia oportebat impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis,& Psalmis de me. Qui ait illis: *Afferte huc illos mihi.*) Quasi mysticè dicat, legis intellectum, Prophetarum, & Psalmorum, sciatis ad me referendum.

Et iussit turbam discumbere super fœnum, & cæt.) Super fœnum iussit turbã discumbere, id est, calcandam carnem esse studio abstinentiæ mysticè docuit. Omnis enim caro, fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos agri. Quòd aũt ait alius Euangelista,discubuerũt alij quinquageni,alij centeni,diuersos Ecclesiasticorum cõuentus significari voluit,qui tamen vnam faciũt catholicam Ecclesiam. Iubilei quippe requies, mysterium quinquagenarij numeri significat. Et quinquagenarius bis ducitur, vt ad centenarium perueniatur. Quia ergò prius à malo quiescitur opere, vt pòst anima plenius quiescat in cogitatione. Alij quinquageni, alij autem centeni discumbunt, quia sunt nonnulli, qui à prauis actibus habent requiem operis,& sunt nonnulli qui à peruersis cogitationibus habent iam requiem mentis.

Acceptis quinq; panibus,&c.) Turbis esurientibus, Saluator nõ noua creat cibaria, sed acceptis eis quæ habuerunt discipuli benedicit, quia veniẽs in carne, nõ alia quã prædicta sunt, prędicat, sed legis & ꝓphetarũ scripta , quã sint mysterijs gratiæ grauida,demõstrat. Intuetur in cœlũ, vt illic dirigendã mẽtis aciẽ,ibi lucem scientiæ doceat esse quærendã. Frangit,&ante turbas ponẽda distribuit discipulis, quia sacramenta prophetiæ sanctis doctoribus, qui hæc toto corde prædicent patefecit,& illis ministrãtibus, manducauerunt omnes,& saturati sunt. Manducauerunt,dum intellexerũt: saturati sunt, dum perfectè in his pro suo modo intellectum habuerunt.

Et tulerunt reliquias,duodecim cophinos fragmẽtorum plenos.) Quid sunt illa fragmẽta,nisi quæ populus non potuit manducare? Intelliguntur ergo quædam secretiora intelligentiæ,quæ multitudo non potest capere. Quid ergo restat, nisi vt illa secretiora intelligẽtiæ,quæ populus non potest capere,illis credãtur & committantur,qui idonei sunt intelligentiæ, & alios docere,sicut erãt Apostoli. Vnde duodecim,cophini sunt impleti, quia duodenario numero solet perfectiõis cuiuslibet summa signari. Rectè per duodecim cophinos fragmẽtorum plenos,omnis doctorũ spiritualiũ chorus exprimitur,quia obscura scripturarum,quæ per se turbę nequeunt intelligere,iubentur meditando colligere,& meditata ac mandata literis suo & turbarum vsui conseruare. Foris quidem despecti, sed intus salutari cibo ad alenda humiliũ corda cumulati. Quare dicũtur cophini pleni fragmẽtis? constat enim cophino seruilia opera solere geri. Christus qui cophinos fragmẽtis repleuit, qui infirma mũdi elegit, vt confunderet fortia. *Manducantium autem numerus fuit quinque millia.*) Notandum est ꝙ duæ in Matthæo leguntur passiones,ista videlicet in qua quinq; millia hominum,quinq; panibus refici perhibentur, & alia in qua quatuor millia septem panibus satiari asseruntur. Sunt enim duo genera hominũ in ecclesia,actiui videlicet & contẽplatiui. Hæc verò passio ad actiuos, illa ad contemplatiuos pertinere videtur: vnde meritò hic quinq; millia hominum fuisse legũtur. Datur enim eis ex cõcessione rebus exterioribus licitè vti, quæ quinq; sensibus subiacẽt,si tamen bene &perfectè secularibus vtuntur,quę perfectio per quinq; millia designatur. Quoniam ergò in veteri lege licentia possidendi secularia conceditur, ideò per quinque libros Moysi, quasi per legalia præcepta hi manducantes instituuntur. Secundũ quẽ intellectum meritò in fœno discumbere leguntur, vt per fœnum diuitiæ intelligantur, quibus

quasi

quasi sub se positis, possidendo dominentur. Quatuor verò milia hominum, septem panibus refecti sunt, quia quasi Euãgelicis præceptis imbuti, vendere omnia quæ habent, & dare pauperibus, & temporalia negligere student. Septem panibus Euangelica doctrina designatur, quia septiformis spiritus sancti gratia ibi cõtinetur. Ibi fœnum esse non legitur, quia rebus secularibus omnino renunciauerũt, quæ omnia ibi melius discutientur. Hic autem quare quinq; milia fuissent, sufficiat ostendisse.

Exceptis mulieribus & paruulis.) Quasi dicat. Refecti sunt perfecti actiui, & cum eis alijs etiam infirmiores, quorum alij sunt mulieres, id est, molles, & vitijs dediti, alij verò paruuli, id est, in fide infirmi, nec adhuc pugnæ idonei, & tamen communiter verba prædicationis audiunt.

Et statim iussit discipulos ascendere in nauiculam, &c.) Refert Ioannes, quia populus viso miraculo panum, voluit rapere Christum in regem, vnde Christus discipulis præcepit trãsfretare, ipse verò fugit in montem solus orare. Qua in re exemplum nobis præbuit, vt in bonis quæ agimus, humani fauoris retributionem vitemus, & prosperitatem oblatam recusantes, ad orationem recurramus, & in alto spem nostram figamus. Non omnis qui orat, ascendit in montem. Est enim oratio quæ peccatũ facit, sed qui bene orat, qui Deum orando quærit, hic à terrenis ad superiora progrediens, in montẽ ascendit. Qui verò de diuitijs aut de morte inimici solicitus orat, ille in infimis iacens, viles ad Deum preces mittit. Orat dominus non vt pro se obsecret, sed vt pro nobis impetret. Sed quæritur, quomodo Matthæus referat discipulos transfretasse in terram Genezareth? & Marcus determinatius loquens, dicit eos Bethsaidam transfretasse, quæ est iuxta stagnum Genezareth, cùm videatur dicere Lucas, quòd in locis Bethsaidæ factum fuerit miraculum illud memorabile, & refectio cœlestis. Ait enim: Assumptis illis, secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaida. Quòd cùm cognouissent turbę, secutæ sunt illum, & excepit illos, & cætera quæ sequuntur, vsque ad completam illam sacræ refectionis historiam. Sed fortè intelligamus in eo quod Lucas ait, in locum desertum, qui est Bethsaida, nõ ipsius vicinia ciuitatis, sed loca deserta ad eam pertinentia, esse designata. Marcus enim dicit apertè, quòd præcederent eum in Bethsaidam, vbi ipsius fines ciuitatis cõstat esse notatos. Lucas verò, qui non dicit in loco desertũ qui est Bethsaida, sed qui est Bethsaidę, potest ni fallor, rectè intelligi, quia nõ ipsam ciuitatem voluerit intelligi, sed locum desertum ipsius, id est, ad eius confinia pertinentẽ. Narrat autem Euangelista Ioannes, manducasse turbas panem iuxta Tyberiadem, & ascẽdentes nauem, discipulos venisse trãs mare in Capharnaum, quæ ambæ sunt ciuitates in Galilæa, iuxta stagnum Genezareth, quæ etiam Tyberiadis à ciuitate Tyberiade vocatur.

Vespere autem facto, &c.) Labor discipulorum, laborem ecclesiæ significat. Motus fluctuum, motum persecutionum: mare, mũdum: ventus, flatum diabolicum: nauicula ecclesiam significat. Solus dicitur esse Christus, hoc est, separatus ab ecclesia: videtur & eam deseruisse, cùm eam permittit in tribulatione esse. Meritò dicitur esse tempestas in vespere, quia dùm ecclesia est in tribulatiõe, dicitur esse quasi in nocte, & sol iustitiæ se ab ea abscondisse.

Quarta autem vigilia noctis, &c.) Stationes & vigiliæ militares, in terna horarum spacia diuiduntur. Quando ergò dicit, in quarta vigilia noctis venisse ad eos dominum, ostendit tota nocte periclitatos, & extremo noctis tempore, eis auxilium datum, Appropinquante autem die, venit dominus ambulans super mare, quoniam cùm humana fragilitas pusillanimitatem virium suarum considerat, nihil erga se quàm tenebras, & hostium cernit angustias. Cùm verò mentem ad diuinum præsidium erigit, quasi inter tenebras ortum luminis in die cernit. Nota, quia prima vigilia conticinium, secunda intempestum, tertia gallicinium, quarta lucifer. Venit ad eos dominus, significans, quia post multam tribulationem visitat ecclesiam suam: super mare ambulat, dùm mundi persecutiones sedat.

Et videntes, putant fantasmata, &c.) Dicũt hæretici, quia si virgo peperit, fantasma fuit. Si fantasticũ corpus habuit Christus, cur discipuli eum esse fantasma metuunt? *Et præ timore clamauerunt.*) Sæpè enim ecclesia in tanto labore posita est, quòd clamat ad dominum. Quare me dereliquisti? & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus meus? Ipse autem consolatur eos, dicens: *Habete fiduciam, quia ego sum.*) Cùm enim in principio tranquillitas nõdum creditur, à timẽtibus vera liberatio, quòd per fantasma significatur, & ideò clamant, tandem indicatur eis, quia verè liberati sũt, quod dicere est, ego sum. Ad literam, ideò dicit, ego sum, vt desperationem, & phantasiæ opinionem remoueret. Nec subiungit qui sum, quia ex voce satis nota poterant eum agnoscere, vel quia ipse est qui dicit: Qui est, misit me ad vos, & de eo dicitur, Ego sũ qui sum. *Respondens autem Petrus, dixit, & cætera.*) Aliud est sacramentum de Petro per se, & alia figura. Eadem enim res multoties diuersis figuris exprimitur. Eandem ergò personam gerit hic Petrus, quam & nauicula superiùs, personam videlicet laborãtis ecclesiæ. Dicit ergò ecclesia: Si tu es ille verus liberator, sicut reuera es, iube me venire ad te, optat enim ecclesia semper venire ad dominũ: addit super aquas, quasi dicat: Fac me ad exemplum tuũ mũdi superare pressuras. Optãti venire dicit: veni, quia semper affert

affert auxiliũ omni pẽtenti. *Et descendẽs, &c.* Qui putat non esse corpus dominicũ verum, quia super aquas incessit, respondeat quomodo ambulauerit Petrus, quẽ verũ hominẽ esse negare nõ possunt. Mysticè nauicula quæ superiùs significabat ecclesiã, designat humanum auxiliũ, quia nauis est hominis instrumentũ ad gentes transfretãdas. Descẽdit Petrus de nauicula, cũ ecclesia postposito omni humano auxilio, humiliando se ad Deum solũ refugit, & per hoc datur ei calcare tribulationes huius mundi, vt veniat ad Iesum, id est, sit ei cõformis. *Videns aũt uentum ualidum, timuit.*) Ecce Petrus ad literã ne superbiret, quasi æqualis domino, immisit ei dominus ventum, qui eũ terreat, & humanã fragilitatẽ recognoscere faciat. Permittitur timere & mergi, vt gratius sit auxiliũ post timorẽ. Sicut etiam permittit ecclesiã titubare in persecutione, vt ei infirmitatẽ suã ostendat, & vehementiùs ipse ab ea inuocetur. Cui clamanti, extendit manũ auxilij, & de tribulatiõe increpat dicens: Modicæ fidei. *Et cùm ascendisset in nauiculam, &c.*) Modò redit ad priorẽ figurã, quia hoc totũ de Petro fuit, quasi alia figura interposita. Cũ superiùs dixisset, ego sum. i. cùm ecclesiã suã cõsolatus fuisset, ascẽdit in nauiculã, hoc est, in ecclesiã. Quamdiu enim patiebatur ecclesiam suã vexari, quasi absens videbatur esse, sed data tranquillitate ecclesiæ, videtur accessisse, & tunc cessauit vẽtus tribulationis. *Qui autem in nauicula erant.*) De nautis intelligẽdum est, vel de Apostolis. Eodem modo ecclesia, pace sibi reddita, gratiarũ actione Deum adorat. *Et cùm transfretassent, &c.*) Genezar enim hortus interpretatur, & ideò paradysum significat. Meritò post naufragium & nauigationẽ maris ad littus Genezar perueniunt, quia ecclesia post persecutiões mundi, & cursum præsentis vitæ ad iucunditatẽ peruenient paradysi. *Et cũ cognouissent eum, &c.*) *Beda.* Cognouerunt eum rumore nõ facie. Vel certè pro signorum magnitudine, quæ patrabat in populis, & notus erat pluribus vultu. Sed vide quanta sit fides hominum terræ Genezaret, vt non præsentium tantum salute contenti sint, sed mittuntur ad alias per circuitũ ciuitates, quò omnes currãt ad medicum. Homines Genezaret, gentiles significare dicuntur. Genezaret enim alia interpretatione, quasi generans auram dicitur. Gentilitas autem multiplicium errorum nebulam generauit. Illi audita prædicatione, adducunt omnes malè habentes id est, varijs criminibus irretitos. *Et rogabant eum, ut uel fimbriam uestimenti eius tangerent, &c.*) Vestimentum incarnationem Christi, qua diuinitas induta est, significat. Fimbria verò, prædicationem de incarnatione CHRISTI pendentem designat. Gentiles verò non vestimentum tangunt, quia præsentiam carnis non viderunt. Fimbriam verò tangunt, quia prædicationem incarnationis susceperunt, & per fidem saluati sunt.

CAPVT XV.

TVNC accesserunt ad Iesum, & cæt.) Homines Genazar minus docti credunt, sed qui sapientes videntur, ad pugnam veniunt, iuxta illud: Abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. *Quare discipuli tui, &c.*) Mira Scribarum & Pharisæorum stultitia, quæ Dei filium putat suis traditionibus esse subiectum.

Non enim lauant, &c.) *Beda.* Multa baptismata erant Iudæorum, quæ non erant in lege, sed spiritualia Prophetarũ verba carnaliter accipientes, quæ illi de castigatione cordis & operis præcipiebant, dicentes: Lauamini, mundi estote, & mundamini, qui fertis vasa domini, illi de corpore solo lauando seruabant. Frustrà omnes Iudæi lauant manus, & sua baptismata obseruant, quàm diu contemnunt fonte Saluatoris ablui. Intelligentes ergò carnaliter illam saluationem prophetæ, seruabant in manibus & corpore abluendo illam præceptionem, & ideò statuerunt non nisi lotis manibus manducandum esse, ille autem respondens, ait illis:

Quare & vos transgredimini? &c.) Beda. Falsam calumniam vera responsione Dominus confutat, cùm vos propter traditiones hominum, præcepta Domini contemnatis, quare discipulos meos arguendos creditis, quòd seniorum iussa paruipendant, vt Dei scita custodiant, dùm implendo spiritualiter ablutionem Prophetæ, operum & cogitationum maculam deleant? *Nam Deus dixit.*) In quo præceptum domini traditione sua transgrediantur, ostendit: Deus præceperat in lege honorare patrem & matrem. Pharisæi verò auaritiæ seruientes, vt homines offerrent munera in templo, quæ in suos vsus peruenirent, patrem honorandum, Deum esse muneribus venerandum interpretabantur, & ita carnales patres sub nomine pietatis esse postponendos dicebant. Et hoc est quod Deus dixit:

Honora patrem & matrem.) Honor iste in scripturis, non tantùm in salutationibus & officijs deferendis, quantum in eleemosyna & munerum collatiõe sentitur, vnde Apostolus: Honora viduas, quæ verè viduæ sunt. Hic honor donum intelligitur. Et alibi: Presbyteri dupplici honore sunt honorandi, quasi dicat: Non solùm officijs, sed etiam muneribus sunt donãdi. *Qui autem maledixerit patri aut matri,* subtrahendo eis beneficia debita, *morte moriatur.*) Vos autem dicitis filijs aliquorum parentum: O iuuenes, vouete, quantumcunq; sitis pauperes, oblatiões de rebus. Et si non potestis pascere parentes, & Deo offerre, contemptis parentibus, res vestras Deo vouete: & si pater vester voluerit res vestras accipere, dicite, quia Deo vouistis eas. Et hoc est: Quicũq;. i. quisquis vestrũ ô iuuenes dixerit. i. dicere poterit, vel dicat patri vel matri,

res

res veſtras ſumere voléti: O pater, munus quod eſt DEO ex me iam deuotum, proderit tibi? admirando, id eſt, cederet in tuos vſus? certè nó debes ſumere, ne ſis reus ſacrilegij. Vel ita: Munus quod ego offero Deo, & mihi & tibi proderit, & ideò non debes ſumere res meas in tuos vſus, ſed pati vt Deo offeram. vel per eclipſin, Quicunque dixerit patri, & c. Subaudis, faciet Dei mandatum, vel complebit legem, vel erit dignus vita æterna, & ſic propter iſtas perſuaſiones auaritię veſtræ, iuuenis ille non honorificabit patrem aut matrem, Irritum ergò feciſtis mãdatũ Dei propter traditiones veſtras. Sequitur:

Et non honorificabit patrem ſuũ, aut matrem.) Quaſi dicat: Vos tamen filijs perſuaſiſtis peſsima, & quia hoc perſuaſiſtis, filius poſteà patrem aut matrẽ non honorificauit. Et ideò Dei mandatum de ſuſtinẽdis parentibus feciſtis irritum, propter traditionem veſtram, veſtræ ſcilicet auaritiæ ſeruientes. *Hypocritæ.*) Peſsimi ſcilicet ſimulatores, qui ſimulatis quod non eſtis, more perſonæ theatralis, bene & conuenienter moribus veſtris prophetault Iſaias de vobis dicens: *Populus hic labijs me honorat, &c.*) Preuidit quidem Iſaias ſimnlationem Iudæorum, quòd in dolo repugnarent Euangelio. Honorabat etiam labijs eum, dum dicebat: Magiſter, ſcimus quia verax es, &c. Vel etiam commendando exteriorem munditiam, illum honorabat: ſed dũ interiori quæ vera eſt carebat, cor eorum longè erat, & ille talis honor inutilis eſt eis. Vnde ſequitur: *Sine cauſa enim colunt me,* quia non habebũt mercedem cum veris doctoribus, docentes doctrinam & mandata hominum, contemptis præceptionibus diuinis.

Et conuocatis ad ſe turbis, ait eis: Audite, &c. Nõ quod intrat in os, coinquinat hominem.) Nec etiam idolotithũ, in quantũ eſt Dei creatura, ſed potiùs illud coinquinat, quod procedit de ore, id eſt, verbum exprimens immunditiam, & nequitiam ſuæ prauæ mentis, vnde Auguſtinus: Non timeo immunditiam obſonij, ſed cupiditatis.

Tunc accedentes diſcipuli eius, & cæt.) Phariſæorum magna eſt religio in cibis, qui audito hoc verbo, ſcandalizati ſunt, id eſt, indigna ti ſunt. Scandalum quidem Græcè, nos offendiculum vel ruinam, vel pedis impactionem poſſumus dicere, vnde dicitur: Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, id eſt, qui occaſionem dederit ruinæ, &c. At ille reſpondens ait:

Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœleſtis, eradicabitur.) Plãtatio iſta Doctores legis ſignificat, cum ſequacibus ſuis, qui Chriſtum non habebãt fundamentũ, quare ſunt eradicandi. *Sequitur: Sinite illos.*) Quaſi dicat: Permittite eos ſuo libero arbitrio, vt eant ſecũdũ deſideria cordis ſui, quia irreuocabiles ſunt. Vnde Paulus: Hæreticum hominem poſt primã & ſecundam correptionem deuita. Cæci ſunt, id eſt, luce mandatorũ Dei priuati pro traditionib. ſuis, & ſunt duces cæcorum, qui non ſolùm ſibi proſpiciunt, ſed etiam alios in præcipitium trahunt errantes, & in errorem mittentes. *Reſpondens autem Petrus, ait: Ediſſere nobis parabolam iſtam.*) Quod apertè dictum fuerat, Petrus parabolicè dictum putat, & in verba manifeſta myſticam quærit intelligentiam, vnde corripitur à Domino, dum dicitur: *Adhuc & vos ſine intellectu eſtis?* Ex quo animaduertimus vitioſum eſſe auditorẽ, qui aut obſcura manifeſtè, aut manifeſta dicta obſcurè vult intelligere, Dicit ergò: Sine intellectu eſtis, qui putatis myſticum quod eſt prædictum. Sequitur: *Non intelligitis quod omne quod intrat in os, &c.*) Apertius inſinuat, quod ſuperiùs dixit, non quod in os intrat, &c. Quòd autem dixit, de corde exeunt cogitationes malæ. Notandum eſt, quòd principalis ſedes animæ, nõ iuxta Platonẽ in cerebro, ſed iuxta Chriſtum in corde eſt. Sunt etiam arguendi hac ſententia, qui cogitationes à diabolo immitti putant, & nõ ex propria voluntate naſci. Diabolus enim adiutor & incentor malarum cogitationũ poteſt eſſe, non author, quia nec interiora, niſi per quoſdã habitus & geſtus exteriores nouit. Verbi gratia: Si pulchram mulierem vos crebrò inſpicere viderit, cor amoris iaculo vulneratum intelligit.

Et egreſſus inde Ieſus, ſeceſsit in partes Tyri & Sydonis.) Scribis & Phariſæis relictis, intrat fines Tyri & Sydonis, vt filiam ſyrophœniſſæ à dæmonio liberaret, vt per fidem gẽtilis fœminæ Scribarum perfidiam argueret, ſignificatos per hoc, quòd relictis calumniatoribus poſt reſurrectionem per prædicatores iret ad gentilitatem. Tyrus enim & Sydon, ciuitates ſunt gẽtium. Sequitur: *Et ecce mulier Chananæa, &c.*) Hic videtur Marcus à Matthæo diſsẽtire, dicit enim Matthæus, quòd mulier clamabat poſt Apoſtolos, cùm dicant: Dimitte eam, quia clamat poſt nos. Vnde poſſe intelligi videtur, quia in via ſequebatur eos, & omnia illa verba in via eſſe cõpleta, quæ in hoc Euangelio leguntur. Marcus verò refert, Chriſtum in fines Tyri & Sydonis veniſſe, & tunc domum quandam ingreſſum fuiſſe, & ibi Chananęam pro filia ſua eum rogaſſe, & verba quæ ſequũtur, ibi dicta fuiſſe. Quapropter intelligendum eſt, cùm Chriſtus in partes Tyri & Sydonis ingrederetur, Chananęã egreſſam fuiſſe, & clamauiſſe in via: Miſerere mei domine, & tunc eum in via non reſpondiſſe, ſed Chriſtum & mulierem cum ſilẽtio domum ingreſſos fuiſſe, deinceps diſcipulos pro ea rogaſſe, dimitte eam, &c. In alijs verò omnibus conueniunt. *Domine miſerere, &c.*) Magna fides Chananææ hic notatur. Credit Deum, vbi vocat dominum hominem, vbi filium Dauid nominat. Credit, quia iam egreſſa eſt de finibus gentilitatis,

tis, id eſt, de erroribus illius. Nihil ex merito poſtulat, ſed ſolam Dei miſericordiam efflagitat, cùm dicit miſerere. Nõ dicit: Miſerere filiæ, ſed miſerere mei, quia dolor filiæ eſt matris, ſed vt magis eum ad compaſsionẽ moueat, totum dolorem enarrat, dicendo:

Filia mea malè à dæmonio vexatur.) Vulnera medico detegit, & qualitatem & magnitudinem morbi oſtẽdit. Magnitudinem cũ dicit, malè vexatur: qualitatẽ cũ ſubiũgit, à dæmonio.

Qui non reſpondit ei verbum.) Multæ cauſæ ſunt, quare non reſponderet, vt ſcilicet differendo & non reſpondẽdo, patientiam mulieris, & perſeuerantiam nobis oſtẽderet. Cùm enim toties deſpecta eſſet, & etiam canibus comparata, tamen cum patientia & humilitate omnia libenter accepit. Ideò iterum non reſpõdit, vt diſcipuli pro ea rogarent, oſtendẽs per hoc neceſſarias eſſe preces eorum, vel ſanctorum ad aliquid impetrandum. Non reſpondet, ne videretur eſſe contrarius ſuæ ſententiæ, qua dixerat: In viam gentium, &c. Differt ſanare, vt ſalutẽ gentium differendam, poſt reſurrectionem præfigu raret. Mulier enim Chananæa, gentilium eccleſiam ſignificat, quę egreſſa de finibus Tyri & Sydonis, id eſt, de ritibus gentilitatis, quæ erat põdere peccatorum anguſtiata, & venatio diaboli. Tyrus enim anguſtia, Sydon verò venatio interpretatur. Orat pro filia ſua, id eſt, pro populis nondum credentibus, & à dęmonio vexatis. Differt aũt mulierem audire, quæ erat figura gentilium, ſignificans gentilium ſalutem differendam. Similiter ſub perſona huius mulieris, fides, humilitas, patiẽtia eccleſiæ deſignatur: fides qua credidit, poſſe ſaluari filiam. Patientia qua toties contẽpta, in precibus perſeuerat. Humilitas, qua ſe non canibus, ſed catellis cõparat.

Et accedentes diſcipuli eius, &c.) Ecce diuinum ſilentium effectũ habet, quia Matthæus Apoſtolus dicit, Ipſe reſpõdens ait: Nõ ſum miſſus, niſi ad oues quæ perierũt domus Iſrael. Primò vt priùs prędicem Iudæis, poſteà Gentibus. Priùs enim prædicatio offerẽda erat Iudæis, quibus facta erat promiſsio, deinceps cũ eſſet repudiata ab eis, ad gẽtes transferẽda. Dicitur ergò: Non ſum miſſus in propria perſona, & principaliter, niſi ad oues, Iudæos. Sed tamen aliquando in præfiguratione conuerſionis gentiũ, aliquos eorum ſub aliqua occaſiõe curabat. *At illa, &c.*) *Non eſt bonum, &c.*) Filij ſunt Iudæi generati, & nutriti ſub cultu vnius Dei, per legẽ. Panis eſt Euãgelium, miracula, & alia quæ ad ſaluté pertinent noſtram. Non eſt ergò conueniens vt à filijs auferantur, & dentur gentibus, qui ſunt canes, donec Iudæi repudient, quaſi dicat: Vos gentiles indigni eſtis, vt vobis prædicem, & vobis faciam miracula, hæc omnia dicit vt exploret fidẽ mulieris. At illa reſpondet: *Etiam domine,* id eſt, verum eſt domine, non eſt bonum vt dones nobis panem, nam micæ nobis ſufficiunt. Et hoc eſt: Nam & catelli non edunt panem, ſed micas, id eſt, reliquias dominorum, quaſi dicat: Domini noſtri ſunt Iudæi, qui ſedent ad menſam ſcriptu rarum. Nos nõ ſumus digni ſedere ad menſam, quia canes ſumus, ſed ſub eis exiſtentes, ſaltem aliquas reliquias vellemus habere, ſicut eſt curatio filiæ meæ. Myſticè canes, id eſt, gentiles comedunt micas, id eſt, interna myſteria, Iudæi verò cruſtas, id eſt, figuras exteriores.

Tunc reſpondens Ieſus, ait illi: O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut petiſti.) Magna prædicatur à Domino fides mulieris, quæ primùm ſaluatorem filium Dauid, deinde Dominum vocat, extremò vt Deũ adorat. Meruit ergò, vt ei diceretur: *Fiat tibi ſicut vis.*) Quòd puerum Centurionis, & filiam Chananææ, non veniens ad domos eorum ſanat, ſignificat Gẽtes, ad quas non venit ſanãdas, per præſentiam corporis, ſed per verbum ſuum. Quod ipſis rogantibus, filia ſanatur, intelligenda eſt Eccleſię perſona, quæ ſibi eſt mater & filia. Nam ſimul omnes, quibus conſtat Eccleſia, mater dicitur, ſinguli autem ijdem filij ipſius appellantur. *Et ſanata eſt filia eius ex illa hora*) Propter humilem, ſermonemq; fidelem, filiam deſeruit dæmonium, vbi datur exemplum cathezizandi & baptizandi infantes, quia per fidem ſcilicet & confeſsionem parentum, in baptiſmo liberantur à diabolo paruuli, qui nec dũ per ſe capere, vel aliquid boni vel mali poſſunt facere. *Et cùm tranſiſſet inde Ieſus.*) Exiens de finibus gentilium, venit in Iudæam, quia cùm plenitudo gentium intrauerit, tunc omnis Iſrael ſaluus erit. Myſticè autẽ mare, iuxta quod venit Ieſus, turbida & tumentia huius ſeculi volumina ſignificat, in quibus praui delectãtur, quaſi piſces in mari, ſed illud mare factum eſt Galilææ, cùm à vitijs ad virtutes tranſmigrare cœperunt.

Et aſcendens in montem, &c.) Quia in mõtem aſcendit, auditores ſuos ad altiora inuitat. Dominus enim in monte, verbũ eſt in alto. Notandũ eſt, quia ipſe non ſtans, ſed ſedens loquitur, quia ſe humiliauit, vt nobis loqueretur. Nõ enim illum intelligerent homines in ſua maieſtate fulgentem. Vel in monte dicitur ſedere, quia in cœleſtibus docuit ſeſsionem, id eſt, requiem eſſe quærendam.

Et acceſſerunt, &c.) Cùm enim ſe in mũdo ita humiliaret, multi ad fidẽ illius cõuerſi ſunt. Multi ſunt, qui Deum non laudant, nec fidem confitentur. Cæci ſunt, qui non intelligunt viã vitæ, nec animaduertunt. Surdi ſunt, qui nõ obtemperant, quamuis intelligãt. Claudi ſunt, qui præcepta partim implent, partim non implent. Vel qui valentes in carnali intellectu, claudicãt in ſpirituali. Qui autem proijciunt eos ad pedes eius, ſunt Doctores Eccleſiæ, qui infideles humiliant ſub pedibus Domini. Vnde Zacha-

rias: Ad dirigẽdos pedes noſtros in viam pacis.

Ieſus autem conuocatis diſcipulis,& cæt.) Notandum eſt,quòd prius aufert debilitates, & poſteà cibat, quia prius remouenda ſunt peccata, poſteà anima verbo Dei nutriẽda & paſcenda eſt. Cõuocat diſcipulos,& quod facturus eſt, enarrat,vt doceat magiſtros eccleſię debere minoribus ſua conſilia communicare. Dicit itaq; diſcipulis: *Miſereor turbæ,&c.*) Miſeretur vt homo, vult paſcere vt Deus. Turba myſticè triduò Deum expectat, quia quamuis ſit in fide ſanctæ trinitatis, tamen pane verbi deſiderat paſci. Miſeretur autem, cùm prædicatores mittit. Vel triduò Dominum ſuſtinere dicitur, quia iam in luce trinæ operationis, bene poſita eſt,id eſt,cogitationis,locutiõis, & bonæ actionis. Et tamen in verbo diuino enutriri & ſatiari deſiderat.

Et non habent quod manducent, & cæt.) Quaſi dicat:Ideò neceſſariũ eſt,vt eos paſcã doctrina cœleſti, qui ſine mea paſsione nihil poſſunt facere,quia non habent vnde confortẽtur: & ideò nolo eos dimittere ieiunos à cibo meæ prædicationis, & admonitionis, ne deficiant in via huius peregrinationis. Vel triduò ſuſtinent me homines,hoc eſt,in præſenti vita,quæ tribus temporibus cõſtat, ſcilicet ante legem,ſub lege, ſub gratia. Quartum tẽpus reſtat in futuro, vbi erit dies ſine nocte. In præſenti ergò Dominus expectatur,donec ad quartum perueniatur.

Dicũt ei:Vnde nobis in deſerto panes tanti,vt ſaturemus turbam tantam?) Patet his verbis diſcipulos adhuc eſſe rudes, qui non recordantur quinque millia hominum quinq; panibus eſſe ſatiata.

Myſticè.) Prædicatores poſiti in deſerto iſtius mundi, & videntes Eccleſiá magis ac magis dilatari quotidie, mirantur, vbi tot ſentẽtiæ poſſunt inueniri, vnde tot milia poſſunt ſatiari. *Quot panes habetis?* Quærit non ignarus, ſed docendo reſponſurus. *At illi reſponderunt: Septem, & paucos piſciculos.*) Myſticè Dominus reſpondet prædicatoribus ſuis, qui verbum prædicationis timent deficere. Quaſi dicat: Vos miramini, vnde tot milia poſſunt ſatiari, ſed nolite mirari, quia prædicatio Euangelij, & exempla beatorũ virorum, ſatis ſufficient ad eos reficiendos. Bene ſeptem panes in myſterio noui Teſtamenti ponuntur, in quo ſeptiformis ſpiritus ſancti gratia, plenius fidelibus cunctis,& credenda reuelatur, & credita datur. Neque hordeacei eſſe prodũtur,ſicut illi quinq;, de quibus ſunt quinque milia hominum ſaturata, iterũ ſicut in lege vitale alimentũ corporalibus ſacramentis obtegeretur. Hordei etenim medulla tenaciſſima palea tegitur. Pauci verò piſces,ſignificant alias ſcripturas,quas habemus,præter nouum Teſtamentum ad ędificationem noſtram. Vel paucos fideles perfectos noui Teſtaměti, qui de fluctibus huius ſeculi erepti, ſuo exẽplo nos inſtruẽdo reficiunt,ne in via deficiamus. *Et præcepit turbæ,ut diſcumberent ſuper terram,&c.*) Quia per ſcripturam noui Teſtamenti non ſolùm carnis deſideria calcare, ſed & facultates temporales, quæ per terram ſignificãtur, derelinquere præcipimur.

Et accipiens ſeptem panes, gratias agẽs.) Gratias agit, vt oſtendat ſe cõgaudere de ſalute hominum, & nos ad agẽdas gratias informaret in temporalibus. Panes fregit,cùm ſacramẽta figurarum aperuit,quibus nutriendus erat populus fidelium,dedit diſcipulis,& diſcipuli populo, quia per prædicatores Euangelica doctrina populo miniſtratur. *Et comederunt,* cùm verbũ diuinum audierunt, & mente ſuſceperunt. *Et ſaturati ſunt,* quando audita opere compleuerunt. *Et quod ſuperfuit de fragmentis,tulerunt ſeptem ſportas plenas, &c.*) Sportæ ſunt prædicatores, quia ſportæ ſunt de iũco, & de folijs palmarum ſolent cõtexi. Iuncus verò ſuper aquas ſolet naſci Palma verò victoribus datur. Iunceis ergò vaſis meritò comparantur electi, qui radicem cordis in fontem vitæ collocãt, ne à bonis operibus areſcant.

Aſſimulantur & palmis, quia victores huius mundi exiſtunt. Septẽ fuiſſe memorantur,propter ſeptiformem gratiam,qua complẽtur. Fragmenta ſubtilitatem myſteriorum Dei ſignificant,quæ nõ poteſt capere populus,& ideò ſportis traduntur, id eſt, doctoribus Eccleſiæ reſeruantur.

Erant autem,&c.) Meritò quatuor millia ſunt hominum refectorũ, propter quatuor partes mundi,de quibus collecti ſunt. Vel per quatuor Euangelia, quibus refecti ſunt. *Extra parvulos & mulieres,&c.*) In quatuor milibus perfectos intelligimus,quia millenarius perfectus eſt numerus. Paruuli verò paruos in fide ſignificant. Mulieres verò molles vitijs effluentes deſignãt, qui tamen prædicationem inter bonos recipiunt. Notandum eſt,quia duæ paſsiones in Euangelio leguntur,vna ad actiuos,altera ad contemplatiuos pertinet. In alia, quinq; panes ſub figura veteris Teſtamenti,in quo licentia temporalium datur,miniſtrati ſunt. In hac,ſeptem panes ſub figura noui Teſtamenti, in quo præcipitur, Vade,vẽde omnia quæ habes,& da pauperibus, populo appoſiti ſunt. Vtraq; refectio in monte eſt celebrata, quia vtriuſq; Teſtaměti ſcriptura rectè intellecta, altitudinẽ nobis cœleſtiũ præceptorum mandat,& præmiorum. In alia, ſederunt ſuper fœnum, in hac autem ſuper terram. Fœnum enim carnẽ & carnalia deſideria ſignificat,iuxta illud: Omnis caro fœnum,& omnis gloria eius quaſi flos agri. Terra verò temporalia bona exprimit. Præcipitur ergò actiuis, vt fœnum calcent,id eſt. deſideria carnis. Cõtemplatiuis verò terram, id eſt, terrenas facultates relinquere,& conculcare præcipitur. Ibi quinq; millia, hic quatuor paſcũtur, quia actiui quinq; ſenſibus corporis ſubiacent, dum vacant exterioribus bonis. Contemplatiui verò à temporalibus poſſeſsionibus denudati ſunt, iuxta hoc quod Euangeliũ præcipit,& ideò quatuor ſunt, quaſi doctrina quatuor Euangeliorum refecti, vel quatuor principalibus virtutibus ornati.

Et dimiſſa turba aſcendit in nauiculam, & venit in fines Magedan,&c.) Hic docet,quia prædicatores miniſtrato verbo vitæ populo,ipſi intra cubiculum cordis virtutum pomis debent refici. Vnde meritò in fines Magedan tendere dicuntur. Quæ, quæ poma vel nuncia interpretatur.

CAPVT XVI.

ET acceſſerunt ad eum Phariſæi & Sadducæi,quærentes ſignum de cœlo,&c.) Petebant enim tentando,vt more Heliæ ignem de ſublimi venire,vel in ſimilitudinem Samuelis tempore æſtiuo mugire tonitrua faceret, vel qui paucis panibus multos ſatiauit,nec in exemplum Moyſi de cœlo mitteret. Aliter enim non videretur eſſe perfectus, & à Deo miſſus, niſi ſigna de cœlo oſtẽderet, quaſi non poſſent & illa calumniari, & dicere ex occultis & varijs aëris paſſionibus accidere.

At ille reſpondens,ait illis,&c.) Increpat eos,qui cũ videbãtur legis doctores,& Prophetarum, vaticinio non potuerunt intelligere aduentum Chriſti, & cùm qualitatẽ temporis futuri ex ſignis præcedentibus cognoſcerent,rem tam neceſſariam ex ſignis ſuis cognoſcere negligebant. Et hoc eſt: Vos dicitis craſtinum ſerenũ fore,quia cœlum rubicundum videtis facto veſpere,& dicitis mane,hodie erit tempeſtas,nam rutilat cœlum triſte,id eſt,ſol rubicundus apparet. Itaque faciem cœli cognouiſtis diſcernere, ſigna autem temporum aduentus mei nõ poteſtis animaduertere. Myſticè quidem veſperum, in quo cœlum rubicũdum eſt,paſsionem Chriſti, qua proprio ſanguine rubicundatus eſt, deſignat. Craſtina verò ſerenitas, quæ veſperum ſubſequitur, lætitiam dominicæ reſurrectionis inſinuat. Vnde Dauid: Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Quòd verò dicẽdo ſubdit: Manè quidem dicitis,hodie erit tempeſtas, quia rutilat triſte cœlum, ſubtiliter edocet,poſt reſurrectionis dominicæ gaudium per manè deſignatum, ſubſequi tribulatiões fidelium ſuorum, quibus etiam quodammodo potuit intelligi, & prævideri iudicium vniuerſale futurum. *Generatio mala & adultera ſignum quærit,&c.*) Mala erat in vitijs ſuis. Adultera,per infidelitatẽ à Chriſto recedens,qui verus ſponſus eſt, & diabolo, quaſi alieno viro adhærens. Generatio carnalis ſignum quærit de cœlo, & iuxta meritum illius ſignum de cœlo nonoffertur. Qui enim cœleſtes fuerunt, ſignum de cœlo meruerunt,ſicut Apoſtoli, qui transfiguratio nem in monte viderunt, & eum aſcendentem in cœlum aſpexerunt. Eis autem qui eum interfecturi erant, ſignum interfectionis oſtendere voluit. Ionas enim Chriſtum ſignificat,qui ſimplicitate innocentiæ columbinus erat. Ionas enim columba interpretatur. Nautæ ſignificant Iudæos,qui dederunt eum ceto & morti. Tempeſtas verò flatum immũdorum ſpirituum deſignat. Cetus tertio die Ionam euomuit, & mors Chriſtum tertio die vitæ reddidit. *Et relictis illis, abijt,&c.*) Nota quòd non ſicut in alijs locis legitur, dimiſsis turbis abijt, ſed quia infidelitatis error,inſolentium animos obtinebat, nõ dimiſit eos,ſed reliquit. Per quod iterum ſignificat ſe Iudæos relinquere, & ad Gentes tranſire. *Et cùm veniſſent diſcipuli eius trans fretum, obliti ſunt panes accipere.*) Quærat aliquis quomodo panes non habebant? qui ſtatim impletis ſeptem ſportis aſcenderunt in nauiculã, & venerunt in fines Magadan,vbi quoq; audiũt nauigãtes,quòd cauere debeant à fermento Phariſæorũ. Sed ſcriptura dicit:obliti ſunt eos ſecum tollere. Quod indiciũ eſt, q̃ modicã carnis curã haberẽt in reliquis,quibus ipſa reficiẽdi corporis neceſsitas, quę naturaliter cũctis ineſt, intẽtione dominici comitatus, & dulcedine veri panis, qui cum eis erat,mente exciderat. Qui dixit illis: *Intuemini, & cauete à fermento Phariſæorum,&c.*) Fermentum Phariſæorum, eſt decreta legis diuinæ traditionibus hominũ poſtponere, vel etiã legẽ verbis prædicare,& factis impugnare, Dominũ tẽtare, nec doctrinæ aut operibus eius credere. Ab huiuſmodi fermẽto præcepit eis cauere. At illi cogitabant intra ſe dicentes,quia panes non accepimus, ideò non vult, vt de panibus eorũ comedamus,& fortaſsis ieiunantes deficiemus.

Ieſus ſciens hoc, dixit eis: Quid cogitatis inter vos? &c.) Quaſi dicat: Quare vos nõ intelligitis, quod aliquid myſticè ſignificatur per quinq; panes & quinq; milia, & per ſeptem panes,& quatuor milia,& per duodecim cophinos & ſeptem ſportas,vt cùm per panes doctrinæ ſpirituales ſignificentur,per fermentũ Phariſæorũ, traditiões eorũ peruerſas ſignificari intelligatis

Venit autem Ieſus in partes Cæſaręæ Philippi,&c.) Quia mortem ſuã Apoſtolis reuelare volebat,prius in fide ſua eos vult confirmare, ne audita infirmitate ſuæ paſsionis titubẽt. Cõfirmaturus ergò eos in fide,prius opinionem & errorem aliorum à mentibus eorum voluit remouere. Veniẽs ergò in partes Cæſarę Philippi,interrogat diſcipulos. Iſte locus eſt,vbi Iordanis oritur ad radices Lybani mõtis,ex Ior & dan duobus fontibus. Vbi etiã Philippus frater Herodis extruxit Cæſarẽã in honorẽ Tyberij Cæſaris,imitatus patrem ſuũ Herodem, qui in honorem Auguſti Cęſaris, Cæſarẽã appellauit illã,

quæ prius turris Stratonis vocabatur. Sequitur:

Quem dicunt homines esse filiũ hominis?) Se vocat filium hominis, & de se filio hominis quærit, quem eum esse dicunt homines? Pulchrè qui de Domino diuersam sentẽtiam ferunt, dicuntur homines. De Apostolis autem dicit:

Vos autem, quem me esse dicitis?) Quasi à numero hominum eos segregans. Quasi dicat: Vos autem, qui non estis homines, sed filij Dei: & ideò dij, quem me esse dicitis? Propter humilitatem se vocat filium hominis potiùs, quàm filium Dei. Vel quia homines eum æstimabant filium hominis, non filium Dei.

Alij Ioannem Baptistam, &c.) Errare potuerunt in Heliam, & in Ieremiam, quomodo Herodes errauit in Ioannem dicens: Quem ego decollaui Ioannẽ, ipse surrexit à mortuis, & virtutes in illo operãtur. Respondens Petrus, quãuis eadem voluntas esset omniũ Apostolorum, tamẽ Petrus pro omnibus respõdit: Tu es Christus filius Dei viui. Complexus est omnia, quia naturã & nomen expressit, in quo summa virtutum est. Deum viuũ appellat ad distinctionem falsorum Deorum. Notandum est, quia cũ Dominus assumptæ humanitatis humilitatem profitetur, de se intimauit quod minus est, discipulus verò de eo intimat quod maius est. Dominꝰ de se intimat, quod factus est propter nos, discipulus verò, quia ipse est qui fecit nos. *Respondens autem Iesus, dixit ei, &c.*) Quando quidem tam perfecta fidei confessione polles, ego, cuius dicere facere est, dico tibi: O Simon beatus es, Simon dico Bariona, id est, qui tali confessione ac pia simplicitate, vocari debes filius columbę, vel filius diuinæ gratiæ, qui in specie colũbæ dicitur super ipsum descendisse. Bariona Syriacè, Latinè dicitur filius colũbæ, quod nomen illi à Domino rectè impositũ est, quia colũba multũ simplex animal est, ac ipse prudenti, ac pia simplicitate Dominũ sequebatur, memor illius præcepti: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Filius quidem spiritus sancti fuit ab eo tempore, quo ab ipso illuminatus gratiã diuinæ cognitionis accepit: & quia vna est voluntas, eademq; operatio sanctæ trinitatis, rectè cũ dixisset: Beatus es Simon Bariona, id est, filius gratiæ spiritualis, protinùs adiunxit, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est, Pater mittit spiritũ, Filius mittit spiritũ. Spiritus vbi vult spirat, quia ꝓfectio vna est volũtas, vt diximus, & operatio patris & filij, & spiritus sancti, & propterea conuenienter dicitur, quia pater reuelauit filio colũbæ misteriũ fidei, quod ei caro & sanguis reuelare nequibãt. Caro aũt & sanguis rectè intelliguntur paternũ & maternum genus, vel homines sapientia carnali inflati, & colũbinæ simplicitatis nescij, quales fuerunt illi, qui dicebãt Christum Ioannem vel Heliam. Vel certè per carnem & sanguinem Iudæos propriè significat, quod ei non per doctrinam Pharisæorum, sed per Dei gratiam reuelatum est, Christum hominem esse Dei filiũ. Vnde Paulus: Continuò non acquieui carni & sanguini, Iudæos designans. Sequitur:

Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & cæt.) Non est intelligendum, tunc accepisse hoc nomen, sed potiùs tunc, quando dictum est: Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus, vt eum Dominus posteà hoc nomine appellaret dicens: Tu es Petrus, Non dixit, tu vocaberis Petrus, sed dixit, iam es Petrus. Vel quando Andreas duxit Petrum fratrem suum videre Messiã, cùm dixit Petro Dominus. Vel cùm dictum sit: Tu vocaberis cephas, quod interpretatur Petrus, possumus dicere, hoc nomen tunc ei esse promissum, modò autẽ esse completum: & ideò tunc dictum est, tu vocaberis, modò autẽ tu es Petrus, ob fortitudinem fidei, & tuæ confessionis, Petrus dico, dictus à me petra.

Et super hanc petram, id est, super me, *ædificabo Ecclesiam meam.*) Quasi dicat: Sic es Petrus à me petra, vt tamen mihi reseruetur fundamenti dignitas: Sed tu, cui ego vt amatori & confessori meo participium mei nominis dedi, super me fundamentũ, mundos lapides ordinabis, & reprobos remouebis, & portæ inferi, id est, peccata, vel hæretici, vel blandimẽta, vel quælibet talia non præualebunt aduersus eam Ecclesiam, Qui enim intimo amore cordis fidẽ Christi perceperit, facilè quicquid extrà ingruerit, vincet.

Et tibi dabo claues regni cœlorum, &c.) Qui regem cœlorum tanta deuotione confessus est, meritò collatis clauibus regni cœlestis donatus est, vt omnibus constaret, quia absque fide & confessione nullus regnum cœlorũ posset intrare. Claues autem regni cœlorum ipsam discernendi sententiam & potentiam nominat. Potentiam, qua liget vel soluat: Discretionem, qua dignos vel indignos discernat. Qui enim aliquid indignè soluit vel ligat, vt ait Gregorius, à propria potestate se priuat. Si scientiam discernendi habet, nec tamen potentiam suscepit ligandi atque soluendi, neminem ligat neque soluit. Si autem potestatem accepit, nec tamen bene discernit, si quem ligat vel soluit, quamuis in conspectu hominũ, tamen in conspectu Dei, qui ligatur: immeritò vel soluitur, nec ligatus nec solutus habetur. Et ideò, quod sequitur, ita exponendum est. Quodcunq; ligaueris, subaudi his clauibus, id est, ex potentia & discretione super terram, erit ligatum & in cœlis, & cæt. Notandum, quòd dicit, super terram. Non enim data est hominibus potestas ligandi vel soluendi mortuos, sed viuos. Mortuos enim soluendi vel ligandi: potestas soli Deo reseruata est. Vnde dicitur: Deus, cui soli competit medicinam præstare post mortem. Ligare & soluere est super terram viuos excõmunicare, vel absoluere.

Qui

Qui autem mortuum absolueret, vel ligaret, nõ super terram, sed post terram hoc faceret. Notandum est, quòd hæc potestas non solùm Petro data est, sed sicut Petrus vnus pro omnibus respondit, sic in Petro omnibus hanc potestatem dedit. Vnde post passionem dictum est: *Quorum remiseritis peccata, &c.*) Nec solis Apostolis, sed etiam omnibus Episcopis & presbyteris, hæc potestas concessa est. Sed ideò, quasi ꝟni Petro eam concesserit specialiter, vt ad vnitatẽ nos inuitaret. Ideò enim eum principem Apostolorum instituit, vt Ecclesia quasi vnum principalem vicarium Christi haberet, ad quem diuersa Ecclesiæ membra recurrerent, si fortè inter se dissentirent, quoniam si diuersa essent capita in Ecclesia, vnitatis vinculum rumperetur per diuersa schismata.

Tunc præcepit discipulis suis, vt nemini dicerent, &c.) Quæritur cùm in superiori missione præcepisset eis annunciare, regnum cœlorum appropinquare. Appropinquatio aũt illa erat per aduentum eius. Cur modò prohibeat ostendere eos, quia Iesus Christus est ipse? Respõdit: Cùm suæ passioni appropinquaret, sciens quia passio eius scandalum in mẽtibus credentium generaret, voluit deinceps ante passionem se Christum non prædicari, ne nouiter conuersi ad fidem, videntes eũ mori, retrorsum abeuntes peius aberrarent. In missione verò non prohibuit, cũm homines adhuc in fide possent confirmari. Exinde cõfirmatis animis Apostolorum, in fide tãdem passionẽ suã eis reuelauit, sed eos per resurrectionis prænunciationem confortauit. Litera satis patet. *Et aßumens, &c.*) Nimij ardoris erat Petrus in Dominũ, & ita audita passione, ex affectu amantis eũ separatim apprehensum increpat: separatim ideò, ne magistrum arguere videretur. *Qui conuersus dixit Petro: Vade post me Sathana, &c.*) Sathanas interpretatur aduersarius, siue contrarius, quia contraria, inquit, ioqueris voluntati meæ, debes aduersarius appellari. Diabolo dictum est: Vade Sathanas. Petro verò: Vade post me Sathanas. Quasi dicat: Noli præcedere, insinuãdo quid debeã facere. Immò vade post me, id est, sequere me, & voluntatem meam addisce. Multi putant, quòd Petrus nõ sit correptus, sed aduersarius spiritus, qui hoc dicere Apostolo suggerebat. Sed error Apostolicus, & de pietatis affectu veniens, nunquam incentiuum diaboli debet videri. *Scandalum mihi es,* id est, me offendis, dum vis præire, quia non sapis ea, quæ Dei sunt. Meę enim voluntatis est, & patris, cuius veni facere voluntatem, vt pro hominum salute moriar, tu autem tantùm considerãs tuam voluntatem, non vis granum tritici in terram cadere, vt multum fructum afferat.

Tunc Iesus dixit discipulis, &c.) Postquã discipulis mysterium suæ passionis & resurrectionis ostendit, hortatur eos ad suæ passionis exemplum, vt per patiẽtiam idem recipiant prẽmium, dicens ita:

Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & cæt.) Quasi dicat: Ego patiar, & si quis vult venire post me, abneget se. Alibi, vbi dicitur: Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Præcipimur abnegare nostra ibi, hic autem nos præcipimur. Tunc autem nos ipsos abnegamus, cùm vitamus, quod per vetustatem fuimus, & ad hoc nitimur, quo per nouitatem vocamur. Pensemus quomodo Paulus se abnegauerat, qui dicebat, viuo autem iam non ego. Extinctus quippe fuerat fœuissimus ille persecutor, viuere cœpit ille pius prædicator. Si enim ipse esset, pius profectò non esset. Sed qui se viuere denegat, dicat vnde est, quòd sancta verba per doctrinam veritatis clamant, viuit verò in me Christus. Ac si apertè dicat: Ego quidem à me ipso extinctus sum, qui carnaliter nõ viuo, sed tamen essentialiter mortuus non sum, qui in Christo spiritualiter viuo. Dicat ergo veritas, dicat: Si quis vult me sequi, deneget seipsum, quia nisi quis à semetipso deficiat, ad eum qui super ipsum est, non appropinquat, nec valet apprehendere quod vltra ipsum est, si nescierit mactare, quod est, sed iam qui se à vitijs abnegat, exquirẽdæ sunt ei virtutes, in quibus crescat. Nam cùm dictũ est: Si quis vult me sequi, deneget semetipsum, protinùs adiungitur:

Et tollat crucem suam, & sequatur me.) Duobus etenim modis crux tollitur. Cùm aut per abstinentiam affligitur corpus, aut per compassionẽ proximi affligitur animus. Pensemus qualiter vtroq; modo Paulus suam crucem tulerat, qui ait: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Ecce in afflictione corporis audiuimus crucem carnis, nũc in compassione proximi audiamus crucem mentis. Ait enim, quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Perfectus quippe prædicator, vt exemplum daret abstinentiæ, crucem portabat in corpore: & quia in se trahebat damna infirmitatis alienæ, crucem portabat in corde.

Qui enim voluerit animam suam saluã facere, perdet eam, &c.) Ideò debet se abnegare, & crucem portare, quia qui voluerit vitã suam seruare in mundo, si tempus fuerit martyrij, perdet eam, hoc est, vitam in futuro, quasi dicat: Qui vitam temporalẽ noluerit pro Christo perdere, non ambigat vitam æternam se amittere, & posteà addit oppositum.

Qui autem perdiderit animam suam, id est, destruxerit vitam temporalem, *propter me,* in futuro *inueniet eam,* non videlicet eandem, sed vitam pro vita, æternam pro momentanea. Hæc omnia de tempore persecutionis sunt intelli-

genda, quia quæ ſequuntur temporibus pacis conueniunt, cùm ait:

Quid enim prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, & cætera.) Notantur hic duo martyria, aliud in effuſiõe ſanguinis, quod euenit tempore perſecutionis, aliud in mortificandis deſiderijs, quod in tempore pacis ad idẽ continuatur. Verè debet tollere crucem, omnia mala damna patiendo. Nam quid prodeſt homini habere proſperitatem in mundo, & temporalia bona obtinere & diligere, ſi per hoc patiatur detrimentum animæ? Melius eſt aduerſitates & damna pati in mundo, quàm pœnam pati in inferno. Et hoc eſt: Quid enim prodeſt, & cætera.

Aut quam dabit, &c.) Hoc duobus modis poteſt intelligi, quam dabit homo commutationem pro anima? id eſt, quam retributionẽ poteſt ſoluere Domino pro anima ſua redempta & ſaluata? Certè non ſunt condignæ paſsiones huius temporis, &c. Aut pro anima perdita in inferno, quæ commutatio, id eſt, redemptio, poteſt dari? Certè ſi parentes totã pecuniã mundi darent pro anima dãnati, nihil proficerent, quia Dominus dabit vnicuiq; ſecundum quod meruit, non ſecundum merita parẽtum. Et hoc eſt: *Filius enim hominis &c.*) Secundum priorẽ ſententiã ita continuatur. Nulla retributio poteſt Chriſto ſolui pro anima ſaluata, quia gloria tãta eſt, quòd filius cum angelis in gloria veniet. *Amen dico uobis, &c.*) Voluit pius magiſter aliquibus diſcipulorum ſuorũ adhuc in terra degentibus, ęternę promiſsionis gaudia mõſtrare, quatenus & ipſi, qui vidiſſent, & omnes qui audire poſsẽt leuius aduerſa præſentia tolerarẽt, reducto ſæpius ad mentẽ futurę retributiõis munere quod expectarent. Et hoc innuit in his verbis, quaſi dicat: Dixi quia venturus eſt in gloria patris. Vultis autem ſcire quanta ſit gloria? Amen dico vobis, quòd ſunt quidam de hic ſtãtibus, id eſt, Petrus, & Ioannes, & Iacobus, qui non guſtabunt mortem, donec videant filiũ hominis in regno venientem, id eſt, apparẽtem in claritate, quam habiturus erat in regno, quod completum eſt in transfiguratione, de qua ſtatim ait Euangeliſta:

CAPVT XVII.

ET poſt dies ſex, &c.) Matthæus & Marcus dicunt, poſt dies ſex hoc eſſe factum. Lucas verò poſt octo. Dicendum eſt ergo Matthæum & Marcum medios tãtùm dies poſuiſſe, & primum & poſtremum non connumeraſſe, & ideò dicunt poſt dies ſex, id eſt, trãſactis ſex diebus integris, qui futuri erant poſt illum diem, in quo hæc dicta ſunt. Lucas verò primum & poſtremum cum medijs numerat, ad eandem ergo ſententiam conueniunt. Meritò poſt ſex dies gloriam ſuam oſtendit, & octauo die, quia poſt ſex ætates mundi, eſt futura reſurrectio, & in octauo die, id eſt, finito tempore mundi, quod per ſeptem dies agitur, venturus eſt in ineffabili gloria ſua. Tres aſſumpſit, vt fideles tantùm, qui fide ſanctæ Trinitatis imbuti ſunt, in claritate futuræ reſurrectionis aſſumendos ſignificaret. Nomina etiã conueniunt. Vnuſquiſq; enim fidelis debet eſſe Petrus, id eſt, firmus in fide. Poſteà Iacobus, id eſt, ſupplãtator vitiorum. Poſteà Ioannes, id eſt, aſſcribẽs omnia gratiæ Dei contra ſuperbiam vitæ, quæ ſolet oriri ex virtutibus.

Et ducit illos in montem, &c.) Significãs illos qui reſurrecturi ſunt ad gloriam, id eſt, in cœlum aſcenſuros. Vel ideò in montem, vt doceat omnes qui hanc gratiam videre deſiderãt, non in infimis iacere voluptatibus, ſed potiùs ad ſuperna erigi, iuxta illud: Noſtra conuerſatio in cœlis eſt. Seorſum illos ideò ducit, vt per hoc ſignificaret iuſtos à malis in iudicio ſeparandos.

Et transfiguratus eſt.) Non ſubſtantiam carnis amittendo, ſed gloriam futuræ reſurrectiõis oſtendendo. *Et reſplenduit facies eius ſicut ſol,* id eſt, in exemplum futuræ claritatis, quam iuſti recipient ſublatis impijs. Soli faciem ſuam comparauit, quia clarius in mundo nihil inueniri potuit. *Veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix.*) Veſtimenta Chriſti ſanctos ſignificant, de quibus Iſaias: Omnibus his velut indumẽto veſtieris. Veſtimenta niui comparãtur, quia & candidi erant virtutibus, & omnis æſtus vitiorũ ab eis remotus eſt. Veſtimẽta ſecundũ Marcum, fuerunt ſplendida, ſicut nix, qualia fullo ſuper terrã non poteſt candida facere, quia nemo eſt qui ſine contagione alicuius peccati, viuere poſsit ſuper terrã. Sed quòd fullo, id eſt, doctor animarum, ſiue aliquis mũdator ſui corporis eximius ſuper terram nõ poteſt, dominus in cœlo faciet mundans eccleſiam, id eſt, veſtem ſuam, ab omni inquinamento huius carnis ac ſpiritus. *Et ecce, apparuit illis Moyſes, & Helias, cum eo loquẽtes.*) Moyſes & Helias, quorum vnum in cœlum raptũ legimus, alium mortuũ in maieſtate cum Deo, vt Lucas ſcribit, futuram illis omnium ſanctorum gloriam ſignificat, qui ſcilicet tempore iudicij, vel viui ſunt in carne reperiendi, vel olim guſtata morte reſuſcitãdi, & pariter cum illo ſunt regnaturi, dicente Apoſtolo: Mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi, deinde nos qui viuimus, &c. Moyſes ergo & Helias, omnes cũ Chriſto regnaturos ſignificãt. Moyſes mortuus mortuos, Helias viuus eos omnes, qui viui inuenientur. Aliter: Moyſes & Helias, hoc eſt, legislator & Prophetarũ eximius apparent, & loquuntur cũ domino de paſsione & reſurrectione eius, vt oſtendant ipſum eſſe, quẽ cũcta legis & Prophetarum oracula promiſerunt. Apparent autẽ non in infimis, ſed in monte cum illo, qui nimirum ſoli illi qui mẽte deſideria terrena tranſcẽdunt, maieſtatem ſanctæ ſcripturæ quæ in Domino eſt

eſt adimpleta, proſpiciunt. Cum eo etiã loquebantur, quia referebant quod vera fuerunt verba prophetarum de aduentu ipſius & ſalute hominum. Significant etiam duas regenerationes, quarum vna eſt in baptiſmate, vbi anima reſuſcitatur. Altera eſt in reſurrectione vbi caro reſuſcitabitur, de qua dicitur: In regeneratione cũ ſederit filius hominis, &c. Moyles qui aquaticus interpretatur, reſurrectionem baptiſmatis ſignificat primam. Helias qui ſol interpretatur, Helias enim græce dicitur ſol, regenerationem ſecundam ſignificat, in qua iuſti fulgebunt ſicut ſol. Meritò ergo duo viri tales apparuerunt, qui ſignificant fideles primæ regenerationis participes, & ſecundam per eam expectantes.

Reſpondens autem Petrus, dixit ad Ieſum: Domine bonum eſt, &c.) Quia guſtata cœleſti dulcedine vileſcunt infima, Petrus viſa domini & ſanctorũ maieſtate, ſolis his perpetuò vult adhærere, dicens: Domine bonum eſt nos hic eſſe. O quanta fœlicitas eſt viſionis Deitatis inter angelorum choros, ſi tantum transfigurata Chriſti humanitas, & duorũ ſanctorũ ſocietas, ad punctum viſa delectet. Neſciebat Petrus ſecundum alium Euangeliſtam, quid diceret, qui oblitus eſt regnum ſanctis à domino non alicubi terrarũ, ſed in cœlis eſſe promiſſum, & qui in gloria cœleſti tabernacula quærit, vbi nulla aduerſitatis aura eſt timenda, quia Deus omnipotens templum eius eſt & agnus, ſed in hoc tamẽ ſciebat, quod dicit, bonum eſt nos hic eſſe, quia verè ſolùm & perfectum hominis bonũ eſt intrare in gaudium domini ſui & permanere. Fulgentius. Quod ſi Petrus videns glorificatam humanitatem, tanto afficitur gaudio, vt nunquam velit ab huius intuitu ſecerni, quid putandũ eſt de his qui diuinitatem merebuntur videre? Et notandũ, quia in hoc etiam Petrus peccat, quod dominum & ſeruos parificat, dicens:

Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Heliæ vnum.) Simul etiam videndum, quia reſponſionem Domini non meruit, eo quod imprudenter quæſiuit. Sed figuræ cuiuſdam rei myſteriũ accepit. Quæſiuit enim tabernaculum materiale, & vmbraculum nubis accepit, vt diſtat in reſurrectione mortuorũ, nõ domorũ tegmine, ſed ſpiritus ſancti gloria ſanctos protegendos eſſe. Vnde ſequitur:

Adhuc eo loquẽte, &c.) Et ecce vox, &c.) Notandum eſt, quia bene conuenit myſterium ſecundæ regenerationis, cum myſterio primæ. In baptiſmate enim Chriſti, operatio totius trinitatis oſtenſa eſt. Fuit enim filius ibi incarnatus. Apparuit in ſpecie colũbæ ſpiritus ſanctus, & pater in voce fuit ibi declaratus. In transfiguratione enim quæ ſacramentum fuit ſecundæ regenerationis, ſimiliter tota Trinitas apparuit, quia in voce pater, in nube ſpiritus, in carne filius. Quæritur autem, quare ibi ſpiritus in colũba, hic autẽ in nube declaratus eſt? Dona enim ſua per ſpecies declarare ſolet. Innocentia enim in baptiſmate datur, quæ per auem ſimplicitatis deſignatur. Daturus eſt autem claritatem & refrigerium omnis voluptatis, & carnalis fomitis in reſurrectione. In nube refrigerium. In fulgegore nubis, claritas reſurgentium corporum figuratur, cum dicat, ipſum audite. Cõcordat verbis Moyſi, in quibus teſtimonium incarnationis dominicę ferens aiebat. Prophetã vobis ſuſcitabit dominus de fratribus veſtris, tanquam me ipſum audietis, iuxta omnia quæ locutus fuerit vobis. Omnis autem anima, quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe. Quem ergo Moyſes cũ veniret in carne, audiendũ ab omni anima, quæ ſaluari vellet prædixit: hunc iam venientem in carne, Deus pater audiendum diſcipulis oſtendit, & ſuum eſſe filium, cœleſti voce ſignauit.

Et audientes diſcipuli, ceciderunt, &c.) Triplicem verò ob cauſam terrentur, vel quia ſe errare cognouerant, vel quia nubes lucida operuerat eos, aut quia Dei patris vocem audierãt. Humana enim fragilitas conſpectũ maioris gloriæ ferre non poteſt. Toto itaq; corpore & animo, cõtremiſcentes ad terrã cadunt, quia quanto quis ampliora quæ ſierit, tanto magis ad inferiora delabitur, ſi menſuram ſuam ignorauerit. *Et acceſsit Ieſus, &c.*) Quia illi iacebant, & ſurgere non poterant, ipſe clemẽter accedit & tangit, vt tactu membra timore debilitata ſolidentur. & verbo conſolatur dicens. *Surgite, nolite timere. Leuantes autem oculos. &c.*) Vbi filius cœpit deſignari, mox diſceſſerunt ſerui, ne ad illos vox paterna emiſſa videretur. Viderunt autem Ieſum ſtãtem ablata nube, & Moyſen & Heliam euanuiſſe, quia poſtquam legis & prophetarum vmbra diſceſsit, quæ velamento ſuo Apoſtolos texerat, verum lumen Euangelij reperitur. Aliter cum fieret vox ſuper filium, inuentus eſt ipſe ſolus, quia cum manifeſtauerit ſeipſum electis, erit Deus omnia in omnibus. Imò ipſe cum ſuis vnus per omnia Chriſtus, id eſt, caput cum corpore ſplendebit, propter quam vnitatẽ dicitur: Nemo aſcendit in cœlum, &c. Notandum quod ad vocem patris, Moyſes in locum ſuum, Helias verò diſceſsit in regionem ſuam.

Et deſcendentibus illis. &c.) Non vult hoc in populis prędicari, ne incredibile eſſet pro magnitudine rei, & poſt gloriam tantam apud rudes animos ſequens crux ſcandalum faceret.

Et interrogauerunt, &cæt.) Traditio Phariſæorum eſt iuxta Malachiam prophetam, qui eſt nouiſsimus in duodecim, quod Helias veniat ante aduentum Saluatoris, & reducat corda patrum ad filios, & filiorum ad patres, & reſtituet omnia in antiquum ſtatum. Exiſtimabãt Apoſtoli transformationem illam eſſe gloriæ vltimam, quam viderant in monte, & dicunt: Si iam veniſti in gloria, quomodo præcurſor non

apparet? Maximè hoc dicunt, quia Heliam tam citò receſsiſſe viderant. Et hoc eſt: *Quid ergo dicunt Scribæ, quod Heliã primùm oportet uenire?* quãdoquidẽ videmus te iã in regno gloriæ tuæ, vbi eſt Helias qui debet præcedere? *At ille reſpondẽs, ait eis: Helias quidẽ uenturus eſt, ut reſtauret omnia,* quę Malachias prophetauit dicens: Ecce ego mittã vobis Heliã Prophetã, antequã veniet dies domini, &c. Vbi dicit, Helias venturus eſt, oſtẽdit iſtum non eſſe ſecundũ aduentũ, & ſic remouet prauã opinionẽ eorũ. *Dico aũt, &c.*) Quaſi dicat: Nõ ſolùm dixi Heliã venturũ, vt probarẽ iſtum aduẽtum nõ eſſe ſecundũ, ſed etiã ad cõprobãdum primum aduentũ dico, Heliã iam veniſſe, ſed nõ cognouerunt eũ, nec amauerunt eũ. Iſte ſcilicet, qui venturus eſt in ſecundo Saluatoris aduentu, iuxta corporis fidẽ, iam venit in ſpiritu & virtute per Ioannẽ, mei aduẽtus primi præcurſorẽ. Et non cognouerunt eũ, ſed potiùs fecerunt in eo quæcunq; voluerunt, & eũ ad vltimũ decollauerunt, Phariſęis cõſentientibus. Sic & filius hominis paſſurus eſt ab eis. Sicut enim in nece Ioannis factio Phariſæorũ conſenſit, ita & in occiſionẽ domini Herodes voluntatẽ ſuã iũxit, quia indutũ veſte alba atq; illuſum, remiſit ad Pilatum. Et notandũ quia Chriſtus ab ei mortẽ paſſurus filius hoĩs appellatur, quia Chriſto in carne paſſo diuinitas impaſsibilis manſit

Tũc intellexerũt diſcipuli, &c.) Intellexerunt dico per indicium ſuæ paſsionis, de qua ſæpe prædixerat illis, & per indicium paſsionis ſui præcurſoris, quam completam viderant.

Et cũ veniſſet ad turbã, &c.) Loca ipſa rebus congruũt. In monte dominus orat & transformatur, corã diſcipulis, oſtendens arcana ſuæ maieſtatis. In inferiora verò deſcendens, turbæ occurſu excipitur, & miſeros audit, caſtigat, docet, confortat. Surſum ſpiritualem vocem patris perfectis pandit: deorſum ſpiritus malos ab his qui vexabãtur, expellit. Pro qualitate enim meritorũ, alijs aſcendit, alijs deſcẽdit. Marcus hũc dicit ſurdũ & mutum, quẽ Matthæus vocat lunaticũ, non quod luna dæmonibus ſeruiat, ſed dæmon curſum lunæ obſeruãs, homines vexat, vt per creaturam infametcreatorẽ. Typicè quidem lunaticus eſt, qui per horarũ momenta mutatur ad vitia, nec perſtat in ꝓpoſito, ſed creſcit & decreſcit, & nunc in ignẽ libidinis fertur, quo corda adulterãtium ſuccenſa ſunt, vel in ignem iræ, quo videntur alta petere, nunc in aquas voluptatis carnalis, quæ molliant & reſoluant rebus mẽtes. de quibus aquis dicitur: Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.

Et obtuli eum, &c.) Latenter hoc dicto accuſat Apoſtolos, cum poſsibilitas curãdi interdum nõ ad imbecillitatẽ curantium, ſed ad eorum fidem referatur, qui curandi ſunt, dicente domino: Fiat tibi ſecundum fidẽ tuam. *Reſpondens autem Ieſus, dixit, &c.*) Non quaſi tædio ſuperatus ac furibundus in hæc verba prorupit, qui vt agnus mitis eſt, ſed quantum ad ſimilitudinẽ medici, qui, ſi ægrotum videat contra ſua præcepta gerentem, dicit: Vſquequo ad domum tu am accedam? vſquequo artis meæ in te perdam induſtriam? me aliud iubẽte, & te aliud faciente. Ita igitur dominus nõ homini iratus, ſed vitio, vt per vnum hominem & Iudæos arguat infidelitatis, ſtatim intulit. *Afferte illum ad me.*) Et eum allatum increpauit Ieſus non dæmonium, vt oſtenderet, peccato ſuo vel parentum ſuorũ, immũdo ſpiritui illum eſſe traditum: vel quod melius eſt, non puerum qui vim patiebatur, ſed dæmonem qui inferebat, increpabat. Quia qui peccantem emendare deſiderat, vitium vtique arguendo, & odiendo depellere, & hominem debet amando refouere. *Et exijt ab eo, &c.*) Marcus de iſto dicit, quod cum vidiſſet dominũ, ſtatim ſpiritus turbauit eum, & eliſus in terra volutabatur, & domino iubente vt exeat, exclamat, & diſcerpens exit, quia ſæpe cum conuerti ad dominum volumus poſt peccata, à diabolo impugnamur magis, vt vel odium virtutis incutiat, vel expulſionis ſuæ iniuriam vindicet. Exiturus diſcerpit, & furenti clamore intuẽtes terruit, quia plerunq; dum corde expellitur, acriores tentationes excitat, qui priùs quietus poſsidebat. *Et curatus eſt puer ex illa hora,* quia nullus prævalet morbus, vbi Omnipotentis interuenit manus.

Tunc acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum ſecreto, & dixerunt: Quare nos non potuimus eijcere eum? Dicit illis: Propter incredulitatem veſtram.) Hic planè datur intelligi, quia quando quis orans non exauditur, non eſt impoſsibilitas præſtantis, ſed culpa deprecantis.

Amen quippe dico vobis, Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, tranſi hinc, & tranſibit, & nihil impoſsibile erit vobis.) Fidem perfectã grano ſinapis comparat, quæ ſcilicet ſit in facie humilis, & feruens in abſcondito pectoris, vilis quidem paſsim intuentibus, nullarũq; viriũ apparẽs, ſed preſſuris attritũ, quid perfectionis intus gerat oſtendẽs..

Notandum eſt etiam, quod granum ſinapis ad purgationem capitis ſaluberrimè prodeſt. Nam ſi optimè tritum & cribratum tepido & pingui mulſo permiſceas, & hoc ieiunus contra ſolem calidũ, vel in balneo gargarizes, omnem humorem noxium, etiam ſi craſsior fuerit, de capite purgat, & imminentium imbecillitatum pericula facit vitari. Sic perfecta fides tentationis piſtillo probata, & ab omni ſuperficie leuium cogitationum cribro diſcretionis caſtigata, & perfectæ dilectionis melle dulcorata, omnes de corde quod eſt interioris hominis caput, vitiorum ſentinas exhaurit, non ſolùm ad præſens, ſed etiam in futurum ne colligantur munit. Ad literam veniamus.

Si habueritis fidem, dico exiſtentẽ, ſicut granũ ſinapis, id eſt, quæ cõparabilis eſt grano ſinapis ſecundũ naturam ipſius, ſi diceretis mõti huic, tranſi hinc, & trãſibit, realiter poteſt intelligi, ſicut legitur beatus Benedictus lapidẽ hortũ ſuũ occupantẽ verbo tranſtuliſſe. Vel diceretis mõti huic, id eſt, diabolo, trãſi hinc de iſto obſeſſo corpore, & trãſibit in aliũ, vel in maris ꝓfundũ.

Et nihil impoſsibile, &c.) Id eſt, nulla incommoditas erit inſanabilis.

Hoc autem genus nõ eijcitur, niſi per orationem & ieiunium.) Dum docet Apoſtolos, quomodo dæmon nequiſsimus debeat expelli, omnes ad vitã inſinuat, vt ſcilicet nouerimus grauiora quæq; vel dæmonũ vel hominum tentamenta ieiunijs & orationibus eſſe ſuperanda. Iram etiam Dei, cum in vltione noſtrorum ſcelerũ fuerit accenſa, hoc ſingulari remedio poſſe placari. Ieiunium aũt generale eſt, non ſolùm ab eſcis, ſed etiã à cunctis illecebris carnis, imò ab omniũ vitiorũ paſsionibus abſtinere: ſicut & oratio generalis non in verbis ſolum eſt, verũ etiam in omnibus, quæ in obſequiũ noſtri conditoris fide deuota gerimus, teſte Apoſtolo: Sẽper gaudete, ſine intermiſsione orate. Hoc igitur genus dæmonij, id eſt, iſta voluptatum mutabilitas, non eijcitur, niſi per orationem, non tantum verborum, ſed etiam deuotionis, & ieiunium, non tantum cibi, ſed & vitij.

Conuerſantibus in Galilæa &c) Frequẽter voluit dominus paſsionẽ ſuam denunciare, quia cognouerat eos per hoc multũ eſſe contur bandos, ſed poſt nuncium triſtitiæ, ad cõſolationem, reſurrectionem ſuam ſupponebat.

Et cum veniſſet Capharnaũ, &c.) Per Auguſtum Cæſarẽ facta eſt Iudæa tributaria, vnde Ioſeph & Maria in Bethleẽ profecti ſunt ſoluẽdo tributa, ait enim Lucas: Aſcendit aũt Ioſeph in Bethleem, vt ꝓfiteretur cũ Maria deſponſata. Quæritur ergo tributũ à domino. & quia nutritus eſt Nazareth, quod eſt oppidũ Galilææ, vbi Capharuaũ ſubiacẽs, ideò cũ veniſſet in maiorem ciuitatẽ, ibi tributũ ab eo poſtulatũ eſt. Sed ſignorũ magnitudine, nõ audent ipſum petere, ſed cõueniunt diſcipulos malitioſe inueſtigando, vtrum tribum ſoluerent an non.

Magiſter veſter nõ ſoluit didragma, &c.) Et Petrus reſpondit etiã, ita eſt quod nõ ſoluit. Et cũ Petrus intraſſet in domũ, voluit Petrus domino intimare, quod Herodiani peterẽt tributũ, ſed dominus prævenit eũ, dicens: *Quid tibi uidetur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributũ uel cenſum? à filijs ſuis, an ab alienis? &c*) Chriſtus filius erat regis omnipotentis, & ex Dauid ſtirpe genitus, ergo quia filius regis erat, non debebat tributa, ſed quia exemplum omnis humilitatis oſtendere volebat, ne homines ſcandalizaret, maluit tributum ſoluere, ſed noluit ſoluere de communi, docens moraliter, vt nemo de communitate fratrũ, ſed quod proprietati ſuę pertinet, expendat. miſit ergo ad mare. Miranda eſt præſentia domini Saluatoris, & magnitudo virtutum Chriſti. Præſcientia quod nouerat ſtaterem in ore piſcis. Magnitudo virtutis, ſi ad verbũ illius creatus eſt ſtater, vt quod futurũ erat, ipſe fecerit loquendo. Cõſuetudo enim erat, vt vnuſquiſq; pro ſe didragma redderet. Stater verò pondus eſt duorũ didragmatũ. aliquid tamẽ myſtici in hac re poteſt intelligi. Piſcis eſt Chriſtus. Mare mundus. Hamus mors. Chriſtus gerebat pretiũ noſtræ redemptionis. Quod aũt pretium in ore piſcis inuentum eſt, ſignificat redẽptionem noſtram ore Chriſti prænunciatã eſſe hominibus. Datur pro Chriſto & pro Petro, ſed diuerſis modis. Petrus gerit hic perſonam eccleſiæ. Chriſtus ſoluit pretiũ pro ſe, quia paſsio ſua fuit ſibi pretiũ exaltationis, iuxta illud: Propterea exaltauit illũ Deus, & dedit illi nomẽ, quod eſt ſuper omne nomen, &c. Et pro Petro, id eſt, pro eccleſia, vt eam à captiuitate liberaret.

CAPVT XVIII.

In illa hora acceſſerunt, &c.) Quia ſoluerat Chriſtus tributum pro ſolo Petro, indignati alij & putantes Petrũ præferri, Quæritur igitur, quis ſit maior in regno cœlorũ? volens ſuperbiã eorum cõtundere, proponit exemplũ humilitatis, ne alij alijs velint præferri. Et ideò ſtatuit in medio puerũ, vt innocentiã paruuli quam ex natura habebat, & induſtria & virtute imitentur. Multi dicũt illum paruulũ fuiſſe ſanctũ Martialem Lemouicenſem. Multi etiam hoc credunt, dictũ eſſe de ſeipſo, qui puer erat malitia & non ætate, & verus humilis, qui non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. Litera ſic legitur: *Amen dico uobis, niſi conuerſi fueritis, &c.*) Ab hac elatione & indignatione, in qua nunc eſtis, & efficiamini ita innocẽtes & humiles per virtutem, ſicut paruuli ſunt per ætatẽ, nõ intrabitis in regnũ cœlorum.

Quicunque autem humiliauerit ſe, &c.) Quandoquidem aliter non intratur, ergo quicunq; humiliauerit ſe, ſicut paruulus iſte, qui videns pũlchram mulierem, non delectatur, qui non aliud cogitat, & aliud loquitur, intrabit in regnum cœlorũ. Et quanto humilior erit, tanto maior efficietur.

Et qui ſuſceperit vnum paruulum, &cæt.) Quia Apoſtoli de ambitione inuicem murmurantes, per exemplum ſuum infirmos & ſimplices ad ambitionẽ poſſent incitare, ideò præcipit ſuſcipi infirmos, & ſcãdalizantibus eos pœnam comminatur. Et hoc eſt: Qui ſuſceperit vnum paruulũ talem nomine meo, attrahẽdo ad eruditionem, dulciter iuxta Apoſtolum, ſuſcipit infirmos, me ſuſcipit, vel qui ſuſceperit hoſpitando, benefaciendo, me ſuſcipit.

Qui autem ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, &c.) Vel malè inſtruendo, vel malo exem-

exẽplo, ſicut vos modò facitis, qui malo exemplo ambitionis veſtræ alios corrumpitis, *expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur, &c.*) Ad literã ſic exponitur: Hæc pœna turpiſsima erat, & erat criminoſorum, quaſi dicat: Expedit, hoc eſt, melius eſſet ei tam turpiſsima morte perire, quàm fratrem ſcandalizare, quia fratrem ſcandalizare, peccatum eſt, mori verò non eſt peccatum. Vel aliter: Seculares homines dicuntur eſſe, dediti rotæ huius mundi, iuxta illud, in circuitu impij ambulant. Per molam ergò aſinariam ſecularis vitæ circuitus, & labor exprimitur: & per profundum maris, extrema damnatio deſignatur. Dicit ergò: Melius eſſet alicui contemplatiuo, vt volueret molam aſinorum, id eſt, ſecularis eſſet, volués ſolicitudinem mundanorum, & per hoc demergeretur in profundum inferni, quàm eſſet contẽplatiuus ſcandalizans fratres ſuos, leuior enim pœna eſſet ſibi in inferno. Vel aliter: In ſcripturis aſinus figuram gentilis populi deſignat, qui eſt alligatus ad molam, hoc eſt, ad lapideos deos, quos cæcis oculis frequenti errore circũeunt, & ſic in profundum inferni demergitur. Ac ſi diceret: Melius eſſet ei quòd eſſet gentilis, ligatus ad lapideos deos, & periret in inferno, quàm eſſet fidelis ſcandalizans fratres ſuos. Melius eſt enim non cognoſcere veritatem, quàm poſt agnitam retrò ire.

Væ mundo ab ſcandalis.) Ideò expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria, id eſt, vt eſſet gentilis vel ſecularis, quia maximum væ erit mundo, id eſt, hominibus, ab ſcãdalis, id eſt, propter ſcandala, quæ ipſe infert fratribus.

Neceſſe eſt enim, &c.) Quaſi aliquis quæreret: Erunt in mundo ſcandala? erunt vtique, quia ſunt neceſſaria, vt qui probati ſunt, per hoc manifeſti fiant, ſed tamen ideò non carebit pœna ille, per quem veniunt ſcandala. *Et hoc eſt, uerumtamen: Væ homini, per quem ſcandalum uenit.*) *Si autem manus tua, &c.*) Præcepit ſuperiùs, ne credẽtes ſcandalizarent alios, nunc verò docet, quantum debeamus cauere ab eis, qui ſcandalizant nos, dicens ita: Si quis tibi adeò coniunctus eſt, vt manus tua, cuius opus & auxilium tibi neceſſarium eſt, vel vt pes, cuius diſcurſione vel diſpenſatione indigeas, poſsit vocari, & tamẽ lædat te aliquo modo in cauſa animæ, excludas illum à tua ſocietate potiùs, quàm cum illo pereas in gehennali igne.

Bonum eſt tibi, &c.) Væ, ne ſcandalizaueris in fide: omnem affectum amicorum debes abrumpere, quia bonum eſt tibi ad vitã ingredi debilem vel claudum. i. contentum vno pede. i. propria diſcurſione, & carere diſcurſiõe proximi, quàm habentẽ duas manus, id eſt, duos cooperatores. i. te & amicum, vel duos pedes. i. duos diſcurſores, mitti in ignẽ gehennæ. ſimiliter lege de oculo. Oculum vocat aliquem prouiſorẽ ſuum. *Videte.*) Quaſi dicat: Quia tantum malum prouenit ex ſcandalizãdis fratribus, dico videte, ne contemnatis vnum de puſillis. *Dico enim uobis, quia angeli eorum, &c.*) Ideò non ſunt contemnẽdi, quia adeò chari ſunt deo, quia angeli ſunt eis deputati ad cuſtodiã, quod innuit, cũ dicit:

Dico enim vobis, Quia angeli eorum vident faciem, &c.) Nota, quia quamuis mittantur angeli, tamen vident patrem. Hoc ideò euenit, quia Deus vbique eſt, & iuxta ipſum currũt. Venit enim alia cauſa, quare non ſunt contemnendi, quia ego adeò dilexi eos, quòd veni ſaluare eos.

Quid vobis videtur, &c.) Oſtẽdit per quãdam ſimilitudinẽ, quòd Deus omnes venit ſaluare homines qui perierant. Ipſe eſt paſtor, qui habet centum oues. Centum oues, ſunt ordines angelorum & hominũ in ſua perfectione perſeuerãtes: vna errauit, quando homo peccauit, & dum minutus eſt numerus, factus eſt imperfectus. Deſeruit Chriſtus nonaginta nouem in montibus, hoc eſt, in cœleſtibus, quando verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Quẽ inuenit, quando hominem reſtaurauit, & ſuper eam inuentam maius gaudiũ eſt in cœlo, quàm ſupra nonaginta nouem, quia maior gloria & maior materia laudis fuit ei in reſtauratione hominum, quàm in creatione angelorum. Mirabiliter enim homines creauit, ſed mirabilius reformauit. Nihil enim fuit mirabilius, quàm quòd filius Dei exinaniuit ſe, formam ſerui accipiens, & humiliauit ſe, vſque ad mortem. Vel aliter: Ouis perdita, ſignificat tantũ peccatores, qui per pœnitentiam recõciliantur Deo, quam iuxta alium Euangeliſtam humeris ſuis reportauit, quia ſe humiliando tales erexit. Ideò autem illas nonaginta nouem dixit, quas in montibus dereliquit, quia ſuperbos ſignificant, tanquàm tumorem vel ſolitudinem gerentes in animo, dum ſolos volũt videri ſe, quibus etiã ad perfectionẽ vnitas deeſt. Cũ enim quiſq; à vera vnitate per ſuperbiã diuellitur, ſuę poteſtatis eſſe cupiẽs, nõ ſequitur vnũ quod Deus eſt. Ideò nonagintanouẽ ouibus earũ ſignificatiõe de ſe præſumẽtes, peccatorib. ad ſalutẽ redeũtibus ſe præponunt. Et cũ inuenerit peccatorẽ, gaudebit ſuper eũ, id eſt, facit gaudere ſuos magis, quã ſupra nonagintanouẽ, id eſt, quã ſupra falſos iuſtos. In Luca verò ſcriptum eſt, quia malus gaudium eſt ſuper vno peccatore pœnitentiã agente, quàm ſupra nonagintanouẽ iuſtos, qui nõ indigent pœnitẽtia. quia, vt quotidie experimur, qui illicita cõmiſerunt, in rebus licitis ſæpe ſibi vſum præbent, & ad cœleſtia anxiè non anhelant, & quia ſecuti ſunt, ad bona agenda pigri remanent. Econtra aũt peccator plerũq; facit maius gaudiũ de eo, quàm de ſtante iuſto, vti Dux in prælio plus eum militem diligit, qui poſt fugam reuerſus, hoſtem fortiter premit, quam eũ qui nunquam fugit, nec vnquam fortiter egit. Sed quidam ſunt iuſti, de quibus tantum gaudium

dium eſt, vt eis nullus pœnitens præponi poſsit, qui etſi non ſunt malorũ conſcij, tamẽ licita deſpiciunt, & in omnibus ſe humiliant. Quantũ ergo gaudiũ eſt, ſi humiliter plangit iuſtus, quum gaudiũ ſit, ſi quod malè geſsit, damnat iniuſtus. *Sic non eſt uoluntas &c.*) Redit ad ſuperiùs propoſitũ, de quo dixerat. *Videte, ne cõtemnatis, &c.*) Docens idcircò parabolam iſtam propoſitã, vt puſillum non contemnant. Quod aũt dicit, nõ eſt voluntas patris, vt pereat aliquis. Nota nullum perire patris voluntate. *Si aũt peccauerit in te frater tuus, &c.*) Quaſi dicat: Noli contemnere puſillũ, ſed ſi peccauerit in te, faciendo tibi iniuriam, labora adeò de ſalute illius, quod priùs corripias per te, poſteà per alios, deinde per totam Eccleſiam, deniq; per excõmunicationem, nõ tam cupidus vindictæ, quàm correctionis fraternæ. Quidam volunt hoc intelligere de omni peccato, non tantum de iniuria, & dicitur ita: Si peccauerit frater tu⁹ in te, id eſt, publicè. Omne enim publicũ peccatum cõtra vnumquẽq; dicitur fieri: quia publicè peccans, proximũ ſuum corrũpit, corrige priuatim, ne potiùs videaris alieni criminis ꝓditor, quàm corrector. Si aũt nec ſic corrigi voluerit, vel dixerit non eſſe peccatum, adhibe alios tecum, vt coram multis erubeſcat, vel probent illud eſſe peccatũ. Si aũt nec ſic corrigi voluerit, dic toti Eccleſiæ, vt maiorem erubeſcentiam patiatur. Poſt hæc omnia, ſequitur excommunicatio, quę tantum fieri debet per os Eccleſiæ, id eſt, per ſacerdotẽ. Sacerdote enim excommunicante, totum corpus Eccleſiæ operatur. *Amen dico uobis, &c.*) Et ne aliquis ſuperbus excommunicationem contemneret, dicens: ſi me contemnis, & ego te contemno, ſi me condemnas, & ego te condemno, propterea confirmat ſententiam excommunicationis, dicens: *Quæcunq; alligaueritis, &c.*) Et non ſolùm de excõmunicatione, ſed etiam de omni petitione, quæ fiet à conſentientibus in vnitate Eccleſiæ dat cõfirmationem, dicens: Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, vel pœnitentem recipiẽdo, vel ſuperbum abijciendo, vel de alia re, quam petierint, quæ nõ ſit contraria vnitati eccleſiæ, fiet illis à patre meo, qui in cœlis eſt. Non vacat, quod dicit: qui in cœlis eſt. Per hoc enim oſtendit eum ſuper omnia eſſe, & per hoc complere poſſe. Vel in ſanctis eſt, quod valet ad probandum, quod reuerà fiet illis, quicquid petierint quod dignũ ſit, quia illum in ſe habent, à quo petunt.

Vbi enim ſunt duo, &c.) Quaſi dicat: Ideo rata eſt ſententia cõſentientium, quia Deus habitat cum eis.

Tunc accedens Petrus, &c.) Dixit ſuperiùs, vt frater fratrem corriperet: modò quærit Petrus, ſi frater correptus pœniteat, quoties ei dimittatur? & viſum eſt ei ſatis ſufficere ſeptenam dimiſsionem. Et ideò quærit, vtrum dimittat vſq; ſepties? Hoc autem intelligitur dupliciter, vel de iniuria, vel de omni peccato, ſecundum duplicem ſupradictam ſententiam, vt dicatur, Si peccauerit frater meus in me, faciendo mihi iniuriam, vel in contumelijs, vel in damno, dimittam ei vſq; ſepties? Vel de omni peccato ſic intelligitur, vel legitur. Petrus gerit hic perſonam Eccleſiæ, & dicit: Si frater meus peccauerit in me, id eſt, Eccleſiam, ſcilicet, ſi peccat criminaliter, quia qui peccat criminaliter, peccat in Eccleſiam, à qua meretur ſeparari per criminalia, dimittam vſq; ſepties? Hoc autem ita exponitur contra illos, qui volunt vnam tantũ pœnitentiam in Eccleſia.

Dicit illi Ieſus: Non dico tibi ſepties, ſed vſq; ſeptuageſiesſepties, &c.) Hieronymus ita exponit hũc numerũ, vt dicatur quadringentis nonaginta vicibus, vt videlicet toties peccãti dimittere præcipiatur in die, quoties ille in die peccare non poſſet. Auguſtinus verò ſic accipit, ſeptuageſies ſepties, id eſt, ſeptuaginta & ſeptẽ vicibus, & per hunc numerũ omnem tranſgreſſionem intelligens. Numerus enim ille conficitur ex vndenario & ſeptenario. Septies enim vn decim ſunt ſeptuaginta & ſeptem. Vndenarius enim tranſgreſsionẽ ſignificat, quia trãſcendit denariũ, per quẽ decalogus intelligitur. Septenarius verò vniuerſitatẽ deſignat, quia vniuerſum mũdi tẽpus cõtinet. Præcipit ergo dimittere ſeptuagies ſepties, id eſt, vniuerſam trãſgreſſionem. Sed ſequens parabola innuere videtur, quod hæc ſupradicta non de quolibet peccato, ſed de iniuria tantum ſit intelligenda.

Ideò aſsimulatum eſt regnum cœlorũ homini regi, &c.) Oſtendit per quandam ſimilitudinem, condonandũ eſſe fratribus, & niſi cõdonetur quod periculum ſequatur. Morem ſequitur Syrorum, & maximè Palæſtinorũ, qui ad omnem ſermonem ſuum parabolas iungunt, vt quod ſimplex præceptum teneri non poteſt, ab auditoribus, ſimilitudine exempli teneatur. Litera ſatis patet, ſed ſententia terribilis eſt, cum dicit: Sic & pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſq; fratri ſuo de cordibus veſtris. Si enim parua fratribus non dimittimus, magna nobis à Deo non dimittuntur, & etiam illud à nobis exigitur, quod iam nobis per pœnitentiam dimiſſum fuiſſe gaudebamus. Cautè tamen intuendum eſt, quod non paſsim peccata dimittere, ſed pœnitentiam agenti iubemur, & primo quidem vbi dictum eſt, peccãtem miſericorditer increpare, vt ſit, cui poſtmodum iuſtè debeamus dimittere. Myſticè quidem ille vnus, qui debebat decem millia talenta, populum deſignat Iudaicum, quia reus multarum tranſgreſsionum legis, expletionem debuit decalogi, ſed cum non haberet vnde redderet, ſcilicet cum viribus ſuis explere decalogum non poſſet, iuſsit eum

Domi-

Dominus venũdari,id eſt, iuſto iudicio permiſit ſeruum malignorum ſpirituum fieri,& iuſsit vendi vxorẽ, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi, id eſt, iuſsit pro cupiditate & operibus, quaſi pro vxore & filijs pœnas ſoluere.

Procidens autem ſeruus ille,&c.) Cũ ſpon te nollet malus,coactus pœnitens orabat eum dicens:

Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.) id eſt,peccatis meis parce, & omnia reddam tibi,id eſt:perſoluam credendo &pœnitẽdo, quæ deliqui præcepta tua tranſgrediendo. Miſertus autem Dominus ſerui illius, dimiſit eum,&debitum dimiſit ei,quia Dominus miſe ricors,ſcilicet non ſolum captiuitatem Iudaicã, qua quaſi captiui tenebãtur abſoluit, ſed etiam veniam omnium peccatorum promiſit ſe dare, ſi vellent incœpto perſiſtere. Vel aliter. Dimiſit eum, quia pondere carnalium obſeruationum abſoluit, & dimiſit, quando priores tranſgreſſiones condonauit.

Egreſſus autem ſeruus,&c.) Id eſt, ille ſupradictus de captiuitate liberatus, vel ad libertatem fidei promotus,inuenit vnum de conſeruis ſuis,gentilem ſcilicet populum,qui debebat ei centum denarios,id eſt,recognoſcere ſibi ab eo ſalutem præſtitam,vel præſtandam,& tenens ſuffocabat eum,quaſi ſibi debitorem, & dicens gratiam Chriſti non eſſe ſufficientem ad ſalutẽ, carnales obſeruantias non modo perſuaſionibus,ſed etiam tormentis exigebat grauioribus, & dicebat:Redde quod debes, id eſt, obſeruãtias carnales obſerua. At ille humilis adorabat dicẽs:Patientiam habe in me,& omnia reddam tibi,adimplebo ſpiritualiter,quicquid lex præcipit.Ille autem noluit,id eſt, carnalis ſpiritualia recuſauit, ſed potiùs abijt, id eſt, à ſpirituali intellectu receſsit,& miſit illum in carcerem,id eſt,arctam tribulationem, donec redderet debitum,id eſt,donec legem carnaliter impleret, quod videbatur illi,vt quod deberet. *Videntes autem conſerui eius,&c.*) Scilicet prædicatores Euãgelij,*quæ fiebant*,perſecutionem Chriſtianæ Eccleſiæ à Iudæis illatam,*contriſtati ſunt*, & compatiendo *uenerunt & narrauerunt domino ſuo*, implorantes auxilium contra dolum perſecutorum.

Tunc vocauit illum,&c.) Vocatio hæc intus eſt in conſcientia. *Et dixit:Serue nequam,omne debitum*,id eſt, omnes legis præuaricationes, quibus mihi pœnas ſoluere debuiſti,quia in anguſtijs rogaſti me,dimiſi tibi: modò liberatus cõpaſsionem non habuiſti,quin potiùs Prophetas & Apoſtolos meos perſequeris, & ingratus de iuſtitia præſumes,ſpernis Gentes,iudicans illas in Chriſto ſocitate indignas.

Nonne ergo oportuit & te miſereri, cum tui miſertus ſum? Tunc iratus Dominus eius, &c.) Iuxtà animaduerſionẽ tradidit eum tortoribus,qui poſsint intelligi Romani principes, Titus & Veſpaſianus,vel tartarei miniſtri, quibus tandem tradendi ſunt Iudæi. Tradidit dico, quouſq; vniuerſum redderet debitum, id eſt,quoaduſq; ſpiritualiter intelligeret decalogum, vel quoaduſq; ſolueret pœnas, patiendo ſemper,id eſt,nunquam à pœnis ceſſando.

CAPVT XIX.

ET factum eſt, cum conſummaſſet Ieſus ſermones iſtos,&c.) Poſtquam Euangeliſta narrauit ea,quæ fecit & docuit in Galilæa, accedit ad ea,quæ fecit,& docuit,& paſſus eſt in Iudæa. Tranſitus iſte,ſignificat Chriſtum tranſmigraturum per fidem in fine ſeculi ad Iudæos, & primum trans Iordanem ad orientem. Poſt citra Iordanem,quando venit Iericho & Ieruſalem. Nam cum omnis Iudæorum prouincia generaliter ad diſtinctionem aliarum Gentiũ Iudæa dicta ſit,tamen ſpecialiter meridiana eius plaga appellatur Iudæa,ad diſtinctionem Samariæ,Galilææ,Decapolis,& cæterarum in eadem prouincia regionum.

Et ſecutæ ſunt eum turbæ,&c.) Quia in fine ſeculi,quando omnis Iſraël ſaluus erit, multi conuertentur ad fidem, quos à peccatis ſuis ſanabat.

Et acceſſerunt ad eum Phariſæi,&c.) Turbæ accedunt,vt doceantur & ſanentur. Phariſæi verò vt doctorem veritatis decipere conentur: hos deuotio pietatis, illos adduxit ſtimulus liuoris. Interrogant ergo,ſi liceat dimittere vxorem ex qualibet cauſa? vt cornuto capiatur ſyllogiſmo. Quancunq; enim partem elegerit,concludere parant illi. Si enim dixerit dimittẽdam eſſe, & aliam ducendam, prædicator pudicitiæ iam contrariæ pudicitiæ videtur docere. Si autem reſponderit, non propter omnem cauſam debere dimitti,tenebitur reus mandati,& dicetur facere aduerſus legem Moyſi. Sed reſponſionem temperat,vt decipula tranſeat,quia ſanctam ſcripturam adducit in teſtimonium,& naturalem legem,& primam Dei ſententiã ſecundæ opponens,quæ non voluntatẽ Dei, ſed peccantium neceſsitate conceſſa eſt. Et hoc eſt. *Qui reſpondens ait eis: Non legiſtis, quia fecit ab initio, maſculum & fœminam fecit eos?* Non dicit fœminas, ſed fœminam,multiplicationẽ coniugij excludens, & ad idem ac huc confirmandum dicit. Propter hoc quidem,id eſt, propter hanc vnam coniunctionem,dimittet homo patrem & matrem,& adhærebit vxori ſuæ, non vxoribus. Et erunt duo in carne vna,non tres, id eſt, in carnali copula. Itaq; quia vnum facit carnalis coniunctio,iam non ſunt duo,ſed vna caro, quod facit coniunctio carnalis.

Quod ergo coniunxit Deus,) faciendo vnam carnem,*homo non ſeparet*. Si coniugia ſunt legitima,tunc Deus coniunxit, ſi autem nõ ſunt legitima, tunc Deus nõ coniunxit, & illa poteſt homo ſeparare. Legitima verò homo non poteſt

teſt ſeparare, ſed Deus poteſt. Fiunt enim aliquando propter Deum continentes,vt alter monachus,altera monacha efficiantur.

Dicunt illi: Quid ergo Moyſes, &cæt.) Cum Deus reſpondiſſet verba authoritatis, authoritati opponunt,cũ non poſſunt perſonę opponere,quaſi dicant: Quandoquidẽ hoc Deus præcepit in principio, quare ergo Moyſes poſteà præcepit mutari coniugia, & dare libellum repudij in ſignum derelictionis? *Ait illis: Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit uobis dimittere uxores veſtras,&c.*) Moyſes non præcepit dimittere vxores, ſed permiſit. Permiſsio enim fuit, non præceptum,& hoc propter duritiam cordis veſtri. Videbat enim tantam duritiam cordis in Iudæis Moyſes,quod cum propter aliquam cauſam vxores odio haberent, ſi non liceret dimittere,interficerent. Permiſit ergo, quod leuius erat,vt grauius vitaretur. *Ab initio aũt non fuit ſic.*) Id eſt,ſic non habuit lex naturalis. *Dico autem uobis.*) Seruus coactus infirmitate hominum præcipit,ſed ego Dominus & magiſter dico & præcipio vobis,vt veterem hominẽ exuatis, & præcepta nouæ legis teneatis. *Dico enim uobis,quia quicunq; dimiſerit uxorem ſuam,niſi propter fornicationem, & aliam duxerit,mœchatur.*) Sola fornicatio eſt cauſa ſeparationis. Poſtquam enim mulier, quæ eſt viro iuncta, & vna erat in carnali copula, in aliã carnem illã vnitatem tranſmiſerit,& fornicationem illam diuiſerit, non amittet quidem vinculum coniugij, ſed meretur non ampliùs carnaliter cum viro ſuo copulari, qui contra copulationem peccauit. Et quia vinculum coniugij remanet, ideò addit: Et qui dimiſſam duxerit, mœchatur. Accipiãtem terret, quia adultera nõ timet opprobrium. Similiter de viro intelligendum eſt,nec tamen prohibetur reconciliari viro poſt ſeparationem.

Dicunt ei diſcipuli:Si ita eſt cauſa cũ vxore,id eſt, ſi tali vinculo conſtrictus eſt cum ea, vt non poſsit eam dimittere,*tunc non expedit nubere*,id eſt,bonum eſt continere. *Qui dixit*: Nõ *omnes capiunt uerbum iſtud.*) Id eſt, non omnes ſeruãt verbum iſtud,quod bonum ſit continere. Non dixit,non poſſunt capere,id eſt,ſeruare,quia bene poſſent, ſi vellent vincere carnis infirmitatẽ. Sed dixit,non omnes capiunt,id eſt,non continent omnes,*ſed quibus datum eſt diuina gratia.* In his verbis oſtendit,quia niſi auxilium gratiæ acceperimꝰ,nihil ex nobis valemus. *Sũt enim eunuchi.*) Ideò dixi,quibus datum eſt. Bonum eſt continere,non enim omnibus bonum eſt continere. Sunt enim quidam eunuchi,qui à natiuitate eunuchi ſunt,qui videlicet frigidæ naturæ exiſtentes, nihil libidinis appetunt. Sunt iterum alij, qui ab hominibus eunuchiſati ſunt, & his vtriſque non eſt abſtinentia virtus. Non enim ex voluntate abſtinent,ſed ex coactione & neceſsitate. Et ſunt eunuchi,qui ſeipſos caſtrauerũt propter regnum cœlorum,illi videlicet, qui continentes ſunt ex voluntate,vt regnum cœlorũ acquirant,his ſolis eſt continentia virtus.

Qui poteſt capere,capiat.) Vox hortantis ad cõtinentiam,quaſi dicat: Qui poteſt capere, capiat hoc verbũ.i.abſtinere,abſtineat. *Tunc oblati,&c.*) Cum Chriſtus de cõtinentibus loqueretur,oblati ſunt ei pueri, qui quãuis non eſſent cõtinentes virtute, tamẽ in figura verorũ continentiũ,voluit in eis oſtendere,quid in veris cõtinentibus impletur. Impoſuit enim eis manus, vt veris continentibus, & veris humilibus gratiam ſui auxilij conferendam ſignificaret,& eos ſua benedictione & gratia dignos oſtenderet. Et hoc eſt, quod modò ingreditur. *Tunc oblati ſunt ei paruuli,ut eis manus imponeret & curaret.* Quaſi dicat, vt manu & voce illis benediceret. *Diſcipuli autem increpabant eos.*) Non quod nollent eos manu &voce Saluatoris benedici,ſed quia quaſi adhuc rudes,& ſimplices putarent magiſtrum ſuum,ad ſimilitudinem reliquorum hominum laſſari,importunitate offerentium.

Ieſus verò ait eis:Sinite paruulos venire ad me,&c.) Significans per hoc,quod verè humiles & continentes ad Deum veniunt,& quia iſti ſunt figura verorum continentium, ideò addit.

Talium eſt regnum cœlorum.) Talium dixit,non iſtorum,vt oſtenderet non ætatem regnare, ſed mores, & his qui ſimiles ſunt pueris innocentia & ſimplicitate præmium repromiti,de quibus Apoſtolus: Nolite pueri effici ſenſibus,ſed malitia paruuli eſtote. Nec erat cauſa, quare remouerentur. Si enim ſancti fuerant futuri,cur vetant filios ad patrem venire? Si peccatores futuri ſunt, quare ſententia antè culpam datur? *Et accedens unus,ait illi,&c.*) Audierat homo iſte forſitan à Domino,tantum eos qui paruulis volunt eſſe, ſimiles dignos introitu regni cœleſtis,& ideò certior cupiens eſſe non per parabolas,ſed apertè poſtulat exponi,quibus meriti vitam æternam poſsit conſequi. Notandum eſt, quod ſecundũ Hieronymũ iſte adoleſcẽs & dives & ſuperbus erat. Alij dicunt non voto tentãtis, ſed dicentis interrogaſſe,cum dicat: *Magiſter bone,&c. Quid me interrogas de bono? Vnus eſt bonus Deus &c.*) Increpat eum Dominus, quia putabat eum purum hominem,& non Deum,& ex ſe tãtum bonum. Vnde redarguit ita. Quid me interrogas de bono? ſubaudis magiſtro, id eſt, quærendo à bono magiſtro. Quod ita ſit intelligendum, docet alius Euangeliſta, cum dicit: Quid me dicis bonum? Nõ ſum ita bonus vt putas,id eſt, ex me bonus, ſecundum hominẽ. Ex ſe enim bonus non eſt, niſi vnus bonus, Deus pater,& filius,& ſpiritus ſanctus. *Si autem uis ad uitam ingredi &c.*) De mala interrogatione viruperat, eum, vbi dixerat magiſter bone,ad quęſtionem verò ſanam reſpondet, ſoluendo dicens: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mãdata. Nõ dicit diſce,

sed serua. peritus enim erat in mãdatis. *Dicit illi.* Quasi diceret: Quia multa sunt, ideò dicit. *Quæ? Iesus autem dicit: Non homicidium facies, &c.*) Hic duæ vitæ proponuntur, actiua & contemplatiua. Priùs actiua proponitur, quam cum asserat adolescens, se complesse, postea ad contemplatiuam hortatur, cum dicat:

Si vis perfectus esse, Vade, & vende omnia quæ habes, &c.) Perfectus enim omnia debet vendere, non ex parte, sicut Ananias fecit & Saphira, & cũ vendiderit, dare pauperibus. Nec hoc ad perfectionem sufficit, nisi post contemptas diuitias, Saluatorẽ sequatur. Faciliùs enim sacculus contemnitur quàm voluntas: & multi diuitias relinquentes, Dominum non sequuntur. *Et cum audisset adolescens uerbũ, abijt tristis, &c.*) Notandum, quod ex diuersis verbis huius Euãgelij de adolescente, diuersis modis sentitur. Cum enim superiùs dixisset omnia, hæc custodiui, posteà supponit Marcus. Iesus autem intuitus eum, dilexit eum. Ex his verbis contrahit Beda, eũ non voto tẽtantis venisse. Dicit enim: Non est putandus homo iste vel voto tentantis venisse, vt quidam putauere Dominum interrogasse, vel de sua vita esse mentitus, cum se legis mandata custodisse dicebat, sed simpliciter vt vixerit esse cõfessus, quia si mendacij aut simulationis noxa teneretur, nequaquàm intuitus arcana cordis eius diligere diceretur Iesus. Ista verò quæ sequuntur, abijt tristis, negãt eum bonũ fuisse. Vnde Hieronymus ex voto eum tentantis asserit venisse. Et secundũ hanc sententiam illa intuitio non fuit de præsenti, sed de sequenti, quia credendum est posteà eum fuisse conuersum. Cum autem de eo dicatur, abijt tristis, non est credendum bonam cõscientiam eũ habuisse, sed mentitum, quando se dilectionem proximi confessus est habuisse. Nõ enim verè diligebat proximum, qui doluit de hoc, quod sua dare proximis præcipiebatur. Vnde accepta occasione, ait vix posse hominem saluari diuitem.

Iesus autem dixit discipulis suis: Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in regnũ cœlorũ, &c. Hilarius.) Occasione huius auari, habuit sermonem de auaro. Et notãdum est, quod diues hic accipitur, possidens diuitias cũ amore. Multi enim possident, qui non amant. Nõ dicit, Impossibile est intrare diuitem in regno cœlorum, sed difficilè est. Quod enim impossibile est, omnino fieri nõ potest. Quod difficilè est, cum labore potest. Potest etenim fieri, sed cum maximo labore, iuuante Dei gratia, vt pecunias habentes, vel in pecunijs confidentes, exutis philargiriæ retinaculis, ianuam intrent regni cœlestis. *Et iterum dico uobis: Faciliùs est camelum &c.*) Camelus iste est Christus, qui sponte humiliatus, infirmitatis nostræ onera sustulit. Acus est punctio, per quam angustiæ significantur passionis, qua passione, velut acu nostræ naturæ, quasi scissa vestimenta resarcire dignatus est, id est, reparare post lapsum. Dicitur ergo: Faciliùs est intrare camelum per foramen acus, id est, faciliùs est pati Christum pro dilectoribus mundanorum, quàm dilectores mundanorum ad Christum conuerti. Aliter. Faciliùs est Gentilem populum gibbo peccatorum deformem, per angustam viam vitæ ingredi, quàm Iudæum de multis gloriantem, & ad subeundũ leue onus Christi, se humiliare nolentem. Aliter dicitur, quia Ierosolymis quædam porta erat, quę foramen acus dicebatur, per quam camelus, non nisi deposito onere & flexis genibus transire non poterat, per quam significantur diuites, non posse intrare viam arctam, quæ ducit ad vitam, nisi diuitijs saltem non amando depositis, & sordibus peccatorum renunciatis, & cordibus per humitatem contritis.

Auditis autem his, discipuli mirabantur valde dicentes: Quis ergo poterit saluus esse?) Quo pertinet hæc interrogatio, cum incomparabiliter maior sit turba pauperum, quæ perditis diuitibus, poterat saluari, nisi quia intellexerunt cunctos, qui diuitias amant, etsi non habeant in diuitum numero computari. *Aspiciens autẽ Iesus dixit, &c.*) Nota quia ipse aspectu suo reddit attentos. Apud hominem hoc impossibile est, apud Deum aũt omnia possibilia sunt. Non ita accipiendum est, quod cupidi & superbi, qui nomine illius diuitis sunt significati, in regnum cœlorum sint intraturi, cum suis cupiditatibus & superbia, sed possibile est Deo, vt per verbũ eius, sicut etiam factum est & quotidie fieri videmus, à cupiditate temporalium, ad claritatem æternorum, & à pernitiosa superbia, ad humilitatem saluberrimam conuertantur. *Tunc respondens Petrus.*) Cum audiret Petrus, difficilè esse diuitem intrare in regnum cœlorum, voluit scire meritum diuitias relinquentium, dicens ita: *Ecce nos reliquimus omnia.*) Grandis fiducia. Petrus piscator erat, diues non fuerat, cibos arte & manu quærebat, & tamen loquitur confidenter dicens. Dimisimus omnia, & quia non sufficit tãtum dimittere, adiungit quod perfectum est. *Et secuti sumus te, &c.*) Fecimus quod iussisti, quid ergo dabis nobis in præmium, vel quid præmij? Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit. Tãtum quisq; mente possidet, quãtum desiderat. Multa ergo deserit, qui omnem cupiditatem postponit. Iesus autem dixit:

Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, &c.) Non dixit, qui reliquistis omnia. Hoc enim fecit Socrates, & multi alij Philosophi, qui diuitias contemserunt, sed potiùs ait, qui secuti estis me, quod propriè est credentium.

In regeneratione, &c.) Duæ sunt regenerationes, duæ adoptiones, duæ resurrectiones. Vna regeneratio est, de qua dicitur: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto. Altera de qua nunc dicit. Prima iterum adoptio, de qua dicit Apostolus: Non accepistis spiritum

tum seruitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum. Secunda, de qua idem Apostolus: Ingemiscimus adoptionem filiorum, expectãtes redemptionem corporis nostri. Quæ prima, quæ verò secunda sit resurrectio, satis patet.

In regeneratione dico: Cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, id est, cum ille qui in forma serui apparuit, iudiciariã exercebit potestatem, *Sedebitis & uos super sedes duodecim, &cæt.*) Id est, iudicantes, quia vobis credentibus, illi credere noluerunt. Per duodecim sedes, vniuersitas iudicantium: Per duodecim tribus, vniuersitas iudicatorum intelligitur, propter duas partes septenarij, per quem significatur plerũq; vniuersitas. Quæ duæ partes, id est, & tria & quatuor, altera per alterã partem multiplicata, duodecim faciunt. Vnusquisq; enim fidelium, interiore & exteriore homine, hoc septenario numero completur. In interiori memoria, intellectu & voluntate. In exteriori carne, humore, flatu & calore, id est, frigido, sicco, humido, calido. Quicunque ergo talis per diuinam extiterit gratiam, vt vnum Deum qui trinitas est, diligat, ex toto corde, intellectu & voluntate, & omnes affectiones quadripartiti corporis per prudentiam, iustitiam, temperantiam, fortitudinem nouerit regere, & vt vnum Deum qui trinus est, alij vt similiter credant, & vt prudentes, iusti, fortes & temperantes sint, nõ cessant annunciare, in hoc septenario numero, & duodenario continetur. Alioquin cum in loco Iudæ traditoris, Matthiam legimus ordinatum, Apostolus Paulus qui plus omnibus laborauit, vbi sedeat, non habebit ad iudicandum, cum tamen ipse dicat, nescitis quoniam angelos iudicabimus. De ipsis quoque iudicandis, simul causa est in hoc duodenario numero. Nõ enim quia dictum est, iudicantes duodecim tribus Israël, alia tribus, id est, Leui, quæ tertiadecima est ab eis, iudicanda non erit, si non ita vt dictum est, intelligamus, vel alio modo competenter.

Et omnis qui reliquerit domum, &cæt.) Non solum ad Apostolos supradicta sententia pertinere videtur, ait, omnis, &c. Per fratres, sorores, patrem, matrem, carnales affectus intelliguntur. Per agros, omnes temporales diuitiæ significantur.

Centuplum accipiet, &c.) Quidam ex occasione huius sententiæ, Iudaicam mille annorum fabulam, post resurrectionem iustorũ dogmatizant, quando omnia quæ propter Deum dimisimus, multiplici sunt nobis fœnore reddenda, insuper & vita æterna donanda. Nec vident inepti, quod & si in cæteris digna sit repromissio, in vxoribus tamen iuxta alios Euangelistas centenis appareat turpitudo, præsertim cũ Deus & in resurrectione nubendum non esse testatur, & ea quæ dimissa fuerint, propter se recipienda non esse in hoc tempore, etiam cum persecutionibus asseueret. Sed sic illud centuplum intelligendum est, qui reliquerit carnalia, recipiet spiritualia. Centenarius enim numerus ad cœlestia pertinet, quia centenarius de leua in dexteram translatus est in computatione: sicut autem leua ad temporalia, sic dextera ad cœlestia refertur. Cum ergo Centenarius dexteræ accidat, meritò cœlestia significat. Quod autem subdit, & vitam æternam possidebit, expositio est & determinatio: vel centuplum accipiet, id est, voluntatem nihil habendi.

Multi autem erunt, &c.) Sed quia non omnes in eodem bono proposito perseuerant, & ad vitia relabuntur, terribilis sententia subditur: Multi autem primi erunt nouissimi. Vide Iudam ab Apostolatu in apostatam versum, & dicito, quia multi primi erunt nouissimi. Vide latronem in cruce factum confessorem, eodemque die quo pro suis crucifixus est peccatis, gratia fidei cum Christo in paradiso gaudentem, & dicito, quia nouissimi erunt primi: Sed & quotidie videmus multos in laico habitu constitutos, magnis vitæ meritis & præmijs excellere, & alios à prima ætate spirituali studio feruentes, ad extremum vitæ ocio torpentes lacessere, atque inerti stultitia quod spiritu cœperunt carne consummare.

CAPVT XX.

Simile est regnum cœlorum, homini patrifamilias, &c.) Ostendit parabolicè, qui primi nouissimi, & nouissimi primi. Paterfamilias iste conditor noster est, qui regit quos condidit, & electos suos sic in hoc mundo possidet, quasi subiectos dominus in domo: qui habet vineam vniuersalem, scilicet ecclesiam, quæ ab Abel iusto, vsq; ad vltimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit. Hic pater ad excolendam vineam suam tertia hora mane, sexta, nona, vndecima, operarios conducit, quia à mundi huius initio, vsque in finem, ad erudiendam fidelium plebem, prædicatores mittere non destitit.

Conuentione autem facta cùm operarijs ex denario diurno, &c.) Denarius imaginem Regis habet, dictus denarius est ab hoc, quia pro decem nummis apud antiquos computabatur. Idcirco igitur vnusquisq; accedit ad cultum diuini nominis, vt in Christo recipiat imaginem Deitatis, quam in paradiso perdiderat, liuore serpentis, & quanto magis studuerit decalogum implere, tanto amplius reformatur ad imaginem eius qui creauit eum.

Et egressus circa horam tertiam, &cæt.) Prima hora fuit ab Adam vsque ad Noë. Tertia verò à Noë vsque ad Abraham. In qua tertia vidit alios stantes in foro, quasi vendibiles, & à bono opere cessantes, & hoc est quod dicit ociosos, quos misit in vineam. Iterùm fecit

similiter circa horam sextam, quæ est ab Abraham vsq; ad Moysen. Et circa horam nonam similiter, quæ est à Moyse vsq; ad aduentum domini. Circa vndecimam verò, quæ est ab aduẽtu domini vsq; in finem mundi exijt ipse, id est, per seipsum apparuit, qui per prophetas & angelos priùs innotuit, & inuenit alios stantes gentiles populos, scilicet à bono opere torpentes, & dicit illis: *Quid hic statis tota die ociosi?*) Qui enim transacto tam longo mundi tempore, pro vita sua laborare neglexerant, quasi tota die ociosi stabant, & pensandum quid isti responderint.

Quia nemo nos, &c.) Nullus quippe ad eos patriarcha, nullus propheta venerat: quid est ergo dicere, quia nemo nos conduxit, nisi quia vitæ vias nullus nobis demonstrauit? Possumus etiam & easdem diuersitates horarum ad vnũquemq; hominem per ætatis momenta distinguere. Mane quippe intellectus nostri pueritia est. Hora tertia est adolescentia, quia quasi sol iam in altum proficit, dum calor ætatis crescit. Sexta iuuentus est, cum plenitudo roboris soli datur. Nona senectus est, quando sol, id est, calor ætatis descendit. Vndecima verò decrepita ætas, vel veterana vocatur. In his omnibus aliqui ad bonam vitam perducuntur. Qui verò vsque ad ætatem vltimam Deo viuere neglexit, quasi vsq; ad vndecimam ociosus stetit, vnde illis bene dicitur: Quid hic statis tota die ociosi? & cæt. Saltem in vltimis resipiscite, & ad vias vitæ iam non multùm laboraturi venire. Et hoc est quod dicit:

Ite & vos in vineam meam. Cum sero factum esset, id est, cum finis vniuscuiusque, vel finis mundi, id est, vltima ætas mundi veniſſet, de quo fine dicit Ioannes: Filioli, nouissima hora est. Et Apostolus: Non simus, in quos fines sæculorum deuenerunt.

Dicit dominus vineæ procuratori suo, id est, dicit pater filio suo, cui omnia dedit in manus. Voca operarios ante tribunal, & redde illis mercedem, prout quisq; gessit. *Incipiens à nouissimis usq; ad primos*, id est, à tempore nouissimorũ. Tempus nouissimorum est passio Christi, vsque ad finem sæculi. Primi dicuntur omnes à principio mundi vsq; ad passionẽ Christi. Vsq; enim ad passionem prædicauit Christus Iudæis tantum, secundũ hoc quod dicit: Non sum missus, &cæt. Accedens autem ad passionem Christus dixit: Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile & vnus pastor. In passione etiam significauit secundam missionem cum ait: Nunc autem qui habet sacculum, tollat similiter & peram. Duæ enim fuerunt missiones Apostolorũ. Prima specialis ad Iudæos, quando dictũ est eis: In viam gentium ne abieritis, in qua & sacculus & pera prohibita sunt. Secunda fuit communis, tam ad Iudæos quàm ad gentiles, in qua & sa-

culus & pera concessa sunt, quæ in multis verbis supradictis significauit. In his scilicet qui habet sacculum, tollat similiter & peram. Quasi dicat: Nunc, id est, in ista alia missione, qui habet sacculum, tollat eum, id est, portet eum. Quam missionem manifestius declarauit post passionem, dicens. Ite, prædicate Euangelium omni creaturæ. Primum ita q; tempus fuit, quãdiu nisi solis Iudæis prædicare non licuit. Peracta verò obedientia, quia ad prædicationem Christi Iudæi noluerunt conuerti, dedit potestatem offerendi verbum Dei omnibus hominibus. Incipit ergo reddere retributionem in tempore nouissimorum, dum latronẽ in passione saluauit, antiquos patres de inferno abstractos, in die ascẽsionis in cœlum introduxit. Et sic completũ est, quod & priùs nouissimis dare cœpit, sicut latroni, & in tempore nouissimorum, cœpit sol verè retributionem omnibus, quia vsq; ad tempus passionis, omnes ad inferos descendebant.

Cum venissent ergo. &c.) Ipsa vita æterna pariter erit omnibus æqualis, & vnus denarius omnibus attributus. Ibi tamẽ sunt multę distinctiones, iuxta illud: In domo patris mei multę mansiones sunt. Ita q; vnus denarius & singuli denarij.

Veniẽtes autem primi arbitrati sunt, &c.) Quæritur autem quomodo dicantur inuidere, murmurare, cum in præmio suscipiendo nulla inuidia, nulla erit murmuratio? Sed consuetudo est in diuina pagina multos in collectione accipere, & quædã verba quibusdam personis congruere, & quædam alijs, non toti collectioni. Cum igitur primi dicantur murmurasse, & tamen mercedem recepisse, in alijs & in alijs personis intelligendum est. Iudæi sunt illi qui murmurabant, qui in initio ecclesię, fidelibus vocatis ex gentibus se præponebant, dicentes se populum Dei esse ab initio, quem Deus dilexit & fouit, qui & in cæremonijs legalibus põdus portauit & æstus. Dicebant etiam populum gentilem canes esse potiùs quam homines, indignum esse iudicantes, vt qui idolis seruierant, sibi cõparabiles existerent. Sed dominus qui non venit vocare iustos, sed humiles pœnitentes, cui placet ex malis operibus humilis confessio, potiùs quam de bonis superba gloriatio, subdit: *Amice non facio tibi iniuriam*) Murmuratio ista fuit in Iudæis, & in mundo arbitrati sunt, quod plus essent accepturi in futuro. Et isti non acceperũt mercedem, sed perfecti qui non murmurauerunt. Legitur igitur sic in collectione. Primi, id est, Iudæi, qui in primo tempore conuersi sunt, arbitrati sunt in quibusdã membris, quod plus essent accepturi in futuro, quam gentiles. Acceperunt autem ipsi primi singulos denarios, in alijs personis, & ita accipientes in quibusdam personis, murmurabant in alijs personis, hæc est conquestio Iudæorum aduersus dominum.

Hi

Hi nouissimi, id est, gentiles, *una hora fecerũt*, id est, laborauerũt. Nos autem Iudæi laborauimus toto tempore, quod fuit sub lege. Et portauimus pondus diei & æstus, id est, diu sub onere legis sudauimus, vel longiora carnis tentamenta sustinuimus, quibus dominus respondebat per suos scilicet perfectiores. *Amice*, per fidem, & non amice per operationem, *nõnne ex denario diurno*, id est, vita æterna *conueneristi mecum?* id est fidem meam recepisti? Sed quia incœpisti inuidere & murmurare, ideò tolle quod tuum est, id est, quod meruisti, scilicet damnationem & vade, id est, discede à me. Volo autem & huic nouissimo, id est, gentili populo dare secundum meritum, sicut do tibi per meritum. Talis est mea voluntas.

Aut nõ licet mihi facere quod volo.) Ego ago secundum bonitatem meæ misericordiæ: an oculus tuus nequam est, id est, inuidus, de hoc quod ego bonus sum? Sic ergo erunt primi nouissimi, & nouissimi primi, quasi dicat: Sicut vides Iudæos, qui primi videbantur, id est, maximi, fieri nouissimos, id est, vilissimos per dãnationem: & gentiles qui priùs erant nouissimi, id est, damnabiles per idololatriam fieri primos, id est, per fidem exaltatos. sic accidet in multis alijs. Alij dicunt neminem murmurasse, sed id dominum interposuisse, vt ostenderet neminem posse iustè conqueri de sua operatione.

Multi enim.) Primi fient nouissimi, id est, damnabiles. Nam non omnes vocati ad fidem saluabuntur. Et hoc est: *Multi enim, &c.*)

Et ascendẽs Iesus, &c.) Christus ascensurus Ierusalẽ, vt pateretur iterum intimando eis mortem præparat eos ad tentationem, ne turbarentur cum viderent morientem. Nunciat & resurrectionem ad eorum consolationem. Ascendimus dicit, secundum situm loci. litera plana est.

Tunc accessit ad eum, &c.) Quæritur, vnde filij Zebedæi habent opinionẽ regni? De hac causa, vt reor, quia audierant tertia die resurrecturum. Putabant ergo post resurrectionem in mundo regnaturum: & ideò cupidi honoris, desiderant apud eum primum locum tenere. Sed cum non audeant hoc per se postulare, per matrem postulant.

Qui dixit ei, &c.) Nõ interrogat quasi nesciẽs quid velit, sed vt illa exponente, manifestã faceret irrationabilẽ esse petitionem. Petebant enim quasi irreligiosi & gloriæ amatores, non habẽtes vtilium postulationum discretionẽ. Et nota quod frequenter patitur dominus discipulos suos, aliquid non rectè aut dicere, aut agere, aut cogitare, vt ex illorum culpa inueniat occasiones docendi, & exponendi regulam pietatis.

Ait illi, &c.) Postulat mater filiorum Zebedæi, errore muliebri, & affectu pietatis, nesciens quid peteret. Nec mirum si ista arguitur imperitiæ, cum de Petro dicatur, quando facere vult tria tabernacula, nesciens quid diceret. Et notandum quia Matthæus scribit matrem postulasse hoc pro filijs. Marcus ipsorum desiderium & consilium aperire volens legentibus, tacet de matre, & ipsos dicit potiùs postulare, quod ipsorum rogatu nouerat per matrem postulatũ. Et nota hoc bonum quidem fuisse desideriũ, sed inconsideratam petitionem. Ideò etsi impetrare non debebant, simplicitas petitionis eorum non tamen confundi merebatur, quia de amore domini nascebatur. Propterea non voluntatem neq; propositum eorũ culpabat, sed solam ignorantiam eorum reprehendit dicens:

Nescitis quid petatis.) Et notandum quia dominus vtrique Euangelistæ satisfaciens, non matri, sed ipsis quorum erat petitio, respondit: Nesciunt quid petant, qui sedem gloriæ à domino quam nondũ merentur inquirunt. Eos quidem delectabat culmen honoris, sed priùs debebant exercere viã laboris. Desiderabant sublimiter regnare cum Christo sed priùs erat pati humiliter pro Christo.

Potestis bibere calicem, &c.) Quasi dicat: Quia ergo vultis mecum exaltari, potestis mecũ per passionem humiliari? Nomine calicis passionẽ designat martyrij, qua & seipsum, & illos decebat consummari. Nõ ignorabat quidem dominus, quia per passionem eius poterãt imitari, sed ideò dixit hoc illis, vt domino interrogãte, & eis respondentibus, omnes nos audiamus, quia nemo potest cũ Christo regnare, nisi passionem eius fuerit imitatus.

Dicũt ei: Possumus.) Non tantũ confidentia cordis sui, quantũ ignorãtia passionis respõderunt: Nescientibus enim desiderabile est bellum, sic inexpertis leuis videtur esse tentatio passionis & mortis. Si enim dominus potuit dicere: Pater si fieri potest, transeat à me calix iste: quanto magis non fuerint dicturi, quia possumus, si scirent qualis esset tentatio mortis? Magnum enim dolorem habet passio, tamen mors maiorem habet timorem.

Ait illis: Calicem quidem meum bibetis, & cæt.) Iacobus ab Herode truncatus est. Ioannes in feruentis olei dolio missus, & in Pathmos relegatus, animo non defuit martyrio. Sic & multi alij Calicem Domini biberunt, licèt persecutor sanguinem non fuderit. Quod autem subiungit:

Sedere autem nõ est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo, &c.) Sic est intelligendum: Regnum cœlorum nõ est dantis, sed accipientis. Non est enim acceptio personarum apud Deum, sed quicunq; talem se præbuerit, vt regno cœlorũ dignus sit, hic accipiet quod non personæ, sed vitæ paratum est. Si itaque tales estis, qui regnum cœlorum consequamini, quod triumphantibus & victoribus pater meus parauit, vos accipietis. Vel aliter: Non est meum dare vobis, id est, superbis, quod adhuc estis, sed alijs paratũ est: ergo & vos, nolite esse

ſuperbi, ſed eſtote alij, id eſt, humiliamini, qui iam vultis exaltari, & tunc paratum eſt vobis.

Et audientes decem, &c.) Decem Apoſtoli non indignãtur mulieri, nec ad mulierẽ referũt audaciã petitionis, ſed ad filios, qui ignorantes menſuram ſuã, immodica capacitate vel cupiditate exarſerãt. Quemadmodũ enim, vt Ioannes ait, illi carnaliter petierunt, ſic iſti carnaliter cõtriſtati ſunt. Si enim vtiq; ſaperent, & intelligerent, nec iſti tale quid peterent, nec illi de tali petitione dolerent. Iſti ergo ambitioſi, illi inuidioſi, vtriq; tamen nobis proferunt.

Ieſus aũt, &c.) Ieſus aũt humilis magiſter & mitis, nec immoderatæ cupiditatis duos arguit poſtulantes, nec decem reliquos indignationis increpat & liuoris, ſed tale ponit exemplũ, quo doceat illũ maiorẽ eſſe qui minor fuerit, & illũ dominũ fieri, qui omniũ ſeruus erit. Fruſtra igitur, aut illi immoderata quæſierũt, aut iſti dolẽt cũ ad ſummũ culmẽ nõ potentia ſed humilitate veniãt. Quiſquis ergo, vt ait, maximus diuinitatis cupit maxima tenere faſtigia, humilitatis ſectetur ima. Et qui vult fratrẽ prẽuenire regnãdo priùs illum præueniat obſequendo. Dicit itaq;:

Scitis quia principes gentium, &c.) Quaſi dicat: Vos more ſæcularium per prælationem vultis præuenire ad regni poſſeſsionẽ, ſed nõ ita erit, quia potiùs peruenitur ad ſublimitatẽ per humilitatem. Et hoc eſt quod ſequitur:

Non ita erit inter vos, ſed quicunq;, &c. Sicut filius hominis, &c.) Proponit exemplũ, vt ſi dicta paruipenderent, ad opera ſaltem erubeſcerẽt, dicens: Sicut filius hominis non venit miniſtrari, id eſt, temporaliter dominari, ſed miniſtrare, non tantum prædicando, vel miraculis admonendo, ſed animam quam pro nobis accepit, impendendo, non pro omnibus, ſed pro multis, id eſt, pro his qui credere voluerunt. *Et egredientibus illis.*) Lucas refert, dominum, cum appropinquaſſet Iericho, vnum cæcum illuminaſſe. Matthæus verò perhibet, Chriſtum cũ de Iericho egrederetur, duos cæcos illuminaſſe. Marcus verò vnum, qua in re nemo exiſtimet, Euangeliſtas contraria ſibi ſcribere, ſed Lucam ſuppleſſe illuminationem vnius cæci in ingreſſu Iericho, quod Matthæus prætermiſerat. Quod aũt Marcus narrat, vnũ illuminatũ eſſe ingreſſione Iericho, & Matthæus duos, ſic intelligẽdum eſt, quod vnus eorũ famoſus erat, de quo Marcus facit mentionẽ, alter verò nullius nominis erat. Vnde & Marcus illius nomen ponit, & nomen patris dicens ita: Filius Thimei, Barthimeus. Cæcus ſedebat ſecus viam mendicans. Sed quæritur, ſi nobilis, quare mendicus? Sed ex aliqua magna fœlicitate deiectus, notiſsimæ & famoſiſsimæ miſeriæ erat, propterea ipſum ſolum voluit memorare Marcus, cuius illuminatio tã claram famam huic miraculo cõparauit, quã illius nota calamitas fuit. Myſticè autem Iericho luna interpretatur, & per eam noſtræ mortalitatis defectus ſignificatur. Appropinquans ergo Iericho, cæco lumen reddidit, quia ante paſsionem cum morti appropinquaret, Iudaicum populum cõuertit. Bene dominus prope mortem Iudaicum populum cõuertiſſe dicitur, quia paucis annis ante paſsionem aſſerunt Euangelium eum prædicaſſe. De Iericho exiens duos illuminauit, quia poſt mortem & reſurrectionẽ Euangeliũ Iudæis & gentibus prædicari fecit. Quod verò Marcus vnum illuminatũ ſcribit, ad gentiũ ſalutem reſpicit, quarũ cæcitas notiſsima erat. Prætereà Marcus qui gentibus ſcribebat, meritò vnũ commemorat, vt figura congrueret ſalutationi eorũ quo ad fidem inſtituebat. Matthæus verò qui Hebræis ſcribebat Euangeliũ, quod in Gentium quoq; notitiam peruenturum erat, rectè dicit duos illuminatos, vt ad vtrunq; populum gratiã fidei pertinere doceret. Duo cæci ſedebant ſecus viam, quia vterq; populus qui cæcus erat, nõ in via, ſed ſecus viam ſedebat, dum iam fidei Chriſtianæ per deſiderium adhærebat, & à Deo illuminari cupiebat.

Audierunt quia Ieſus tranſiret.) Tranſitus ille, myſterium incarnationis ſignificat. Dum enim natus eſt, paſſus eſt, reſurrexit, aſcẽdit, tũc quaſi tranſitum fecit, hoc myſterium vterq; populus audiuit prædicatione Apoſtolorum, & cũ audiſſet, volens illuminari, per fidem clamauit:

Domine fili Dauid.) Deum & hominẽ recognoſcunt, cum dicunt domine, Deum: cum dicunt, fili Dauid, hominem confitentur.

Turba autem, &c.) Turba iſta ſunt carnalia deſideria, quæ bonum ſolent impedire affectũ: vel etiam perſecutores, qui ad fidem venire volentibus, minis vel blanditijs ſolent obſiſtere. At illi pulſando, orando, magis inſtant, donec ſtrepitum turbæ vincerent, dicentes:

Domine miſerere. Et ſtetit Ieſus, &cæt.) Tranſiens audit, ſtans illuminat, quia per humilitatem miſertus eſt quando trãſijt, & per verbi æternitatẽ quod nunquã mouetur, lumẽ reddit:

Et ait illis: Quid vultis vt faciam vobis?) Quid vellet cæcus non ignorabat: ſed peti vult hoc, quid nos petere, & ſe concedere prænoſcit. Importunè nanq; ad orationẽ nos admonet, & tamẽ dicit: Scit nanq; pater veſter quid opus ſit vobis, antequã petatis eum: ad hoc ergo requirit vt petatur. *Dicunt illi. Domine ut aperiantur, &c.*) Cæci à domino non aurum, ſed lucem quærũt. Paruipendentes extra lucem aliquid quærere, quia & ſi habere cæci quidlibet poſſent, ſine luce non poſſent videre quicquã. Imitemur ergo eos, non falſas diuitias, non terrena dona, non fugitiuos honores à domino, ſed lucem quæramus. *Miſertus aũt eorum Ieſus, tetigit oculos eorum.*) Quia ſuo lumine corda eorũ illuminauit, & cõfeſtim viderunt, quia crediderunt, & illuminati ſunt, & ſecuti ſunt eum, quia ad imitandum ſeſe parauerũt. Videt & ſequitur, qui bonum quod intelligit operatur.

CAPVT

CAPVT XXI.

ET cùm appropinquaſſet Ieroſolymis, & cæt.) In hac figura totius eccleſiæ vocatio figuratur, quod in expoſitione huius Euangelij intelligitur. Ad literam verò, qui toties Ieruſalem venerat ſine laudibus, modò cũ ramis palmarum, & frondibus, & voce puerorum recipi voluit, quia in alijs temporibus nondum venerat hora eius, & ideò cum vellent eum capere, abſcondit ſe ab eis.

Ioannes Chryſoſtomus.) Modo verò appropinquante tempore paſsionis, paſsioni ſponte acceſsit, ſponte ſeipſum obtulit, & ad maiorem inuidiam per honorificam ſuſceptionẽ inuitauit. Hoc enim nequitia eorum exigebat, vt qui corrigi nolebant, deteriores efficerentur. Miraculum verò auditum de Lazaro, ad hanc honorificam obuiationem commouit. Vnde ait Ioannes: Propterea quia ſuſcitauit Lazarum à mortuis, obuiam venit ei turba. Nec ſine ratione in hac die venit Ieruſalẽ. Decima enim erat dies menſis, quod habemus ex Euangelio Ioannis. Ait enim antè ſex dies paſchæ venit Bethaniam, vbi facta eſt cœna, & Martha miniſtrauit. Lazarus verò vnus ex diſcumbentibus erat, & tunc Maria vnxit pedes Ieſu. In craſtinum verò venit Ieroſolymam, & acceperunt eũ cum ramis palmarũ. Vnde habemus, quia quinto die ante paſcha venit Ieruſalẽ, qui eſt decimus dies mẽſis. Paſcha enim celebrabatur in quarta decima die. Decimo aũt die ideò voluit ingredi, quia ita præfiguratũ erat in lege, vbi præcipitur: Decima die menſis huius tollat vnuſquiſq; agnum per familias, & domos ſuas. Et paulò pòſt ait, Et ſeruabitis eũ vſq; ad quartã decimam diem mẽſis huius, immolabitq; eum vniuerſa multitudo filiorũ Iſraël ad veſperã. Decima ergo die menſis primi, agnus, quem in paſcha immolarẽt, domum introduci iuſſus eſt, quia Dominus decima die eiuſdẽ mentis, hoc eſt, ante quinq; dies paſchæ in ciuitatẽ, in qua pateretur, erat ingreſſurus. Modo ad myſteriũ redeamus. Betphage eſt vinculus ſacerdotũ in monte Oliueti, & domus Buccæ interpretatur. Significat ergo primos prædicatores, qui fuerũt domus Buccæ, ad quos primum venit Chriſtus, quia primũ Apoſtolos & alios condiſcipulos eorum conuertit. Mons verò Olueti, eandem etiã Eccleſiam primitiuã ſignificat. Oliua enim fomẽtum gignit luminis, ſcilicet oleũ, quod etiam carnẽ fouet & lætificat, & in ſacramento baptiſmatis ponitur. Prætereà eſt etiã arbor pacis, quæ omnia Eccleſiæ conueniunt. Eccleſia enim pacifica, & alijs pacem nũciat, & eã Chriſtus vnctione ſpirituali charismatum ſanctificat, & luce ſcientiæ illuminat, & oleo exultationis, id eſt, gratia ſpirituali impinguat. Vel aliter. Mons Oliueti celſitudinem ſignificat dominicę dilectionis, & miſericordiæ, quæ oleo meritò comparatur. Quia ſicut oleum ſupernatat omnibus alijs liquoribus, ſic miſericordia & dilectio excellunt omnes alias virtutes.

Tunc miſit duos diſcipulos, &c.) Cum ergo primitiuam Eccleſiam Dominus conuertiſſet, voluit & alios per eos conuertere, quos ad cœleſtem Ieruſalem poſſet perducere. Miſit ergo duos diſcipulos, id eſt, duo genera prædicatorum: alios ad Gentes, alios ad Iudæos. Quidam dicũt hoc fuiſſe Petrum & Philippum, quia Petrus Cornelium primum gentilem conuerſum baptizauit. Philippus verò Samariæ prædicauit, quę aſina interpretatur. Adduxit itaq; Philippus aſinam, Petrus verò Cornelium, quaſi aſinæ pullum. Vel duos miſit, vt eos de doctrina & operatione perfectos eſſe moneret. Seu duos, propter ſacramenta dilectionis.

Et dixit eis: Ite in caſtellum, &c.) Id eſt, ite contra mundum, qui multis ſententijs Philoſophorum munitus eſt. Caſtellum mũdum ſignificat, qui ſemper nobis cõtrarius eſt. Duo diſcipuli, doctores Eccleſiæ ſunt, qui ſemper debent ſoluere & prædicare populo per orationes & confeſsiones, & pœnitentiam & ieiuniũ. Aſina Eccleſiam ſignificat, vel Synagogam, quæ alligata in veteri lege, & nunc ſoluta in noua lege. Populus humilis & manſuetus per pullum ſignificatur, in quo ſedet & requieſcit, & ille populus proſternens ramos in via, ſignificat omnes fideles, qui ponunt fidem in Chriſto, & portant fructum boni operis.

Et ſtatim inuenietis aſinam alligatam & pullum cum ea, &c. Ioannes.) Aſina, quæ ſubiugalis fuit & domita ſynagogam, quæ iugo legis preſſa fuerat deſignat. Pullus aſinæ laſciuus & liber, populum ſignificat nationum, qui pullus ab alio Euangeliſta alligatus fuiſſe dicitur. Vterq; enim populus funibus peccatorum erat conſtrictus, & ſolutione indigebat. Ille enim legem quã acceperat, vtendo malè: Iſte verò peccauerat nunquã accipiendo. Omnes igitur peccauerunt, & egent gratia Dei. Alij Euangeliſtæ, qui Gentibus ſcripſerunt, pullum ſolummodo adductum Domino memorant. Matthæus verò, qui hebræus ex Hebræis, hebræo ſermone ſcripſit Euangelium, etiam aſinæ facit mentionem, prouida vtiq; diſpenſatione, vt quorum ſalutem ſcribendo quæſierunt, hos ſaluandos à Domino myſticè docerent eſſe præfiguratos. Et nota, quod dicit Marcus pullum aſinæ antè ianuam in biuio inuentum. Ianua Chriſtus eſt, extra quod Gentiũ populus ſtabat ligatus, non in vna fidei via, ſed in diuerſis erroribus.

Et ſi quis vobis aliquid dixerit, &cæt.) Id eſt, ſi quis obedientiam eorum negare voluerit, dicite, quia Dominus his opus habet.

Dicite, id eſt, prædicare non deſiſtite, quia Dominus ſimpliciter omnium rerũ Dominus, cui debet omnis creatura ſeruire, his opus habet, vt ſeruiant ei.

Præcipitur Apostolis,& doctoribus alijs,vt si quid aduersitatis obstiterit. Si quis peccatores à laqueo diaboli soluì prohibuerit, & per confessionem adduci Domino non tantùm prædicare desistant,sed cõstanter insinuent,quia Dominus ad ædificandam Ecclesiam suam talibus opus habet.

Quamuis enim sæuus sit persecutor, non tamen potest obsistere saluationi eorum,quos nouit Dominus,qui sunt eius.

Dominus his opus habet,&c.) Iustum est enim,vt qui seruiunt creaturæ, seruiãt creatori. quandoq; enim Gentes Deus in potestate diaboli pro tẽpore reliquit,vt tentaret, non inæternum contemnsit vt perderet.

Et confestim dimittet eos.) In Domini scilicet seruitio mancipandos. Vel,vt legitur,animal quidem quod postquam ingressum est Ierusalem,ad dominum suum remissum est. Animal autem Prophetia in Ecclesia remãsit. De animali etiam illo, non quòd videbatur, erat necessarium Christo, sed illud quod intelligebatur, id est,non caro, sed ratio. Ideoq; caro remissa est, ratio autem retenta est. Quod ait: & confestim dimittet eos. Nota quòd non dixit ad diabolũ, quia priùs tenebat eos, sed in arbitrio suo adiuto dono gratiæ.

Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur,quod dictum est per Prophetam, &c.) Adhibetur huic facto testimonium prophetiæ, vt appareat Dominum omnia,quæ de ipso scripta erant compleſſe,sed inuidia cæcatos Scribas & Pharisæos, ea quæ ipsi legebant, intelligere noluisse.

Dicite filiæ Syon.) Filia Syon Ecclesia est fidelium, pertinẽs ad supernam Ierusalem, quæ est mater omnium nostrum, cuius portio tunc minima erat in populo Israel. Præcepit itaq; Dominus prædicatoribus suis. Dicite filię Syon,ad literam,Iudaicè populo. Mysticè autẽ Ecclesiæ.

Ecce rex tuus,&c. Ioannes.) Ecce est aduerbium ostendentis, quasi dicat: Videte non carnali aspectu, sed spirituali intellectu, opera virtutum eius aspicite. Nec dicatis, non habemus regem nisi Cæsarem, quia reuera iste est rex tuus,& venit tibi, si credis:contra te, si non credis.

Mansuetus &c.) Quia primus aduẽtus fuit humilis. Secundus erit terribilis, quia sedẽs super asinam & pullum,nõ in curru aureo, sed super bestiam pacis amicam. Mysticè autem super vtrunq; populum, sub Domino eius humiliatũ. Quòd autem dicit,super pullum & asinam, non est ad literã intelligendum, quòd super vtrunq; sedisset,sed in præcordijs vtriusq; populi per illa duo significati.

Euntes autem discipuli,&.) Magna erat virtus Christi, qui sic cor Domini ad donãdum animal præparauit. *Et adduxerunt ad Iesum, & posuerunt,&c.*) Quia doctores virtute Christi vtrunq; populum ad fidem vocauerunt.

Et imposuerunt super eum vestimẽta sua.) Id est, bonis sanctorum patrum exemplis & dictis ornauerunt eos. Non enim Dominus asinã nudam, non nudum debuit ascendere pullum, quia siue Gentilis,siue Iudæus sit,nisi fuerit nuper dictis sanctorum ornatus & factis,Dominũ habere sessotem suum habere nõ potest. Vestes Apostolorum sunt diuina præcepta & gratia spiritualis,quibus turpitudo carnis nostræ tegitur. His priùs erãt populi nudi, sed modò per Apostolos ornati, Christum habent sessorem. Minor verò turba, non potuit vestes super asinam ponere, sed in via, quia sancti martyres carnem exuentes,quæ quasi animæ tegumẽtum est,simplicioribus per exemplum, viam sanguine suo parant, ne dubitent ibi ponere, vbi viderint eos in bello martyrij præcessisse. Aliter: Vestimenta sunt legis mandata carnalia, quæ Christianis fuerant in via,id est,in Christo conculcanda: & etiam vide, quia super iumentum Apostoli ponunt vestimenta,sed sub pedibus iumenti cætera turba Iudaica ponit vestimenta,quia mandatis quidem Apostolorũ Christiani instruuntur & ornantur. Legis autẽ mandata conculcantur, quod est, dum carnales consuetudines omnes, & circumcisionem reprobamus.

Moralitas.) Saluator noster super iumentũ sedet, & Ierusalem tendit, cùm vnusquisque fidelis animam suam,scilicet iumentum suum regens,ad pacis intimæ visionem ducit. Qui verò vestes strauerunt in via, significant eos, qui corpora sua per abstinentiam domant, vt ei iter ad mentem præparent,vel exẽpla bona sequentibus præbeant.

Alij autem cædebãt ramos de arboribus.) Ramos vel frondes cædunt, qui verba & sententias bonas de libris Patrum excerpunt, per quas simplicium corda Christianorum ædificantur, ne errent in via veritatis. *Turbæ autem,&c.*) Illi qui præcedebant, significãt eos,qui fuerunt ante aduentum Christi,& qui sequebantur, significant eos,qui fuerunt post aduentũ eius. Vtriq; autem in eadem voce confessionis conueniunt, qui omnes clamabant dicentes:

Hosanna filio Dauid, & cæt. Gregorius.) Hosanna verbum hebraicum est,cõpositum ex corrupto&integro. Dicitur enim hosanna,quasi osi anna. Osi interpretatur salua, vel saluifica, vel saluum fac. Anna est interiectio deprecantis,sicut apud nos obsecro. Vnde Hieronymus ita interpretatur, Hosanna, id est, salua obsecro. Et versus iste sumptus est ex Psalmo centesimo decimo septimo,vbi dicitur. O Domine saluũ me fac,ô Domine bene prosperare,benedictus qui venit in nomine Domini: & hoc dicitur in trãslatiõe septuaginta interpretũ. In hebraica autẽ veritate tantũ dicitur. Obsecro domine, salua

salua obsecro. Sequitur: Benedictus,id est,gloriosus, qui incarnatus est in nomine, non suo, sicut antichristus, sed in nomine Domini, id est,patris sui glorificando. Iterum repetunt hosanna,id est,salua obsecro, & annunciãt vbi velint saluari, scilicet in altissimis, id est, in cœlestibus,non in terrenis.

Et cùm intrasset Ierusalem, cõmota est ciuitas,&c.) Mirans frequentiam,nesciens veritatem. Et quærunt: Quis est hic, cui ita occurrunt obuiam cum laudibus? Populi autem dicebant: Hic est Iesus à Nazareth,Galilęæ Propheta. Plebecula Iesum confitetur, vt confessio sui nominis à minoribus incipiẽs, ad maiores perueniat. *Et intrauit,&c.*) Quia vrbem ingressus, primò templum adijt,formam religionis quam sequamur,nobis demõstrauit, vt quocunq; venerimus domum orationis, si ibi est, primùm adeamus, & per orationem Deo commendati, sic ad agenda negotia securius accedamus. Intrauit etiam propter aliam causam, quia refert Lucas,quòd Iesus cùm appropinquasset,videns ciuitatẽ fleuit,& destructionẽ ciuitatis prænunciauit,deinde templũ ingressus,cœpit eijcere vẽdẽtes,vt causam destructiõis ciuitatis ex iniquitate sacerdotum maximè pendere ostenderet.

Et eijciebat,&c.) Excogitauerant sacerdotes,quomodo prædam de populo facerent,vt animalia & cætera,quę offerenda erant,venderẽt quàm cariùs possent, & oblata rursus haberent, & quod consumere non possent,iterum venderent. Et quia fortassè aliqui essẽt,qui paratos nõ haberent nummos,vnde emerent, constituerũt etiam nummularios suos, qui nummos accommodarẽt. Et quia lex vetat accipere vsuram, pro illa accõmodatione leuia munuscula, poma scilicet & vuas,& legumina accipiebant, quasi hoc peccatum non præcauisset Ezechiel dicẽs: Vsuram & superabundantiã non accipietis. Hãc igitur negociationem Dominus in tẽplo cernens, dolore latrocinij, seu ardore spiritus cõcitatur. Vnde Psalmista: Zelus domus tuæ comedit me, & eiecit eos. Eiecerat iam alia vice,quod solus Ioannes dicit,sed de vltima electione dicunt alij, quãdo facto flagello de funiculis,oẽs eiecit. Notandum, quòd ea tantùm vendi, vel emi, repperit in templo, quæ ad ministerium templi necessaria erant. Si ergò nec ea voluit in templo venundari, quæ in templo volebat offerri, propter studiũ videlicet auaritiæ vel fraudis, quantum puniret, si inuenisset ibi aliquos risui vel vaniloquio vacantes, aut alio vitio mancipatos. Aliud tamen spiritualiter intelligendum est. Damnantur enim in hac figura Simoniaca hæresis. Simõ enim magus voluit emere à beato Petro dona spiritussancti, cui talis sentẽtia data est damnationis ab Apostolo. Pecunia tua tecũ sit in perditionem. Nec solùm ementes, sed etiam vendẽtes dãnabiles sunt. Vnde Dominus eiecit omnes vendentes & emẽtes de templo. Omnes enim Simoniaci à templo Dei,vel sententia hominum,vel ante oculos Dei priuantur.

Et mensas nummulariorum euertit, &c.) Mensæ istæ altaria significant. Nummularij, sacerdotes, qui nummis plùs quàm diuino seruitio sunt intenti. Altaria euertit, dum ea multoties occulto iudicio euerti permittit.

Et cathedras vendentium columbas, &c.) Quia spiritussanctus in columba super Dominũ apparuit, rectè per colũbam spirituſsancti charismata significantur. Qui autem sunt in templo Dei hodie, qui columbas vendunt, nisi qui in Ecclesia precium de impositione manus accipiunt, per quam videlicet impositionem spiritus cœlitus datur. Colũba igitur venditur,cùm manus impositio, per quam spirituſsanctus accipitur,ad precium præbetur.

Gregorius. Sed redemptor noster cathedras vendentium columbas euertit,quia talium negociatorum sacerdotium destruit. Notandum est etiam, quòd precium aliud à manu, aliud à lingua, aliud ab officio. Munus à manu, pecunia: munus à lingua,fauor: munus ab officio, seruitiũ. Qui aũt spirituſsancti dona alicui,propter aliquid horum tribuit, preciũ de columbis accipit. Propterea ait Propheta: Beatus, qui excutit manus suas ab omni munere. Cùm dicit omni,diuersitatem munerum voluit significare.

Et dixit. Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur.) Quasi dicat: Domus mea oratorium dicitur. nemo in oratorio aliquid agat,nisi ad quod factum est,vnde & nomen habet.

Vos aũt fecistis eam spelunçam latronũ.) Qui enim ad accipiẽda munera in templo residebant, profectò quin quibusdam nõ dantibus læsiones exquirerent, dubium nõ erat. Domus ergo orationis spelunca latronum facta fuerat, quia ad hoc in templo asistere nouerant, vt aut non dantes munera,studerent corporaliter persequi,aut dantes spiritualiter necare. Templum quoq; & domus Dei, est ipsa mens & conscientia fidelium, quæ si quando è læsione proximi peruersas cogitationes profert,quasi in spelunca latrones residẽt.

Et accesserũt cæci & claudi ad eum,&c.) Et ingressus in templum infirmos sanabat, vt quod pueri verbis testificabantur, *ipse* confirmaret miraculis. Mysticè autem: Cùm eiecisset indignos sacerdotes de templo,simplices peccatores ad se per pœnitentiam accedentes, prius cæcos in cognitione, & claudos in operatione illuminando,& in viam rectitudinis dirigendo, quotidie sanat.

Videntes autem principes sacerdotum, & cæt.) Scribæ dolentes & indignantes de tã manifesta eius potẽtia,&eius laude,per pueros celebrata,laborãt quærendo, si eũ possent principes capere in aliquo verbo,dicẽtes: *Audis, quid pueri*

isti

iſti dicunt?) Quaſi dicerent: Aſſcribis tibi hanc laudem? Ieſus autem moderatè ſententiã temperat & reſponſionem. Non enim ait: Bene faciunt pueri, quia mihi teſtimonium perhibent, quod Scribæ audire nollent. Nec rurſum ait, errant pueri. Parcite eorum ætati, ſed quaſi ſe tacente verba illorum puerorum confirmat, teſtimonio Dauid dicentis:

Nunquam legiſtis, ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem, &c?) Teſtes miraculorũ Chriſti infantes dicuntur, non ætate, ſed ſimplicitate cordis lactentes, quaſi lacte, id eſt, ſuauitate miraculorum, quæ dicuntur lac: panis verò perfecta doctrina.

Et relictis illis, quaſi incredulis & cõtradictoribus, *abijt foras extra ciuitatem in Bethaniam.*) in domum ſcilicet obedientiæ, præfigurans iam tunc Gentium vocationem. Vnde dicitur: Populus, quem non cognoui, ſeruiuit mihi, & cæt. Et nota, quia Chriſtus pauper verus, nulli vnquam adulatus, nullum inuenit hoſpitem in vrbe, ſed apud Lazarum ſororeſque eius receptus eſt hoſpitio in quodam oppidulo. *Manè autem reuertens in ciuitatem, eſurijt.*) Nota morem ſtudioſi operatoris, dũ dicitur, manè reuerſum fuiſſe in ciuitatem, vt prædicaret, & vt aliquos Deo patri acquireret. Per hoc verò, quòd dicit eſurijt, notatur veritas carnis. Vel dicitur, quia eſurijt ſalutem credentium. Poſſumus etiam notare per iſtam matutinam reuerſionem factam in Ieruſalem ipſius reſurrectionem, quãdo ſcilicet diſcuſsis noctis tenebris, damnatoq; diabolo, matutina reſurrectione radiante, illuſtrauit vniuerſum orbem. Eſurijt, vel veritatem humanæ carnis oſtendens, vel eſuriens ſalutem credẽtium, æſtuans ad credulitatem Iſraelis.

Et videns ficũ arborem, &c.) Deus prædicat aliquando verbis, aliquando factis. Quid enim erat cauſæ, vt eſuriens fructum in ficulnea quæreret, cuius non erat tempus (quia erat prope paſcha Iudæorum) arboremq; maledictione damnaret, niſi quia plebem, quod verbo docebat, facto terrere volebat? Ficus enim eſt ſynagoga, quæ non in via, ſed ſecus viam erat, id eſt, non in ſpiritu, qui ducit ad Chriſtum, qui eſt vera via, ſed in litera legis, quæ extra veram viam ducit. *Et uenit ad eam, nihilq; inuenit in ea, niſi folia tantùm, &c.*) Venit per incarnationem. Folia, ſunt verba legis & Prophetarum. Verba inuenit in eis, non fructum bonæ operationis. Damnatur ergo, quia Iudæa, quæ verba ſcripturæ ſine operibus ſonabat, digna eſt vltione punita. Hæc aũt dixerim, non quòd tota ſynagoga fuerit abiecta, ex qua, vt conſtat, quòd fuerit primitiua Eccleſia conſtructa, ſed illa nimirum portio ſynagogæ damnari meruit, quæ eſurientem Chriſtũ paſcere bene operando recuſauit, quæ folijs verborum ſpiritualium magis obumbrari, quã fructibus ſpiritus voluit onuſtari.

Et videntes diſcipuli, mirati ſunt dicentes: Quomodo continuò aruit? &c.) Dominus ſcandalum crucis portaturus, diſcipulorũ animos voluit aliquo ſigno anticipari, vt viderent, quòd ea virtute, qua ficus aruit, eadem virtute inimicos ſiccaret, niſi eorum ſalutem per patientiam expectaret.

Reſpondens autem Ieſus, dixit: &c.) Solẽt Gentiles quidam contra Eccleſiam maledicta ſcribere, & improperare noſtris, quia nõ habuerunt plenam fidem Dei, quia nunquam montes transferre potuerunt, quibus eſt reſpõdendum. Non omnia eſſe ſcripta, quæ in Eccleſia ſunt geſta. Sicut etiam de factis ipſius Chriſti Dei, & Domini noſtri ſcriptura teſtatur. Vnde & hoc quoque fieri potuiſſet, vt mons ablatus de terra mitteretur in mare, ſi neceſsitas id fieri poposciſſet, quomodo factum legimus precibus beati patris noſtri Gregorij, Neocæſareæ Ponti antiſtitis viri meritis & virtutibus eximij, vt mons in terra tantum loco cederet, quãtum incolæ ciuitatis opus habebant. Cùm enim volens ædificare Eccleſiam in loco apto, videret eum angu-

ſtiorem eſſe, quàm res exigebat, eò quòd ex vna parte rupe maris, ex alia monte proximo coarctaretur: venit nocte ad locum, & flexis genibus admonuit Dominum promiſsionis ſuæ, vt montem lõgius petentis iuxta fidem ageret, & manè facto reuerſus, inuenit montem tantum ſpacij reliquiſſe ſtructoribus Eccleſiæ, quantum opus habuerant.

Myſticè aũt complentur hęc miracula in ſanctis. Diabolus enim verè eſt mons ſuperbię, qui per prædicationem ſanctorũ de cordibus infideliũ repellitur, & in mare proijcitur, id eſt, maiorem veſaniã in prædeſtinatis ad mortem excere permittitur. Ambroſius verò dicit aliter. Quia per Apoſtolos prædicatum eſt Euangelium, ipſe Dominus, qui mons eſt appellatus, à Iudæis eſt ablatus, vt inter Gentes per Apoſtolorum prædicationẽ, tanquã in mare iactaretur. *Et omnia quæcunq;, &c.*) Notãda eſt diſtinctio deprecãtium, qui perfectam fidem habet, quæ per dilectionem operatur, ille orando vel etiam iubendo poteſt impetrare, quæ petierit.

Et cùm veniſſet in templũ, acceſſerũt &c.) Non tam fide quàm corpore, quod apparet ex verbis eorum, quibus eum tẽtabant dicentes: In qua poteſtate hæc facis? & quis tibi dedit hanc poteſtatem? Diuerſis modis eandem quam ſuprà calumniã ſtruunt, quando dixerunt, in Beelzebub principe dæmoniorum eijcit hic dæmonia. Quando enim dicunt, in qua poteſtate hæc facis? de Dei dubitant poteſtate, & ſubintelligi volunt diaboli eſſe, quæ faciat, addentes quoq;. Quis dedit tibi hãc poteſtatem, manifeſtiſsimè Dei filium negant, quem putant non ſuis, ſed alienis viribus ſigna facere.

Reſpõdens Ieſus dixit, &c.) Poterat Dominus aperta reſponſione tentatorum calumniam confutare, ſed prudenter interrogat, vt ipſi vel ſuo ſilentio in ſententia damnentur, ſecundum illud: Dominus confregit dentes eorum in ore ipſorum. Si enim reſpondiſſent baptiſmum Ioannis fuiſſe de cœlo, cõſequens erat reſponſio, quare ergo non eſtis baptizati à Ioanne? Si verò dixiſſem humana deceptione eſſe compoſitum, & nihil habuiſſe diuinum, ſeditionem populi formidabant. Omnes enim congregatæ multitudines Ioãnis receperant baptiſmum, & habebant eum vt Prophetam. Reſpondit itaque impiſsima conflictio humilitatis.

Neſcimus.) Verbo quo neſcire dixit, vſa eſt ad ipſas inſidias captandas.

Ait ergo illis Ieſus: Nec ego dico vobis, in qua poteſtate hæc facio, &c.) Illi in eo, quod ſe neſcire reſponderũt, mẽtiti ſunt. Conſequẽs ergo ſecundum reſponſionem illorum, Dominum quoq; dicere, nec ego ſcio. ſed mentiri veritas non poteſt. quare ait: Nec ego dico vobis. Vnde oſtendit & illos ſcire, ſed nolle reſpondere, & ſe bene noſſe: & ideò non dicere, quia illi quod ſciebant, non dicebant. Iuſtè ergo confuſi, turpiter abſceſſerunt. Et nota, quòd de duabus cauſis occultatur veritas. Vel quia non ſunt capaces auditores. Vnde dicitur: Multa habeo vobis dicere, ſed nõ poteſtis portare modò. Vel quia ſunt contemptatores. Vnde dicitur: Nolite ſanctum dare canibus.

Quid autem vobis videtur? Homo quidã, & cæt.) Confutatis ſacerdotibus cauta reſponſione, ſtatim infert parabolam, qua & illos impietatis arguat, & ad Gentes regnum Dei tranſferendum doceat, Vel ſimpliciter hæc parabola non de Gentibus & Iudæis eſt, ſed de peccatoribus & iuſtis, vt poſteà Dominus dixit.

Amen dico vobis, quia publicani & meretrices, & cæt.) Videndum eſt, quis fuit homo iſte. Homo iſte Deus eſt, qui omnes, quos creauit paterno affectu diligit, qui cùm ſit natura Dominus, tamẽ mauult diligi vt pater, quàm timeri vt Dominus. Vnde in principio mandatorum legis non dixit: Time Dominum Deum tuum, ſed dixit: Diliges Dominum Deum tuũ, & cæt.

Iſte talis pater duos habuit filios, Gentilem & Iudæum. Et accedens ad primum, id eſt, Gentilem populum, dixit. Fili vade hodie, id eſt, in præſenti hoc tempore, operare in vinea mea, id eſt, fac voluntatem meam. Hoc eſt, quòd tibi fieri non vis, non facias alij. Sed videndum eſt, quomodo Deus hanc naturalem legem locutus eſt filijs. Non enim in facie, vt homo, ſed in corde locutus eſt, vt Deus. Non in auribus verbum ſonans, ſed in cordibus intellectum. Sequitur:

Ille aũt reſpondens dixit: Nolo, &c.) In cogitatione quidẽ dixit, nolo. Qui enim habẽs notitiã boni & mali, relinquit bonum, & ſequitur malũ, videtur Deo perſuadẽti reſpõdere, nolo.

Poſteà autem pœnitentia ductus, & cæt.) Abijt, & ſermonis contumaciã labore correxit, & hoc fuit in aduentu Saluatoris. Deinde accedens ad alterum, dixit ſimiliter. At ille reſpondit ſe ire, & tamen non iuit. Iudaicus enim populus in Moyſe Domino reſpõdit. Omnia quęcunq; dixerit, faciemus, & tamen non fecit, ſcilicet vineam non excoluit. Potiùs Dominum vineæ extra vineam interfecit.

Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Primus.) Ecce videndum eſt, quomodo proprio iudicio damnãtur. Volens ergo Dominus, ne lateret eos ſenſus parabolæ, qui maximè ad eos pertinere videbatur.

Ait illis Ieſus: Amen dico vobis, quia publicani, &c.) Vti Matthæus, & meretrices, vt Maria, præcedent vos in regno Dei, in Eccleſia ſcilicet in præſenti, vel in futura, ſcilicet cœleſti Ieruſalem, & reddit cauſam quare. *Venit enim Ioannes, &c.*) Litera plana eſt. Aliam parabolam audite:

Homo erat paterfamilias, &c.) Principes ſacerdotum, qui Dominum interrogauerant in qua poteſtate hæc faceret, & voluerunt eum in verbo capere, qui erat fons totius ſapientiæ, ſuperantur ipſi modò ſua arte, & audiunt in parabolis, quod apertè non merebantur audire. Paterfamilias Deus intelligitur, qui plãtauit vineam, de qua Iſaias. Vinea Domini Sabaoth. Et Dauid: Vineam de AEgypto tranſtuliſti.

Et ſepem circundedit ei, id eſt, angelorum cuſtodiam deputauit illi. *Et fodit in ea torcular,* id eſt, impoſuit ei legalia tormenta, per quæ cogerentur ad bene viuẽdum. Aut torcularia illa, id eſt, martyres, titulo quorum tres Pſalmi intitulantur, cùm dicitur: Pſalmus pro torcularibus ſcilicet, poſuit in ea tales viros, qui parati eſſent torqueri pro nomine Chriſti, vt per eos effluere quædam vbertas ſpirituſſancti.

Et ædificauit turrim, id eſt, templum de quo dicitur per Michæam: Et tu turris nebuloſa filia Syon.

Et locauit eam agricolis.) Quos alibi operarios vineæ appellauit. *Et peregrè profectus eſt.*) Non mutatione loci, ſed relinquens arbitrium liberum bene operandi. Deus enim, quo complentur omnia, vnde abeſſe poteſt?

Cùm autem tempus fructuũ aduenit, &c.) Bene tempus fructuum nõ prouẽtuum poſuit. Nullus enim fructus fuit populi cõtumacis, propter quem tamen fructum accipiendum miſit ſeruos, quos illi apprehenſos, vel ceciderunt vt Ieremiam, vel occiderunt vt Iſaiam, vel lapidauerunt, vt Naboth & Zachariam, quem mactauerunt inter templum & altare.

Iterum miſit alios ſeruos, &c.) Scilicet miſit prophetarũ choros, per ſingulas generatiões, præcipuè

præcipuè tempore captiuitatis factæ per Babylonios. Per singulos tamen gradus diuinæ misericordiæ eis exhibitæ, Crescebat cumulus Iudaicæ malitiæ, & contra Dei clementiam certabat humana malignitas.

Nouissimè autem misit ad eos filiũ suum.) Filium suũ dico, non quasi ad noxios & promeritos pœnæ sententiam baiulantem, sed patienti venia post tot secula adhuc eis locum misericordiæ reseruantem. Quod autem ait: Verebuntur filium meum, non de ignorantia venit, sed semper quasi ambigere dicitur, vt libera volũtas homini reseruetur. Et nota quia misit confundere illos, non punire, quia bono domino & benigno pro tantis iniurijs sufficiebat sola vindicta pudoris.

Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est hæres, venite, occidamus eũ, & habebimus hæreditatem eius.) Manifestè probat Dominus Principes Iudæorum, non per ignorantiam, sed per inuidiam crucifixisse filiũ Dei. Intellexerunt enim hunc esse, cui dictũ est: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam, & propterea quasi sibi consulentes apud se dicebant: Ecce mũdus totus post eum abijt, si dimittimus eum sic, omnes credẽt in eum. Hæreditas ergo Christi est, quam resurgens ipse possedit Ecclesia (quam moliebantur rumpere) primitiua, dum fide eius extincta, iustitiam quæ ex lege est, gẽtibus persuadere conabantur.

Et apprehensum eum, eiecerunt extra vineam, & occiderunt.) Marcus mutat hunc ordinem, dicens: Occiderunt & eiecerunt extra vineam, quasi vile cadauer. In quo notat eorum pertinaciam, quia occiso domino, & resuscitato à suis finibus, eum excluserũt, & quantum in se erat, gentibus ad susciptendum dederunt. Nota iterum quòd extra vineam eiectus est, quia extra portam passus, vel priùs à cordibus incredulorum expulsus, deinde crucifigitur.

Cùm ergo veniet dominus vineæ, id est, cũ ad iudicandum venerit, *quid faciet agricolis illis?* Interrogat dominus, nõ quòd ignoret quid responsuri sint, sed vt propria respõsione sua damnentur.

Aiunt illi: Malè malos perdet, &c.) Quidã alij videntes hoc contra se dictum, dixerunt: secundum Lucam, absit, cùm etiam secundũ Marcum dominus dixisset: Malos malè perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis. Mysticè vinea cuique locatur colẽda, cùm mysterium baptizandi datur, quia operando exerceat. Mittitur seruus vnus & alter, cùm lex, psalmus, & prophetia legitur, quorũ monitu bene operetur. Sed missus cæditur vel eijcitur, cùm sermo cõtemnitur, vel quòd peius est, blasphematur. Hæredẽ quantum ad se occidit, qui filium Dei conculcauerit, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit. Perdito malo, alij vinea datur, cùm donum gratiæ, quod superbus perdidit, humilis accipit. Quòd autẽ vinea alijs locabitur, prophetico confirmat exemplo, dicens eis:

Nunquam legistis in scripturis, lapidem quem reprobauerunt, &c.) Lapis iste Christũ significat, quem Iudæi ædificantes suas traditiones, & quasi domum propriam de subdita sibi plebe statuere volentes reprobauerunt, & sicut antè inuentores mali, sic etiam facti cementarij pessimi, auditoribus suis conabãtur eripere fidem Christi, quæ quasi lapis electus debuit poni in ædificio Dei, iungens in se duos parietes, id est, populos. Hic est enim lapis ille, de quo Isaias: Immittam in fundamentis Syon lapidem electum, pretiosum, angularem, & qui crediderit in eum, non confundetur.

Ideò dico vobis, quia auferetur, & cæt.) Quasi dicat: Ecce ex vestra concessione, & prophetica etiam auctoritate concludo vobis, quia auferetur à vobis Iudæis regnum Dei, id est, vt iam non sitis, quod esse præsumebatis. Et dabitur genti, scilicet populo gentili, facienti fructus eius. Diximus aliquoties regnum Dei scripturas sanctas intelligi, quas abstulit dominus à Iudæis, & tradidit nobis vt faciamus fructus eorum, & ista est vinea quam tradidit agricolis & vineæ cultoribus. In qua, qui operati non fuerint, nomen tantùm habentes scripturarum, vineæ fructum sunt perdituri.

Et qui ceciderit super lapidem istũ, &c.) Aliud est offendere Christum per opera mala, aliud negare. Qui peccat, & tamen in Christum credit, cadit super lapidem, & confringitur, sed non omnino conteritur. Reseruatur enim ad salutem per patientiam, vel pœnitentiam.

Super quem verò ceciderit, &c.) Hoc est, quem lapis ille obruerit, id est, qui Christum penitùs negauerit, veniet illi desuper in iudicio cũ pœna perditionis, & interim conteret omnia bona, quia nullum bonum sine fide.

Et cùm audissent principes sacerdotum & Pharisæi parabolas eius, cognouerunt quod de ipsis diceret. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas, &c.) Quamuis duro corde essent & infideles, intelligebant tamẽ omnes sententias domini contra se dirigi. Intelligebant enim eum esse hęredem, se verò prauos colonos, & solo humano terrebantur timore, quòd non audebant eum interficere, donec veniret hora eius. Mysticè quidem hoc quotidie geritur in ecclesia, cùm quilibet solo nomine frater, fidei & pacis vnitatem quam non diligit, propter bonos cohabitantes, vel erubescit vel timet impugnare, qui tamẽ sicut de stultissima auiũ struthione dominus ait: Cùm tẽpus fuerit, in altum alas erigit, quia persequendo ecclesiam quasi dominum cruci addicere, & ostẽtui gaudebit habere.

CAPVT

CAPVT XXII.

ET respondens Iesus, dixit eis iterum in parabolis: Simile factum est, &c.) Domino de vinea parabolam proponente, & dicente: Quoniam iustitia Dei à Iudæis auferenda erat, nõ sunt territi, sed magis exasperati. Et volebãt in eum manus mittere, quòd intelligens dominus non tacuit. Sed prauæ cogitationi eorũ quã habebant, de morte sua occurrens, Dei grauiorem iram per aliam parabolam prænunciat illis venturam. Nam si illi qui timere deberent, non timuerunt, sed potiùs exasperati sunt, quantò magis Christus tacere non debuit, quem timere non oportuit. Illos facit audaces sua malitia, istum propria potestas. Regnum cœlorũ, quod homini regi assimilatũ est, in hoc loco præsens ecclesia est sanctorum iustorũ, scilicet quos regit Deus, quæ ideò regnum cœlorum dicitur, quia dum sanctorum corda nihil ambiũt in terra, per hoc quod iam suspirant ad superna, iam in eis regnat dominus, quasi in cœlestibus. Homo verò iste, cui regnum cœlorum assimilatur, Deus est pater, qui licèt homo dicatur, humanã tamen naturam nõ suscepit, sed propter causam parabolicè homo dicitur.

Qui fecit nuptias filio suo.) Tũc enim Deus pater Deo filio nuptias fecit, quando hunc in vtero virginis humanæ naturæ coniunxit, quem Deum ante secula genuit.

Gregorius.) Sed quia ex duabus personis solet fieri ista coniunctio, absit hoc ab intellectibus nostris, vt personam Dei & hominis ex duabus personis credamus esse vnitam. Ex duabus enim atq; in duabus hunc naturis existere dicimus, sed ex duabus personis cõpositum credi, vt nephas vitamus. Apertius igitur atq; securius dici potest, quia in hoc pater regi filio nuptias fecit, quo ei per incarnatiõis mysteriũ sanctam Ecclesiã copulauit. Vterus autem virginis huius sponsi thalamus fuit nuptiarũ, vnde Dauid: Tanquã spõsus dominus procedẽs de thalamo suo.

Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, & nolebant venire.) Quãdo misit seruos iam inuitati erãt. Populus enim Israel in gloriã æternitatis per legẽ inuitatus fuit, vel per patriarcharum admonitiones, quod melius est. Qui ergo mittuntur postea inuitatos vocare, procul dubio Moyses, Dauid, Nathan, Salomon, cæteriq́ue Prophetæ fuerunt, quibus inuitati credere noluerũt. Iterum misit alios seruos Apostolos scilicet. Bis itaq; ad inuitandum seruos misit, qui incarnationem filij per Prophetas futuram prædixit, & per Apostolos nunciauit factã, per quos in inuitatione iam dicitur:

Ecce prandium meum paraui, &c.) Prandium est doctrina iustitiæ, & verba cœlestium mysteriorum de filio Dei, quasi dicat: Ecce mẽsam ex omni lege & ex omnibus Prophetis & scripturis ordinaui.

Tauri mei, & altilia occisa, & omnia parata, id est, exempla patrum veteris & noui Testamenti sunt appositа. Tauri sunt Patres veteris Testamenti, qui dum ex permissione legis acceperant, vt suos aduersarios odio retributionis percuterent, quid aliud quàm tauri erant, qui inimicos suos corporeæ virtutis cornu feriebant? Altilia verò sunt patres noui Testamenti, qui dum gratiam internæ pinguedinis percipiunt, subleuantur ad sublimia, cõtemplationis suæ penna. Et nõ sufficit eos amicos tantũ diligere, sed etiã feruent inimicorum suorum dilectione. Quòd autem dicuntur occisa tauri & altilia, intelligendum est vel ab eo quòd fuerant occisa, vel iam per mortem carnis in requie posita. Et notãdum, quòd in priori inuitatione nihil de tauris & altilibus dicitur. In secunda autem tauri & altilia iã mactata memorantur, quia Omnipotens Deus, cùm verba eius audire nolumus, sicut nec illi in priori inuitatione, adiungit exempla, vt quod impossibile credimus, per exempla ad credendum fiat facilius. Sequitur: Venite ad nuptias.) Quasi conclusio est, quia videtis tot & tales viros præcessisse participes nuptiarum & mensæ, qui habuerunt fidem incarnatiõis dominicæ: ergo venite, & in hanc fidem cum cæteris concordate.

Illi autem neglexerunt.) Talẽ, vt diximus, admonitionẽ habuerũt, sed illi admoniti, venire noluerũt, imò neglexerũt suæ salutis præconiũ.

Et abierunt, alius in villam suam, alius verò in negociationem suam.) In villam ire, est terreno labore immoderatè incumbere. Negotiari verò est terrenis inhiare.

Reliqui verò tenuerunt seruos eius, & cõtumelia affectos occiderunt.) Non solùm vocantis gratiam respuerunt, sed & illum in seruis suis persecuti sunt. Et hoc est: Reliqui verò tenuerunt seruos eius, & cõtumelia affectos ceciderunt, ac posteà occiderunt. Et nota quòd hîc filetur occisio sponsi, sed per mortem seruorum ostenditur contemptus nuptiarum. Notandum etiam quòd de morte sua tacet, de qua iam in alia parabola dixerat, sed mortem discipulorum ostendit, quos post ascensum eius occiderunt Iudæi, maximè sacerdotes, quapropter Ierusalem posteà à Romanis destructa est, quod exequitur litera. *Rex autem cùm audisset iratus est.*) Quando ad nuptias inuitabat, & opera misericordiæ agebat, homo tantùm vocabatur. Nunc verò quando ad vltionem venit, homo filetur, & rex tantummodò dicitur. Sequitur: *Et missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitates illorum succendit.*) Romanus exercitus Dei dicitur esse, quia Domini est terra & plenitudo eius. Non enim venissent Romani Ierusalem, nisi eos Dominus excitasset sub duce Vespasiano & Tito, qui occisis Iudæis præuaricatricem succenderunt ciuitatem. Mysticè missis angelis, homi-

cidas perdidit, quia perſequentes interemit, ciuitatem igne ſuccendit: quia illorum nó ſolùm animæ, ſed etiam caro in qua habitauerant, gehennali igne cruciatur. Tunc ait ſeruis ſuis:

Nuptiæ quidem paratæ ſunt, &c.) Quia rex in quibuſdam ſe inuitátem conténi ſe conſpicit, filij ſui nuptias nolés eſſe vacuas, ad alios mittit, quia etſi apud aliquos laboratur, quandoque tamen vbi ſermo Dei requieſcat, inueni tur. Dicit itaque:

Nuptiæ paratæ ſunt, &c.) Quaſi dicat: Omne ſacramentum humanæ diſpenſationis, natiuitatis, paſsionis, reſurrectionis, aſcenſionis peractum eſt.

Sed qui inuitati fuerunt, id eſt, Iudæi, *non fuerunt digni*, qui iuſtitiam ſuam ſtatuere volétes, iuſtitiæ Dei noluerunt eſſe ſubiecti.

Ite igitur ad exitus viarum, id eſt, ad diuerſas nationes gentium, *& quoſcunque inueneritis*, id eſt, cuiuſcunq; conditionis homines, *uocate*, ad Chriſtianitatem, id eſt, fidem Chriſtianam, per nuptias ſignificatam. Vię quidem intelligũtur errores, & varia gentiũ dogmata, ſed ex omnibus aliqui ad nuptias veniunt, id eſt, Chriſto credunt.

Et quoſcunque inueneritis, &c.) Sicut non eſt diſtinctio in natura creationis hominum, ſic non ſit differentia in vocatione ſalutis eorum. *Et egreſsi ſerui illius in uias, congregauerunt omnes quos inuenerunt bonos & malos, &c.*) Gentilis populus ad quem de Iudæa egreſsi ſunt ſerui eius, nó erant quidem in vijs, ſed in exitibus viarum, non erant in doctrinis quæ eſſent viæ ad Chriſtum, ſed erãt tantùm in exitibus viarum, quia per naturalem legem, quidam erant prope veram legem diuinarum doctrinarum: qui enim in exitibus viarũ eſt, neq; ex toto remotus à via, neq; eſt in via. Et nota quòd præcipiuntur congregare bonos & malos, id eſt, & eos qui per naturalẽ legem, & morum honeſtatem quodãmodò boni erant, & eos qui poſtpoſita naturali lege malè viuebant, & abſque diſcretione boni & mali anteà extiterant. Vel bonos & malos, id eſt, prędeſtinatos ad vitam, & prædeſtinatos ad mortem, qui indiſcretè vtuntur præſentis eccleſiæ conuerſatione, Aliter etiam viæ ſignificant actiones. Exitus viarum defectus ſignificant actionum, quia plerunque facilè conuertuntur, quos in terrenis actibus proſpera nulla ſequũtur vel comitantur.

Et impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium.) Ecce iam ipſa qualitate conuiuantium apertè oſtẽditur, quia per has regis nuptias præſens eccleſia deſignatur, in qua mali cum bonis conuerſantur. Sic enim Deus omnes ad fidem generat, vt tamẽ omnes per innouationem vitæ ad libertatem ſpiritualis gratiæ, culpis exigentibus non perducat. Hæc autem vita quæ inter cœlum & infernum ſita eſt, ſicut in medio ſubſiſtit, ita vtrarumq; partium ciues communiter recipit, quos tamen ſancta eccleſia nunc indiſcretè ſuſcipit, poſtmodum in egreſsione diſcernit, vnde protinùs horrenda ſententia ſubditur.

Intrauit autem rex vt videret diſcumbentes.) Rex ipſe eſt Chriſtus, qui intrauit videre diſcumbentes, non quòd eſt aliquid vbi ipſe nó ſit, ſed quia vbi vult aſpicere, ſit præſens: vbi nó vult, abſens videtur. Intrauit ergo vt videat diſcumbentes, id eſt, fidelium turmas, quaſi in fide domini quieſcentes. Et rectè diſcumbentes dicuntur, quaſi quieſcẽtes, id eſt, per ipſam fidem quam tenent, requiem æternam expectantes. *Et uidit ibi hominem non ueſtitum, &c.*) Id eſt, non ornatum charitate, quę maximè veſtis Dei dicitur. Intrat quidem ad nuptias, nó cum veſte nuptiali, qui in ſancta eccleſia aſsiſtens, fidem habet, ſed charitate caret, quæ rectè nuptialis veſtis dicitur. Sola enim dilectiõe Dei actum eſt, vt conditor noſter ad ſociandam ſibi eccleſiam carnem ſumeret, & mentes electorum inhabitaret, vnde ipſe ait: Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitũ daret pro mundo. Quia ergo hominem charitate ornatum non inuenit, protinùs ei quaſi iratus ait: *Amice, quomodo huc intraſti, non habens ueſtem nuptialem? &c.*) Mirandum quia hunc & amicum vocat, & tamen reprobat: Ac ſi diceret: Amice & non amice. Amice per fidem, & non amice per operationem, vel per charitatem. Vel amicũ ideò vocat, quia ad nuptias inuitatus fuerat. Et nota quia impudentiæ eum arguit, quòd veſte illa carendo, nuptiales munditias polluerit. *At ille obmutuit.*) Quia argumentum excuſationis malè ſibi conſcius nó habuit. Sed tamen ſciendum eſt, quia quiſquis hanc veſtem nuptialem perfectè non habet, nó ideò tamen de venia & ingreſſu nuptiarũ deſperare debet, quia ipſe quoq; ſpem nobis per Pſalmiſtam dedit, dicens: Imperfectum meum viderunt oculi tui. Sed quia hoc in conſolatione habentis & infirmantis diximus: nunc ad eum qui modò hanc non habet vertamur, de quo ſequitur:

Tunc dixit rex miniſtris, ligatis pedibus & manibus, &c.) Ligantur tunc pedes & manus, per diſtrictionem ſententię, illis qui modò à prauis operibus ligari noluerunt, per meliorationẽ vitæ. Vel certè tunc ligat pœna, quos modò à bonis operibus ligauit culpa. Pedes enim qui viſitare egenum negligunt, manus quæ indigentibus nihil tribuunt, à bono opere iam ex voluntate ligatæ ſunt. Qui enim nunc ſpontè ligantur in vitio, tunc inuiti ligantur in ſupplicio. Bene autem dicitur quòd in exteriores tenebras proijciatur. Interiores quidem tenebras cæcitatem cordis dicimus, exteriores verò æternã noctem damnationis.

Ibi erit fletus & ſtridor dentium, & cæt.) Vt ſcilicet illic dentes ſtrideant, qui hic de edacitate gaudebant, & oculi defleant & doleãt, qui hic per illicitas cõcupiſcentias verſabãtur, quatenus ſingula membra ſupplicio ſubiaceãt, qui hic ſingulis quibuſq; vitijs ſubiecta ſeruiebant. Sequitur:

Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.) Repulſo igitur vno, in quo ſcilicet omne malorum corpus exprimitur, generalis protinùs ſententia ſubinfertur, cũ dicitur: Multi vocati, &c.) Quaſi dicat: Quod de vno dixi, de multis intelligatis. Et notandum quia ſententiola breuis parabolas omnes comprehendit, quod ſcilicet in operatione vineæ, & in ædificatione domus, & in conuiuio nuptiali non initium quęritur, ſed finis.

Tunc abeuntes Phariſæi, conſilium inierunt, vt caperent eum in ſermone, & mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis, & cæt.) Scribæ quærentes Ieſum cõprehendere, timuerunt populum. Atq; ideò quòd per ſe non poterant, præſidium manibus attentabant, vt vel ipſi à morte eius viderẽtur immunes, vnde quidem mittũt eis diſcipulos ſuos, ſed cum Herodianis. Diſcipulos dico, quaſi minꝰ notos, & minus ſuſpectos, vt vel abſcondite, facilè eum deciperẽt, aut reprehenſi minus apud eum erubeſcerent. Malo enim conſilio deprehenſo, tanto minor naſcitur confuſio, quanto fuerit perſona deterior. Sed diſcipuli talium magiſtrorum, ætate quidem minores, ſed malitia erant pares. Cum Herodianis dicit, id eſt, cũ militibus Herodis. Sub Auguſto Cæſare, quando deſcriptio facta eſt, Iudæa tributaria facta eſt. his tributis præpoſitus Antipatris filius Herodis alienigena & proſelitus. Iudæis ſub Auguſto rex eſt conſtitutus. erat ergo ſeditio in populo. Alijs dicẽtibus, tributa debere dari pro ſecuritate & quiete, cùm Romani pro omnibus militent: Phariſæis contrà nitentibus, non debere populum dare tributum, qui decimas ſoluit, & cætera quæ lex præcipit, nec humanis legibus ſubiacere. Mittunt ergo Phariſæi ſi poſſent decipere illum. Et notandum Iudæos humiliatos pro peccatis tributum reddere, ſicut illis prædictum erat in lege. Sequitur:

Magiſter, ſcimus quia verax es, & viã, &c.) Hęc ſunt verba diſcipulorum ad Ieſum, quia diſcipuli eum magiſtrum vocant, & veracem, vt quaſi honoratus & laudatus, myſterium ſui cordis ſimpliciter aperiat illis, tanquam volens habere diſcipulos. Et nota fraudulentam interrogationem, qua illuc prouocat reſpondentem, vt magis Deum quàm Cęſarem timeat, & dicat tributa non debere perſolui, vt ſtatim audientes Herodiani ſeditionis contra Romanos auctorem teneant. Et nota quod dicunt, non eſt tibi cura de aliquo, quaſi dicant: Non times prælatam perſonam, nec reſpicis perſonam hominum, id eſt, indiſcretè dicis veritatem, & maioribus & minoribus. *Cognitâ autem nequitiâ* & dolositate *eorum, Ieſus ait*: Quid me tentatis hypocritæ? *& cætera.* Non ſunt verba eorum blanda, ſed ſecundum conſcientiam ipſorum aſperam reſpondet aſperè, loquens ad animam, non ad corpus, non verbis, ſed voluntatibus. Prima quidem & maxima virtus eſt reſpondentis, interrogantium mentes cognoſcere, & non diſcipulos ſed tentationes vocare. Aliud enim erãt, & aliud ſimulabant.

Dicit ergo eis: Oſtendite mihi numiſma cenſus.) Denarium ſcilicet, qui pro x. nummis computabatur, & habebat imaginem Cæſaris. & illis oſtendentibus denarium, *Ait Ieſus*: Cuius eſt imago hæc & ſuperſcriptio?) Patet quia non de ignorantia interrogat, ſed vt competenter ad verba eorum reſpondeat. *Dicunt ei, Cæſaris.*) Cæſaris quidem Tyberij priuigni Auguſti, ſub quo & dominus paſſus eſt. *Tunc ait illis*: Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.) Reddite Cæſari tributum, pecuniam, Deo decimas & victimas. Vel aliter: Reddite Cæſari ſua, & quæ ſunt Dei, Deo. Sicut enim Cæſar exigit impreſsionem ſuæ imaginis, ſic & Deus animam vultus lumine ſui ſignatam. Vnde Pſalmiſta: Signatum eſt ſuper nos lumẽ vultus tui Domine. *Et audientes mirati ſunt.*) Qui ad tantam ſapientiam credere debuerunt, mirati ſunt, quia tentandi locum non habuerunt.

Et relicto illo abierunt, & infidelitatem reportauerunt, In illo die, in quo ſcilicet Phariſæi diſceſſerunt, acceſſerunt Sadducæi, qui interpretantur iuſti, quod non erant: vnus dies fuit, ſed multa certamina. Frequentabant enim fortè tali conſilio, vt eum quem ratione ſuperare non poterant, frequentia & tædio ſuperarent, vel ſubuerterent omnibus reſpondentem. Et nota quia duæ hæreſes erant in Iudęis, vna Phariſæorum, & altera Sadducæorum. Phariſæi iuſtitiam traditionum & obſeruationum, quas illi Deuteronomium vocant, id eſt, ſecundam legem præferebant, vnde & diuiſi vocantur à populo. Sadducæi autem reſurrectionem corporum non credebãt, & animam interire cum corpore putabant. Turpitudinem fabulæ fingentes, quæ deliramenti arguat eos, qui reſurrectionem corporum aſſerunt.

Et interrogauerunt eũ dicentes: Magiſter Moyſes dixit, ſi quis mortuus fuerit, & cæt.) Vſque reſpondens Ieſus. Nota quòd hi ſeptem fratres quos proponunt Sadducæi, reprobi ſunt in hac vita, quæ ſeptem diebus agitur, qui ſteriles ſunt ab omni bono, quibus miſerè mortuis, ad vltimum mundana conuerſatio, vt vxor infœcunda quæ ſine fructu eſt, tranſibit. Sequitur: *Reſpõdens autem Ieſus, ait illis: Erratis, neſcientes, &c.*) Scilicet quæ reſurrectionem aſſerunt, *neq; uirtutem Dei*, quæ corpora ſuſcitare poterit. In reſurrectione ergò, neq; nubent viri, neque nubentur fœminæ, ſed ſicut angeli Dei erunt in cœlo,

fruentes visione Dei sine corruptiõis labe. Hæc quidem de resurrectionis conditionibus propositæ reddit quæstioni. De ipsa verò resurrectione contra infidelitatem eorum ita ait:

De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictũ est à Deo, dicente vobis, & cæt.) Nota quia ponit testimonium, quod videtur satis ambiguum, vel nõ satis pertinens ad resurrectionis veritatẽ, sed hoc ideò facit, quia Prophetas, vbi sunt aperta testimonia resurrectionis hominum nõ recipiunt, sed tantũ quinque libros Moysi. Et notãdum, quòd hic de resurrectione, & alibi de diuinitate, quædã coram tentatoribus Dominus inuenitur dixisse, non vt daret sanctum canibus, & margaritas porcis, sed quia inter eos qui tentabant, erant aliqui, qui vtiliter audiebãt, quos pro aliorum immunditia negligi non oportebat. Et notandum etiam est, quia vbi dicit Deus Abraham, probat bene æternitatem animarum, & statim infert: Nõ est Deus mortuorum, sed viuentium, vt cùm probauerit animas manere post mortẽ, consequẽter etiam introducatur & corporum resurrectio, quæ cum animabus bona vel mala gesserunt.

Et audientes turbæ, mirabantur in doctrina eius, & cæt.) Quasi dicat: Simpliciter gradientes vel miracula venerãtes, doctrinam eius sequuntur. Pharisæi verò non. Et hoc est, quod sequitur:

Pharisæi autem audientes, quòd silentium imposuisset Iesus Sadducæis, conuenerunt in vnum, & interrogauit eum vnus ex eis legis doctor, tentans eum, &c.) Qui iam fuerant in ostensione denarij confutati, debuerunt exemplo moueri, ne vltrò molirẽtur insidias, sed maleuolentia & liuor nutrit imprudentiam. Conueniunt ergò, vt vincant saltem multitudine, quem non possunt vincere ratione. Et dicunt apud se: Loquatur vnus pro omnibus, & omnes loquamur per vnum. Vt siquidẽ vincit, omnes videamur vicisse. Si autem victus fuerit, vel solus videatur confusus. Et nota, quia sicut legimus Herodem & Pilatum in nece Domini fecisse concordiã, ita & nunc de Pharisæis & Sadducæis factũ esse cernimus, qui inter se antè contrarij, pari mente ad Dominum tentandum cõuenerunt. Dicunt omnes ergo ore vnius. *Magister, quod est mandatum magnum in lege? &c.*) Magistrum vocat, cuius non vult esse discipulus, & non scire desiderans, sed tentans.

Ait illi Iesus: Diliges Dominum Deum tuum, &c.) Nota quòd primo respondens, percutit fictam conscientiam interrogantis, dicens: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, id est, intellectu perfecto, vt in confessione diuinitatis nullum relinquas errori locum. *Et in tota anima tua.*) Id est, tota voluntate tua, vt scilicet nihil velis illi contrarium. *Et in tota mente tua.*) Id est tota memoria tua, nihil reminiscens, quòminus de eo sentias, hoc est, maximum dignitate, & primum in ordine. Primum & maximum mandatum dicimus, quantum ad dignitatem mandatorum, non quantum ad vtilitatem. Vtilitas mandatorum vna est, & omnia mandata sibi ita cohærent, vt alterum sine altero esse non possit. Primum verò & maximum mandatum dicitur, quia ante omnia debemus illud, quasi vnicum pietatis fundamentum in intimo corde collocare. Sequitur: *Secundum autem simile huic, Diliges proximum tuum sicut teipsum.*) Vide quia diliges Dominum, & primum & maximum mandatum est. Diliges autem proximum, magnum quidem est, sed primum non est: & ideò dixit simile est, non minimum est. Simile quidem est, quia de dilectione, sed tamen non par in dignitate. *In his duobus mandatis tota lex & cæt.*) Id est, ad hæc duo mandata, refertur decalogus totus, & monita Prophetarum, ibi habẽt finem: Notandum, quia duæ tabulæ legis datæ sunt, in quibus erant decem præcepta, quæ sunt decacordum Psalterium. In vna tabula tria, quæ sunt ad Deum. In altera septem, quæ sunt ad proximum. In prima primum est. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Non habebis Deos alienos, quia Christus cum patre & spiritu sancto vnus est Deus. Secũdum: Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Nomen Christi non debet in vanum accipi, vt putemus eum factum, per quem omnia facta sunt. quia vnus est pater Deus, & filius, & spiritussanctus. Sed in spiritusancto, id est, in dono Dei requies nobis promittitur. Vnde tertium sequitur: Memento diei Sabbathi vt sanctifices, non facies in eo seruile opus. In altera verò tabula: Honora patrem & matrem, Non occides, Non mœchaberis, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces vxorem proximi tui, Non concupisces rem proximi tui. Nec moueat vos, quod Matthæus ait, tentantem finxisse illum, à quo Dominus interrogatus est. Lucas autem hoc tacet, & in fine Marcus ita concludit, quòd ei Dominus sapienter respondenti dixerit: Non longè es à regno Dei. Fieri enim potest, vt quamuis tentantis animo accesserit, Domini tamen responsione correctus sit, aut certè ipsam tentationem non accipiamus malam, tanquàm decipere volentis inimicum, sed cautam potiùs, tanquam experiri volentis amplius ignotum. Non enim frustrà legitur, Qui facilè credit, leuis corde minorabitur.

Congregatis autem Pharisæis, interrogauit eos Iesus, &c.) Qui ad tentandum venerãt, occasione suæ confutationis, dant Christo occasionem interrogandi. Et nota, quia hæc interrogatio Iesu multum proficit nobis vsque hodie contra Iudæos confutandos, qui Christum, secundum eos venturum simplicem hominem confitentur, & sanctum virum. Interrogat igitur Christus eos, dicens:

Quid

Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est? secundum carnem etiam dico. *Dicunt illi: Dauid.* Quasi dicant: Purus homo est iste filius Dauid, non etiam Deus, Dei filius. Ait illis. Si purus homo est, vt vos dicitis, quomodo vocat eum Dominum suum, nõ in incerto, nec in propria voluntate, sed in spiritu sancto vocat eum Dominum suum, qui secundum vos nõ est ante eum. Vocat, dico, Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Pater dixit filio suo, Sede à dextris, donec ponam inimicos tuos, &c. Si vtique homo purus esset, Dauid dominum suum non vocaret. Et notandũ, quòd non reprehenduntur, quòd dicunt filium Dauid, sed quia filiũ Dei esse non credunt, quia ipse dominus Dauid est, Deus scilicet ante tempora manendo, & filius Dauid apparuit natus. Quòd autem à patre, filio subijciuntur inimici, non infirmitatem filij, sed vnitatẽ naturæ significat. Nam & filius subijcit inimicos patri, quia patrem clarificat super terram.

Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quòd reuera est, secundum deitatem, *quomodo filius eius est secundum carnem?* Et nemo poterat ei respondere verbum, quia planè confutati erant in verbis. Nec fuit ausus quisquam amplius interrogare illum. Sed iam apertè cogitant illum tradere potestati Romanorum. Et notandum, venena inuidiæ quidem superare posse, sed difficilè conquiescere.

CAPVT XXIII.

TVnc locutus est Iesus ad turbas, & cæt.) Id est, illis confutatis, qui sunt dolosi, instruit istos, qui idonei sunt, nihilominùs hortãs eos subijci illis, propter sacerdotium & nominis dignitatem, non opera eorum, sed doctrinã cõsiderantes. Et nota, quòd ad hoc confutati sunt mali, vt corrigantur boni. *Locutus est Dominus ad turbas, &c.*) Id est, ad simpliciores, & ad discipulos, id est, ad perfectiores.

Super cathedram Moysi.) Id est, in magisterio doctrinæ, quam docuit Moyses, *sederunt Scribæ & Pharisæi*, qui scilicet rectè mores instruunt, sed secundum quod docent non agunt. Omnia ergò, quæcunque dixerint vobis, seruate & facite, quæ scilicet ad cathedram pertinent, non ad vitam.

Seruate, credendo in corde, & facite ipso opere, sed secundum opera eorum nolite facere, quasi dicat: Doctrinam tenete, non vitam. Dicunt enim & non faciunt, id est, non concordat doctrina eorum cum vita.

Alligant enim onera grauia & importabilia, quia & vndecunq; traditiones colligunt, quæ conscientiam non leuant, sed grauant: quia eas suis viribus nullus implere potest. Legis mãdata vocat onera importabilia, quę maximè deserat Deus per peccatum, quæ Scribæ & Pharisæi docebant mixtis traditionibus suis, suadentes secundũ eas viuere, & non ad facilem & delectabilem gratiã Christi peruenire. Vnde suprà: Venite ad me, qui laboratis & onerati estis. Et Petrus in actibus Apostolorum: Et vos quid vultis imponere iugum super ceruicem discipulorum, quod neq; vos, neq; patres vestri portare potuistis, sed per gratiam Christi credimus salui fieri? Talia quidem imponebant onera in humeros hominum, quasi ad hoc fortes sint. Qui ergo non sunt iusti faciendo, volunt saltem apparere iusti dicendo. Sequitur:

Digito autem suo nolunt ea mouere.) Id est, Nec in minimis volunt eos implendo, quos docent, iuuare. Tales sunt etiam indiscreti facerdotes, qui omnem iustitiam populo mandant, & ipsi nec modicam seruant, & graue põdus venientibus ad pœnitentiam imponunt: quę tamẽ præcipiunt eis, non faciunt. Deinde si errant, modicam imponentes pœnitẽtiam, nónne melius est propter misericordiam dare rationem, quàm credulitatem?

Omnia ergo opera, &c.) Dixit tales doctores audiendos esse, non imitandos. Nunc ostendit causam, quare non possunt credere Christo, quia scilicet opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus. Non enim potest credere Christo prædicanti cœlestia, qui terrenam cupit gloriã. *Dilatant enim Philacteria sua.* Cũ Deus dedisset mãdata legis per Moysen, ad extremum intulit. Ligabis ea in manu tua, & erunt immota ante oculos tuos, quasi dicat: Sint tibi in opere, sint in meditatione. Sed Pharisæi malè interpretantes, scribebant decalogũ in membranulis & ligabant in fronte per quod religiosi viderẽtur populo. Iussit etiam Moyses, vt in quatuor angulis palliorũ facerent fimbrias, & per hoc esset discretio Israhelitici populi. Illi verò faciebant grandes fimbrias, & eis ligabant spinas acutas, vt eundo vel sedendo interdum pungerentur, id est, quasi sic commoti retraherẽtur ad officia Dei. Sed intellige hæc non esse portãda in corpore, sed in corde. Vt igitur armaria libros, sic & ipsi habent notitiam Dei. *Amant autem primos recubitus in cœnis, & cæt.*) Quasi dicat: In cœnis gulam sequuntur, mercedem scilicet suæ religionis, & in publico gloriam & magistralem dignitatem. Notãdum etiam, quòd non vetat eos salutari in foro, nec primos sedere vel discumbere, quibus reuera competit hoc officij ordine, sed eos arguit, qui hæc habita vel non habita appetant. Non enim reprehendit de dignitate, sed dignitatis cupiditate. *Vos autem nolite uocari, &c.*) Quasi dicat: Pharisæi & Scribę sunt amatores huius secularis gloriæ, sed vos discipuli mei, qui moribus & vita digniores esse debetis, nolite vocari Rabbi, id est, quod Deo debetis, vobis non præsumatis. *Vnus est enim magister uester,* qui illuminat hominẽ

intellectum dando. Homo autem non docet intellectum cõferendo. *Omnes enim uos fratres estis.*) Causa est, quare non debet se alter alteri præferre.

Et patrem nolite vocare vobis, & cæt.) Nec pater, nec magister vocandus est alius, nisi Dominus pater & Dominus noster Iesus Christus. Pater, quia ex ipso sunt omnia. Magister, quia per ipsum omnia, vel quia per dispensationem carnis, omnes sumus Deo recõciliati. Paulus tamen se magistrum Gentium contestatur in fide & veritate. Ad quod taliter respondetur: Aliud est esse patrem vel magistrum natura, aliud indulgentia. Deus dicitur pater & magister natura, homo indulgentia pater, vt honor ætati deferatur, nõ vt author vitæ habeatur. Magister verò, ex consortio veri magistri, tanquam eius minister pro ratione vel meritis vitæ eius, à quo mittitur.

Qui maior est vestrum, &c.) Hic docet nõ esse cõtendendum de primatu. Quicunq; enim vult fratrem suum præuenire regnando, prius præueniat illum obsequendo. Secundum Apostolum, Honore inuicem præuenientes. Litera patet.

Væ autem vobis Scribæ, &c.) Postquã discipulos suos de humilitate admonuit, & spiritualem doctrinam eis benignè recipiẽtibus exhibuit. Pharisaicæ infidelitatis tumorem frequenti imprecatione confutat & reprimit dicẽs: Væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui scilicet notitiã legis & Prophetarum habetis, & inde etiam superbitis, quasi diuisi ab alijs estis. Hypocritæ, qui simulatis quod non estis.

Qui etiam clauditis regnum cœlorum ante homines, &c.) Id est, qui Christi aduentum simulatione vestræ doctrinæ absconditis. Vel clauditis, dum malũ exemplum hominibus prębetis. Vnde omnis doctor, qui auditores, quos verbo ædificat, exemplo scandalizat, regnũ Dei claudit, vt nec ipse intret, nec alios intrare permittat. Vnde sequitur:

Vos enim non intratis ad fidem, nec introeuntes, id est, credere volentes, *intrare finitis.* *Væ iterum uobis Scribæ & Pharisæi, qui comeditis domos uiduarum.*) Id est, qui vestra superstitione nihil intenditis, nisi vt prædam de subdita plebe faciatis. Vos, dico, *longa oratione orantes*, vt magis decipiatis. *Propter hoc amplius iudicium accipietis.* *Væ uobis iterum Scribæ & Pharisæi, qui circuitis mare & aridam*, totum scilicet mundum, vt faciatis vnum *proselitum*, conuertendo saltem vnum ex Gentibus ad vestros Iudaicos ritus. *Et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm uos*, quia videns vitia vestra reuertitur gentilis factus, & pro præuaricatione maiori pœna est dignus, vt filius gehennæ meritò dicatur. Vnusquisque enim, cuius opera facit, filius illius appellatur. Et nota, quòd proseliti de Gentibus in synoga-

ga sunt recepti. Quod per vnum notatur, quia vix aliquis post Christum acquieuit doctrinæ eorum. Quòd verò dicit illos totum orbem circuire, vt aliquem proselitum possint facere, significat illos toto orbe Euangelio detrahere. *Væ uobis iterum duces cæci, duces cæcorum qui dicitis, quicunque iurauerit per templum, nihil est.*) Id est, non est reus, si fuerit conuictus mendacij. *Qui autem iurauerit, in auro templi, debet*, scilicet illud exoluere, in quo iurauerat, si poterit. Conuincuntur hic Pharisæi, qui omnia faciebãt propter lucra. Dicebant enim sanctiora esse oblata, quàm templum vel altare, vt homines paratiores essẽt ad dona offerenda, quàm ad preces fundendas, vel iustitias faciendas, in quo nõ Dei timorem, sed suam intẽdebant cupiditatem. Ideò arguit eos Dominus stultitiæ & fraudulentiæ dicens: quòd multò maius est templum, quàm aurum, quod sanctificatur à templo, & altare quàm hostiæ, quæ sanctificantur ab altari. Templum, vt dicit Ioannes, vel altare ad gloriã Dei pertinẽt, & ad hominum spiritualium salutem. Aurum autem, quod est in templo, vel donum quod est super altare, ad gloriã Dei etiam ipsa pertinent, sed tamen magis ad hominum delectationem, vel sacerdotum vtilitatem. Mysticè autem templum & altare, Aurum & donum, laudes & sacrificia precum, quę Deo offeruntur. Nõ enim ille per hoc, sed ista per illum sanctificantur. Litera non indiget expositione. *Væ autem uobis iterum Scribæ & Pharisæi, qui decimatis mentam & anethum.*) Id est, ad commodum vestrum exigitis decimas quarumlibet vilium rerum, *& ea quæ grauiora sunt*, si negligantur, *reliquistis incorrecta*, scilicet iustum iudicium in discussione causarum, & misericordiam pauperibus & viduis exhibendam, & fidem apud omnes tenendam, sed quidem maiora oportuit vos & alios facere, & illa tamẽ minora, id est, decimas non omittere, sed potiùs exigere & dare, ne eleemosynas fructuũ terræ viderentur contemnere, per eas tamen non emitur impunitas manentibus in impietate. *Duces cæci excolantes culicem, camelum autẽ glutientes, &* cæt. Quasi diceret, Augustinus in nummis: Quæ lucrum habent, diligẽtes estis, sed magna præcepta, de iudicio scilicet & misericordia & fide illa deuoratis & negligitis. Mysticè culicis nomine seditiosus homo Barrabas designatur, quia hoc animal strependo inquietat, & sanguine delectatur. Cameli nomine propter humilitatem, quam habet ad subeunda onera Dominus intelligitur. Colant ergo Iudæi culicem, id est, minima obseruant, quia Barrabam, qui non soluerat sabbatum, dimiserunt: & camelũ, id est, maiora contẽnunt, quia Christum spiritualiter sabbatum insinuantem, per iudicium & misericordiã & fidẽ, quæ illi contemnunt, occiderunt. *Væ uobis Scribæ & Pharisæi, qui mundatis, & cætera.*) Diuersis verbis eodẽ sensu, quo suprà Pharisęos arguit, simulationis scilicet & mendacij, quod

aliud ostendatur hominibus foris, aliud agatur intus, non quod in paropside, id est, calice eorum superstitio nominaretur, sed quia foris hominibus ostendunt sanctitatẽ, in habitu, in sermone, in philacterijs, in fimbrijs, in orationibus longis, & in talibus. intrinsecus autem sunt vel essent pleni sordibus vitiorum. Calicis quidem nitor iustis interior est. Qui si obsorduerit, quid proficiet lotus exterius. Ita igitur nitor interioris conscientiæ est obtinendus, vt ea quæ corporis sunt, lauentur forinsecus. Lucas ita ait: Stulti, qui fecit, quod deforis est, etiã quod intus est, fecit? id est, qui vtramq; naturam hominis fecit, vtramq; mundari voluit. Nemo ergo putet fornicationem, & huiusmodi corporalia vitia, solummodo esse grauia, & auaritiam, superbiam, iram, & cætera spiritualia putet esse leuia. Præmissa sententia patet litera.

Væ vobis iterum, qui similes estis sepulchris dealbatis, &c.) Per aliam similitudinem replicat idem. *Væ uobis iterum, qui ædificatis sepulchra Prophetarum.*) Id est, propter fauorem vulgi extruitis memoriam occisorum, & ornatis monumenta occisorum iustorum, vt videamini iusti, & arguentes facinora patrum vestrorum, dicitis: si non voce, saltem opere. Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, &c. Itaque testimonium estis vobismetipsis, quia filij estis eorum, qui Prophetas occiderunt, quia scilicet dum actus patrum vestrorum de testamẽti, pro specie quidem vestræ sanctitatis, filios homicidarum vos esse comprobatis, dum etiam Christum & Apostolos persequendo idem facitis, vos esse filios eorum nõ solùm carne, sed etiam imitatione certissimè comprobatis. In quo etiam patet vos peccare scienter.

Augustinus.) Iudæi quidem Prophetarum monumenta ædificando patrum suorum facta, qui eos occiderunt, arguebant, sed paterna facinora æmulando, dum Christum suosq; insequuntur, in seipsos sententiam retorquebant. Eadem, quæ ipsi in parentibus damnabant agẽtes: *Et uos implete mensuram patrum, &c.*) Probato, quod filij sunt homicidarum, ponit quasi concludendo, ad quod tendebat dicens:

Et vos implete mensuram patrum vestrorum, &c.) Id est, quod illis defuit, vos implete. Illi Prophetas, vos dominum Prophetarum occidite. Nota, quod non iubet vt faciant, sed ostendit, quid facturi erant. *Serpentes genimina uiperarũ, &c.* Quasi dicat: Vos homicidæ de homicidis nati, quomodo fugietis à iudicio gehennæ, fugietis sepulchra sanctorum ædificando, an potiùs corda à malitia mundando? Nunquid liberabunt sancti vos, quorum monumenta ornatis? Non equidem, quia sancti non sunt amici Dei inimicis. *Ideò ecce mitto, &c.*) Quasi dicat: Ideò, non solùm impleatis de me, sed etiam de meis, quod deerat patribus, *mitto ego ad uos Prophetas*, qui futura prædicant, *& sapientes*, qui scripturas exponunt, vel qui corde eruditi sunt. Vnde & Dauid: Et eruditos corde in sapientia, *& scribas* morum doctores, qui proferunt de thesauris suis noua & vetera. Et ex illis *occidetis*, vt Paulum: *crucifigetis*, vt Petrum: *& ex eis flagellabitis in synagogis uestris*, vt Apostolos in actib⁹ Apostolorum: *Et persequimini de ciuitate in ciuitatem*, vt de Iudæa ad Gentes: *Vt ueniat super uos omnis sanguis iustus, &c.*) Non hos tantum præsentes dicit, sed omnem generationem malorum, præcedẽtem & futurã, quia omnes sunt vna ciuitas diaboli, & vnum corpus diaboli. *Omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, &c.*) Id est, omnis debita vltio pro effuso sanguine iustorum. *A sanguine Abel iusti*, cuius iustitia approbata est per muneris acceptionem, à sanguine Abel dico, *usq; ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter tẽplum & altare*, vestra scilicet generatio, *intra templum & altare*, quod altare positum erat sub diuo. Quasi dicat, quẽ interfeciſtis in atrio tẽpli.

Hieronymus.) Quæritur, quis sit iste Zacharias. Alij dicunt Zachariam filium Barachię, illum qui in duodecim Prophetis vndecimus est, patrisque nomen in eo consentit, sed vbi ille occisus sit, scriptura non dicit. Maximè cum temporibus eius vix ruina templi fuerit. Alij dicunt Zachariam patrem Ioannis, per apocriphas scripturas comprobantes, quod propterea occisus sit, quia nomen saluatoris & aduentum prædicauerat, sed quia inde authoritatem non habemus, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Alij volunt esse Zachariam, qui occisus est à Ioas rege Iudę, inter templum & altare, sicut Regũ narrat historia, quod melius credendum est. Sed videndum, quia ille Zacharias non fuit filius Barachiæ, sed Ioiadæ sacerdotis. Vnde scriptura refert: Non fuit recordatus Ioas patris eius Ioiadæ, quæ sibi feciſſet bona. Cũ ergo Zachariam teneamus, & occisioni conueniat locus, quæramus quare dicatur filius Barachiæ, & non Ioadæ. Barachias, lingua nostra benedictus Domini dicitur, & sacerdotis Ioadę nomine, iustitia Hebræorũ designatur. In Euãgelio etiam, quo vtuntur Nazarei pro filio Barachiæ, reperimus scriptum filium Ioiadæ, quẽ ob meritorum gratiam, Dominus in hoc loco filium Barachiæ, id est, benedictus Domini cognominauit. Sed adhuc quæritur, quare sanguis Abel iusti, vsq; ad sanguinem Zachariæ huius, quęratur ab illorum generatione, cum neutrum illorum occiderit? Ad quod Ioannes respõdet, Non ita intelligendum esse, vt omnium generationum præcedentium & sequentium merita persoluat generatio vna.

Nec enim iustum est, vt alter pro peccatis alterius puniatur, sicut in die vindictæ, vna quæq; generatio pro peccatis suis punietur.

De ipsa hac generatione vindicatũ videbitur

esse. Omnium enim iniquorum à Cain vsq; ad finem sæculi vna, vt iam diximus, generatio est: etsi non sint omnes in vno tempore, omnes tamen vnum sunt corpus diaboli.

Et adhuc quęritur, quare vsq; ad hunc tantũ, cum multi post hunc occisi, ante natalem Christi, & Christo nato mox pueri ab hac generatione sunt perempti. Sed quoniã Abel pastor ouiũ fuit, necatusq; in agro: Zacharias verò sacerdos necatus in atrio tẽpli, vtriusq; gradus, martyres & laicos scilicet, & altaris officio mancipatos, sub eorum voluit intimare vocabulis.

Amen dico vobis: Hæc omnia. &c.) Subdit: Mala vltio sanguinis seruorum Dei, qui effusus est super terram, veniet super generationem, quæ à primo scilicet parricida vsq; ad vltimum perditionis filium computatur, & similes erunt in pœna, qui fuerunt similes in culpa. *Ierusalem Ierusalem, quæ occidis Prophetas.*) Scilicet annunciatores Domini Prophetarũ, *& lapidas eos*, id est, duritia cordis à te repellis, vel corporaliter, *lapidas eos, qui ad te missi sunt*, ad tuam scilicet salutem. Et nota, quia patris affectu, non saxa, sed homines plangit, condolendoq; talia verba protulit, sicut & illa, quæ mox subiungit dicens: Quoties volui filios tuos, patriarcharum scilicet hæredes congregare, vt in fidei vnitate essent, *quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas?* Quasi dicat: Cum quanto affectu gallina pullos suos conuocat & nutrit, cum tanto affectu volui ego filios tuos congregare in fidei vnitatem, & enutrire catholico dogmate, & tu tamẽ noluisti gratiæ vocanti scilicet, cooperari.

Augustinus.) Hoc genus animãtis magnũ habet in filios affectum, vt eorum infirmitate affecta, infirmetur & ipsa: & quod difficilè in cæteris animantibus inuenies, alis suos filios protegens, contra miluum pugnat. Sic & nostra mater Dei sapientia per carnis susceptionem infirmata est quodammodo. Vnde Apostolus dicit: Quod infirmũ est Dei, fortius est hominibus. Protegit infirmitatem nostram, & resistit diabolo, ne nos rapiat. Nota quod dixit volui congregare, & tu noluisti, quasi Dei voluntas humana voluntate superetur: & ita non sit verum omnia quæcunque voluit Dominus, fecit. Sed ita intelligendum est. Ego volui, & tu noluisti. Quasi dicat: Quotquot congregaui mea voluntate semper efficaci, te nolẽte feci, quia semper ingrata fuisti.

Ecce, id est, in proximo, quia es promerita, *domus uestra*, templum scilicet, vel tota ciuitas, *relinquetur*, id est, Dei auxilio nudabitur, & suæ ditioni relinquetur. Itaque erit deserta Romanis tollentibus locum & Gentem. Hoc ipsum ex persona Ieremiæ iam prædictum poterant cognoscere. Dixit enim: Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, facta est mihi hæreditas mea, quasi leo in sylua. Sequitur:

Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine domini.) Vult intelligi, nisi pœnitentiam egeritis, & ne de quo prophetæ cecinerunt, filium Dei confessi fueritis, & benedictum qui venit, id est, ab omni peccato immunem, ad glorificandum patris mei nomen intellexeritis, nõ me salutis vestræ auctorem videbitis amodo, id est, post passionem non me videbitis, donec in die iudicij certissimè dicatis & credatis, conscientijs hoc testantibus, quia benedictus qui venit, &c. tunc enim tam boni quam mali confitebuntur. Et nota quod secundum priorem sententiam Iudæi sibi concessum esse putant adhuc locũ pœnitentiæ. In secunda verò sententia notandum est, quia quando turbæ venienti domino Ierusalẽ, dixerunt, Benedictus qui venit, iam tunc præfigurabatur de primo aduẽtu, quod futurum est in secundo aduentu claritatis eius, quia conscientia omnium hoc clamabit.

CAPVT XXIIII.

EGressus Iesus de templo, &c.) Litera patet. Mysticè verò recedente domino de templo, legis ædificia, & compositio mandatorum ita destructa sunt, vt nihil à Iudæis possit impleri, sed potiùs sublato capite, vniuersa inter se compugnent membra. Diuinitus etiam prouisum est, vt crescente Euãgelij gratia, templum illud cum suis cæremonijs tolleretur, ne quis infirmus in fide (stantibus illis) adeundi haberet occasionem. Realiter quidem templũ à Romanis fuit destructum quadragesimo secundo anno post passionem domini.

Sedente autem eo super montem Oliueti, accesserunt ad eum discipuli, &c.) Cum hæc dixisset, contigit dominum ad montem Oliueti rediisse, & ibi sedisse cum quatuor discipulis, vt Marcus refert, cum Petro videlicet & Iacobo, Ioanne atq; Andrea, qui separatim interrogauerunt eum, quando scilicet illa erunt quæ de destructione Ierusalem prædixerat? Et præterea quæsierunt quod signum esset secundi aduentus, & quo tempore esset futura consummatio sæculi? Sciendum est, quod hæc sessio facta est contra templũ Ierusalem. Ait enim Marcus: Cum sederet in monte Oliuarũ contra templũ. Sessio hæc contra templum, & discipulorum de ciuitatis vel mundi consummatione quæstio, an eodem an sequenti die fuerit, Euangelistæ non determinant, nec nostrũ est diffinire, quod ipsi indiscussum reliquerũt. Mysticè designat mons Oliueti fructiferam sanctæ ecclesiæ celsitudinem. Oliueta enim valent ad repellẽdas noctiũ tenebras, per olei fomentũ, & ad soluendas infirmitates, & ad dandam lassis quietem, & ad significandã pacẽ, quæ omnia spiritualiter ecclesiæ cõueniunt, de qua dicitur: Ego aũt sicut o. f. in d. d. Ecce sicut oliua fructifera in domo Dei. Ipsa enim aufert tenebras errorum per prædicationem

cationem & infirmitates peccatorum per pœnitentiæ iniunctionem: defatigatis in tribulationibus quietem per consolationem, & omnibus nunciat pacem. Super istam Ecclesiam Deus sedet, regnando, iudicando, & hoc contra tẽplum Ierusalem, id est, contra arrogantiam superborum. Templum enim ideò superbiam significat, quia causa erat superbiæ Iudæorum. *Et respondens eis Iesus dixit, &c.*) Duo quæsierant signa, destructionis Ierusalem, & secundi aduentus. Ponit itaq; signa vtriq; rei communia, ponit & quædam specialia. Imminente enim Ierusalem excidio, vel consummatione sæculi, multi dicent se esse Christum, quorum fuit primus Simon Magus, cui sicut in actibus Apostolorũ legimus, auscultabant omnes qui in Samaria erãt, dicẽtes: Hæc est virtus Dei quæ vocatur magna, eo quod multo tẽpore magicis artibus dementasset eos. Multi etiam alij hæresiarchæ temporibus Apostolorum prodierunt, qui multos errores seminauerunt, & diem Domini quidam eorum instare dubitauerunt, propter quæ omnia hortatur, non solum Apostolos, sed & omnes fideles, dicens:

Videte ne quis vos seducat, & cum audieritis, &c.) Dico ne seducamini, quia audituri estis prælia quantum ad hostes, opiniones præliorum quantum ad expectationem & famam illorum futurorum bellorum. *Sed uos uidete ne turbemini*, id est, ne territi Iudæam deseratis, *quia nondum erit finis.*) Vel finis sæculi, vel destructio ciuitatis. A tempore enim dominicæ passionis, in populo Iudaico bella abundauerunt vsque ad quadragesimum secundum annum, in quo ciuitas à Tito & Vespasiano destructa est. Similiter multa bella erunt ante finem sæculi.

Consurget gens, &c.) Ita erit historialiter ante finem sæculi, quia, vt ait Gregorius, multa mala debent præcurrere, vt nuncient malum sine fine. Quorum alia erunt è cœlo, alia de terra, alia ab elementis, alia ab hominibus. *Surget gens contra gentem.* Ecce turbatio hominum. *Et erunt pestilentiæ & fames.*) Ecce inæqualitas elementorum, & sterilitas terræ. *Et terræmotus.*) Ecce malum à terra. Cum Lucas ait: *Erunt signa in sole & luna.*) Ecce malum à cœlo. A mari etiam notat Lucas malum, cum dicit:

Præ cõfusione sonitus maris & fluctuũ.) Quia in omnibus deliquimus, in omnibus ferimur, sicut scriptum est, Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos. Potest & hoc mysticè intelligi: Surget enim gens contra gentem, id est, hæretici contra fideles, & regnum diaboli contra regnum Christi, & pestilentiæ errorũ occupabunt multos, & erit fames verbi Dei, & motus terræ, i. separatio terrenorum à vera fide.

Hæc omnia erunt initia dolorum, pertinentium ad excidium ciuitatis, vel in consummatione sæculi, *Tunc tradent uos in tribulationem.*) Hæc erit etiam magna causa excidij ciuitatis, quod post occisionem domini, Apostolos Iudæi persequentur. Si autem de temporibus Antichristi intelligatur, in Apostolis persona omnium fidelium designatur.

Et tunc scandalizabuntur multi, &c.) Hæc omnia euenient ante excidium ciuitatis, sed plenius temporibus Antichristi. *Et prædicabitur hic Euangelium regni.*) Quia nouerat corda discipulorum dominus, de excidio suæ gentis contristanda, hoc solatio releuat, vt scirent multo plures socios æterni gaudij de toto orbe colligendos, & hoc antequam destructio ciuitatis eueniat. Quod innuit Marcus, quia ponit primum, dicens ita, & in omnes gentes primum oportet prædicare Euangelium. Refert etiam historia Ecclesiastica, quod omnes Apostoli ante vastationem Iudææ ad prædicandũ Euangeliũ, toto orbe fuerunt dispersi, exceptis duobus Iacobis, quorum vnus scilicet Zebedæi, gladio Herodis succubuit, & alter in Ierusalem episcopus factus remansit, & tandem à Iudæis de pinnaculo templi prostratus, vitam finiuit.

In vniuerso orbe dicit, id est, in quatuor partibus mundi, quia in omnem terram exiuit sonus eorum. *In testimonium omnibus gentibus.*) Prædicatio enim Euangelij, testimonium est gentibus, aduentus filij Dei, & redemptionis hominum, vt inexcusabiles reddantur. *Et tunc ueniet consummatio.*) Non dicit statim, sed non priùs veniet consummatio ciuitatis vel mundi.

Cum ergo videritis abominationem.) Idolum dicit, & ideò addidit desolationis, quòd in templo desolato atq; deserto idolum positum sit. Potest autem accipi de imagine Cæsaris, quã Pilatus posuit in templo domini, aut de Adriani equestri statua, quæ in sancto sanctorum loco multo tempore stetit. Vel si de fine sæculi intelligatur abominatio, Antichristus accipitur, qui sedebit in templo domini. De hac abominatione in prophetia Danielis legitur, & ideò dicit: *Cum uideritis abominationem desolationis*, quæ prophetata est à Daniele, stante *in loco sancto*, hoc est, in templo domini, id est, idolum seu Antichristum, *tunc qui legit* prophetiam Danielis, *intelligat* destructionem ciuitatis adesse, siue cõsummationem sæculi.

Tunc qui in Iudæa sunt, &c.) Si exterminatio ciuitatis accipiatur, ad literam intelligendum est. Christiani enim, appropinquante Romano bello, qui erant in Iudæa cœlitus admoniti, discesserunt, vt ecclesiastica narrat historia, & fugerunt trans Iordanem in regnum Agrippę regis Iudæorum, cuius in actibus Apostolorum mentio fit, qui cũ ea quæ sibi obtemperare volebat parte Iudæorum, semper Romanorũ regno subditus erat, & ad tempus ibi belli, in ciuitate manserunt. De illa fuga facit mentionẽ cum ait:

Tunc qui in Iudæa sunt Christiani, *fugiant ad mon-*

ad montana, vbi erat regnum Agrippæ. Nimiam tribulationem & terrorem significat. Cum persuadeat à Deo properare fugam, vt nemo fugientium descendat aliquid tollere de domo vel pro tunica reuertatur. *Væ autem prægnantibus & nutrientibus, &c.*) Quia has puer in vtero, has puer in manibus ad fugam impediet.

Orate autem ne fiat fuga vestra hyeme vel sabbato.) Quia in hyeme duritia frigoris, fugam vestram impediet, in sabbato verò præceptum legis vos retinebit. Non enim licet secundum legem in sabbato vltra mille passus proficisci. Si autem hæc omnia de consummatione sæculi intelligantur, mysticè accipienda sunt, vt ita dicamus: *Tunc qui sunt in Iudæa,* hoc est, in confessione veræ fidei sunt, *fugiant ad montes,* hoc est, culmen virtutum ascendant, & qui super tectum est, id est, qui carnem qua anima tegitur, superauit, non descendat ad infimos actus pristinæ cõuersationis, neq; desideria carnis repetat. Et qui in agro est, id est, qui operatur in ecclesia, sicut Paulus plantando, & Apollo rigando, non reuertatur tollere tunicam suam, id est, non repetat sæcularia, quibus se nudauerat. Prægnãtes verò sunt illi qui laborant pro diuitijs acquirẽdis, quorũ animę graues sunt peccatis. Nutrientes verò sunt illi, qui diuitias adepti fouẽt eas & augmentant. In hyeme fugit, cuius fide vel charitate refrigescẽte, à Deo est elõgatus. In sabbato fugit, qui ociosus in diuino opere torpescit.

Erit enim tunc tribulatio magna, &cæt.) Hæc temporibus Antichristi propriè conuenient, quando non solùm tormenta crebriora & acerbiora, quam priùs ingerẽda sunt fidelibus, sed quod grauius est signorum quoq; operatio eos, qui tormenta ingerunt comitabitur, teste Apostolo qui ait: Cuius aduentus est secundum operationẽ sathanæ in omni seductione signis & prodigis mendacibus? Cuius enim fides non concutietur, cũ persecutor veritatis sit etiã operator virtutis? Vnde prouida pietate subiungit:

Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro.) Dies dicit abbreuiatos, non secundum quosdam, qui putant momẽta temporum mutari, cũ legatur: Ordinatione tua perseuerat dies, sed abbreuiati dicuntur, quantum ad opinionẽ illorũ, qui diu se putabãt regnaturos. Vel dicũtur abbreuiati, id est, breues, quasi breuissimi, quia nisi breues & pauci fuissent dies illi, perirẽt omnes electi illius temporis propter magnitudinem miraculorum & oppressionum. Nanq; tribus annis & dimidio illa persecutio duratura est.

Tũc si quis dixerit, ecce hic Christus, &c.) Ante enim consummationẽ sæculi, multæ hæreses surgent, sicut Donatistæ, qui dicunt se solos habere Christũ, aut Arriani aut alij hæretici, & surgẽt multi, qui dicent se esse Christũ, & faciẽt signa, id est, minora, & prodigia, id est, maiora, ita vt in errorẽ ducantur, si fieri potest, etiã electi. Nõ ideò dicit, quod electio diuina frustretur, sed qui humano iudicio electi videbãtur, illi in errorẽ mittentur. *Si ergo dixerint uobis, ecce est in deserto.*) Hoc est in dogmate philosophorum gentilium, qui omnino deserti sunt à Deo, *nolite exire,* à fide vestra. *Vel si dixerint, ecce in penetralibus,* id est, in arcanis sectis hæreticorũ est Christus, *nolite credere.*) Si enim diabolus transfiguraverit se in angelum lucis, dicens se Christum esse, & apparens aliquibus, sicut in tempore beati Martini de monacho legitur, non credant fideles.

Quia sicut fulgur exit ab oriente, & apparet vsq; ad Occidentẽ, ita erit manifestus aduentus filij hominis.) Ab omnibus enim totius orbis hominibus, videbitur iuxta Apocalypsin, & videbit eum omnis oculus. Et alibi: Et videbit omnis caro salutare Dei, nec in secreto apparebit, quia Deus manifestè veniet, & non silebit. Vnde sequitur:

Vbicunq; fuerit corpus, illuc congregabũtur & aquilæ, id est, electi Dei, sicut Apostolus ait, occurremus obuiã Christo, in nubib⁹, in aëra. Aquilæ dicũtur sancti, quia sicut aquilæ intuẽtur solẽ irreuerberatis oculis, ita sancti in splẽdore veri solis intuit⁹ suos defigũt. Corpus Christi quasi cadauer appellatũ est per passionẽ

Statim aũt post tribulationẽ dierum illorũ sol obscurabitur, &c.) Quamuis nihil prohibeat intelligi veraciter, tũc solem & lunam cum syderibus cæteris ad tempus suo lumine priuari, quomodo de sole cõstat esse factũ, tempore dominicæ passionis. Luna enim tunc temporis cum esset plena, sub abdito terræ latebat. Vnde imperfectè restat vsq; hodie prophetia illa Iohel, qui cum dixisset, sol cõuertetur in tenebras, addidit, & luna in sanguinem antequam veniat dies domini magnus & horribilis. Et quod de die iudicij loquens Isaias, Et erubescet inquit luna, & confundetur sol, cum regnauerit dominus exercituũ in monte Syon, & in Ierusalem, & in conspectu senum suorũ fuerit glorificatus. Cæterùm peracto die iudicij, & clarescente gloria futuræ vitę, cum fuerit cœlum nouum & terra noua, tunc fiet quod dicit idem propheta alibi: Et erit lux lunæ, sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierũ. Quamuis historialiter hoc modo potest intelligi, tamen & mysticè valet accipi, vt sic dicatur:

Post tribulationem illorum dierum, id est, postquam incœpta erit, non finita, *sol obscurabitur & luna,* id est, quidam maiores & minores prælati in ecclesia, qui alios illuminabant, & qui videbantur stellæ, id est, dono diuinæ gratiæ fulgere in domo Dei, de cœlo, id est, de ecclesia cadent, priuati à lumine suo. *Et uirtutes cœlorum,* id est, angeli *mouebuntur* iudicio hominum futuro, quorum custodiæ deputati sunt, beato Iob attestante qui ait: Columnæ cœli contremiscunt, & pauent aduentum eius.

Et

Et tunc apparebit signum filij hominis in cœlo.) Signum crucis hic intelligamus, vt videant in quem pupugerunt, aut vexillũ fidei victoriæ triumphantis. *Et tunc plangent omnes tribus terræ,* id est, terrenorum, non cœlestium, quos praua conscientia torquebit. *Et uidebunt filium hominis,* id est, humanitatem, non diuinitatem, *uenientem in nubibus cœli,* id est, in sanctis suis. Sicut enim nubes fuit baiula ascendentis, ita erit baiula descendentis, iuxta hoc quod angeli dixerunt: Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlũ, vel existentem in nubibus cœli, id est, in sanctis suis.

Cum virtute magna, id est, cum magna potentia, *& maiestate,* id est, cum magna claritate & gloria. Primus enim aduentus fuit in humilitate. Secundus in potentia. Primus in vtilitate, secundus in gloria. *Et mittet angelos suos cum tuba & uoce magna.*) Quæ omnes mortuos ad resurrectionem inuitabit. Vox illa, tubę comparatur, quia sicut tuba terret inimicos, & animat suos: sic vox illa terrebit impios, & lætificabit pios. Et per illam vocem *congregabit electos eius à quatuor uentis terræ.*) Id est, à quatuor partibus mundi. Et ne aliquis intelligeret, non esse homines congregandos de medio orbe, determinatius ponit, scilicet *à summis cœlorum,* id est, à medio orbe vsque ad terminos eorum, id est, vsque ad fines orbis terræ. Per summum cœli, medium orbis intelligitur, quia medio orbis, summum cœli insidet. *Ab arbore autem fici, &c.*) Exemplo fici ostendit præcedentia esse signa consummationis sæculi. Nota quia cum dicit, prope est in ianuis, non est putandum, tum mox esse consummationem mundi, sed præcursiones quasdam, quæ ostendant quod iam sit prope quasi in ianuis, vel dicamus ita: *Cum uideritis hæc fieri,* non aliqua horum, sed omnia iam facta, *tunc scitote quia propè est in ianuis.*) Quasi dicat: Præsens est. Mysticè quidem ficus populum Israël designat, qui fuit ficus damnata, & pro sterilitate maledicta & arefacta: sed cum de arido ligno ramus quidem fidei & charitatis in eo apparuerit, & folia, id est, verba prædicationis exorta fuerint, prope est æstas, quæ expectatur, id est, æterna serenitas, & renascentium desiderata nouitas. Cum enim tandem ablata perfidia mentis, Israël saluus fiet, prope esse diem iudicij dubium non est.

Amen dico vobis, quia non præteribit, &cæt.) Quasi dicat: Credite his quæ dixi, quia hoc certo sciatis, quia non præteribit de mortalitate ad immortalitatẽ hæc generatio, id est, omne genus humanum. Vel specialiter gens Iudæorum non deficiet, donec hæc omnia fiant, id est, donec veniat dies domini, vel iudicij, & securè, hæc mihi potestis credere, quia verba mea non sunt transitoria, cum transeant cætera, & ideò dicit:

Cœlum & terra transibunt, &c.) Quomodo? Quia innouabuntur deposita priori forma, permanente autem substantia, vt in Ecclesiastes legitur, terra inæternum stat, sed verba mea non præteribunt, potiùs sicut dicuntur, sine vlla mutatione complebuntur, quam commutationem suam cœlum & terra ipsis nobis nunciant alternis vicissitudinibus suis. Nam cœlum modo caligine obducitur, modo claritate renouatur. Terra verò modo à sua specie hyemali ariditate deficit, modo verò vernali honore virescit.

De die autem illa.) Ne fortè auditis signis quærerent illum certum terminum, ait de die nouissima post quot annos vel dies ventura sit. *Nolite esse soliciti, quia nemo scit,* id est, nullus homo scit, *neq; angeli cœlorũ, nisi solus pater,* in quo filius & spiritus sanctus intelligitur. In quibusdam codicib⁹ additur: nec ipse scit filius, qui omnia æque scit vt pater, sed nõ facit homines scire, sicut ait Apostolus, in eo esse absc̃ditos omnes thesauros sapientię & scientiæ. Non facit dico hoc scire, quod inutiliter sciretur. Vult enim vt semper simus incerti de aduentu iudicis, vt sic quotidiè viuamus, quasi in alia die iudicandi simus. Satis in diuina pagina inuenitur talis scripturæ modus. Sic enim dicitur: Spiritus sanctus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, id est, hoc est postulare facit, sicut dicitur: Filius nescit, hoc est, nescire facit. Vel ita legitur: Si neque filius in codicibus inueniatur, nemo scit de die illa, & posteà subdiuidit: Neminem scilicet, neque angeli, neque filius, neque aliquis homo iustus, nisi pater solus, & vbi pater cognouit, ibi & filius & spiritus sanctus intelligitur. Per quodlibet enim nomen personarum, tota essentia diuinitatis intelligitur, cum eadem essentia sit trium personarum.

Sicut autem in diebus Noë, &c.) Probat quia nulli est dies illa cognita, quia omnibus venit improuisa & repentina, & hoc ostendit per simile dicens: *Sicut fuit in diebus Noë, ita erit & aduentus filij hominis.*) Quasi dicat: Sicut dies diluuij omnibus erat ignota & improuisa, ita veniet improuisus aduentus filij hominis. Et nota quia pluribus exemplis affirmat, subitò euenire diem aduentus sui. Primus enim aduentus fuit in humilitate, secundus in maiestate. Nam quem fulguri transuolanti, paulò antè comparauerat, eundem diebus Noë comparat, quando mortalibus superuenit repentinus interitus. Et hoc est: *Sicut erant in diebus Noë ante diluuium, comedentes & bibentes.*) Scilicet gulæ dediti, nubentes & nuptui tradentes, id est, persistẽtes, & hoc vsq; ad eũ diem quo intrauit Noë in Arcam, & cõtemnentes Dei iudiciũ, non cognouerunt, id est, cognoscere noluerũt, Noë etiã prædicante, donec venit diluuiũ, & tulit oẽs, ita erit & aduẽtus filij hoïs. Sed nota, quia vbi dicit: Comedẽtes & bibentes, & nubentes, & nuptui tradẽtes,

non

non alimenta & nuptias, sed immoderatum illorum arguit vsum. Mysticè Arcam Noë ædificat, cum dominus ecclesiã de veris fidelibus, quasi lignis leuigatis a dunando construit, quam perfectè consummatam ingreditur, cum hãc in die iudicij præsentia suę visionis æternus habitator illustrat, sed cum Arca ædificatur, iniqui luxuriantur. Cui modo non creditur, quia qui sanctis hic certantibus insultant, eis illic coronatis æterna damnatione plectentur.

Tunc scilicet, in illa die consummationis, *erunt duo in agro*, id est, inuenientur duo in semẽte pares, sed non æque fructus metentes. Duæ sunt differentiæ prædicatorum in ecclesia, quasi in agro laborantium, eorum scilicet qui syncerè Christum annunciant, & eorum qui verbũ Dei adulterant, quorum mentio est in canticis, vbi dicitur: Sexaginta reginæ & octoginta sunt concubinæ, &c. illorum duorum *unus assumetur* ad remunerationẽ in gloriam, *alter* ad condemnationem perpetuam.

Duo in lecto, vnus assumetur, & alter relinquetur.) Duo isti sunt qui otium diligũt & quietem, quæ lecti nomine significantur: nec sęcularibus nec ecclesiasticis negotijs occupati, vnus assumitur, qui scilicet apud Deum studet, quærens tantum quæ Dei sunt. qui autem humana laude, vel aliqua viciorum occupatione, monasticam vitam gesserit, relinquetur à Deo. Duæ molentes, id est, duæ sunt iterum differentiæ hominum, sequentium orbem volubilium rerum, quorum assumentur qui habentes sunt tanquam non habentes, vt Iob, & ei similes: & alij relinquentur, illi scilicet qui sperauerunt in incerto diuitiarum suarum. Et bene vtriq; nomine fœmineo designantur, quia indigent regimine aliorum, vt fœminæ virorum. Videntur etiam designari hic tria hominum genera, per illa tria nomina quæ ponit Ezechiel propheta, scilicet Noë, Daniel, Iob, quibus significantur rectores continentes & coniugati. *Vigilate ergo.*) Quandoquidem Christi aduentus erit repentinus, ergo vigilate, id est, soliciti estote. Hæc enim causa est, cur dominus aduentum suũ nesciri voluerit, vt scilicet vigilaretis. Vigilate dico, quia nescitis qua hora dominus vester venturus sit, &c. ad iudicium, vel in morte cuiusq;. Et nota, nõ dixit, nos nescimus, sed vos nescitis.

Illud autem scitote, &c.) Quod probat per simile, quia debent vigilare. Nesciente patrefamilias fur domum perfodit, quia dum à sui custodia spiritus dormit, improuisa mors veniẽs, carnis nostræ habitaculum irrumpit, & dominũ quem inuenerit dormientem, ad suppliciũ trahit. Furi ergo resisteret si vigilaret, quia aduentum iudicis occultè venientis, præcauens pœnitendo occurreret, ex qua præmissa similitudine etiam exhortatio subinfertur, cum dicitur: *Ideò & uos estote, &c. Quis putas.*) Quis difficultatem, nõn impossibilitatem perficiendæ virtutis insinuat, quomodo Psalmista: Quis sapiens & custodiet hæc, non neminem, sed rarum significat. *Quis putas est dico fidelis*, bene erogando pecuniam domini sui, *& prudens* discernendo capacitatem singulorum, *quem constituit dominus super familiam suam*, scilicet ecclesiam, *vt det illis* pro capacitate singulorum, *cibum in tempore*, cibum diuini sermonis, vel exẽpli sui, ad superiora verò sic respicit, quasi dicat: Admonendi vtiq; estis, vt parati sitis, quia quam rarus est qui domino seruiens, oues Christi non ad lucrum, sed amore Christi pascit prudens, id est, in futurum sibi prouidens. *Quem iterum constituit, &c.*) Quasi dicat: Quam rarus est qui sit à Deo vocatus, tanquam Aaron, & non magis se ingesserit, & qui se non magis pascat quam oues.

Beatus ille seruus, &cæt.) Raro quidem inuenitur, vt dixi, fidelis seruus & prudens, sed qui tamen talis inuenitur, à domino beatificatur. Et hoc est: *Beatus ille seruus*, æterna beatitudine est glorificandus, *quem cum uenerit, &c.*) Id est, qui veniente domino, ad iudicium repertus fuerit, ministrans annonã verbi, & vigilans in subditis, in cura gregis.

Amen dico vobis, quod super omnia bona sua constituet eum, &c.) Non vt solus, sed vt præ cæteris habeat æterna præmia, cũ pro sua vita, tum pro gregis custodia.

Si autem dixerit malus seruus ille in corde suo, Moram facit dominus, & cæt.) Sicut in vno fideli dispensatore totus bonorum rectorum ordo docetur, sic & in nequissimo seruo cunctorum præsulum, malorum opus damnandũ narratur, & æterna damnatio, qui neglecto domini timore, non modo ipsi luxuriæ vacant, sed etiam subditos iniurijs stimulant.

Typicè tamen potest intelligi, pueros percutere conscientias infirmorum, nõ adhuc spe, fide, & charitate solidatorum prauo exemplo vitiare. Bibere verò cum ebriosis, inebriari facinoribus, & illecebris mundi, quæ faciunt hominem demẽtari. Nota inter vitia mali serui ascriptum, quod tardum Domini sui putauerit aduentum vel reditum. Nõ autem inter boni virtutes annunciatum, quod hunc putauit citum & festinum, sed tamen quod ad iussionem Domini quandoq; venturi, cum seruis cibum in tempore erogauerit. Vnde optimum esse probatur, quanquam magnopere, si liceat, cupiamus scire, quando veniet Dominus æquanimiter nos nescire, quæ non licet scire, sed siue prope, siue procul sit, patienter ferre, & quandocunq; venerit aduentum eius diligere. Sequitur:

Veniet dominus serui illius, &c.) in quo omnes illi mali intelliguntur. Veniet dico, cum non speratur, & diuidet eum à consortio fidelium, & ponet partem illius cum hypocritis, cũ his scilicet, qui erant in agro, & qui molebant, & nihilominus derelicti sunt, qui ideò dicuntur hypocritæ, quia aliud agebant, & aliud intendebant.

CAPVT XXV.

TVnc simile erit regnum cœlorũ, &c.) Interrogatus Dominus noster à discipulis de consummatione sæculi, inter multa quæ locutus est, hoc quoq; exemplũ apposuit decem virginum, quarum quinq; dicuntur admitti, & quinq; excludi. Quæ admissio & exclusio significat futuram bonorum malorumq; discretionem. Sed quærendum est, si virginitatis nomen honorabile est, cur receptis exclusisq; commune est, quia simul ille & iste studeant continentiæ, licèt differant intentione. Virgines enim sunt omnes, qui à luxu sæculi se cõtinent. Quinque verò dicuntur, quia quinq; partita est continentia à carnis illecebris, sed alia bona intentione & zelo iustitiæ Dei se continent, & prudentes vocãtur. Aliæ verò quinq; non zelo Dei, sed potiùs humanæ gloriæ. Vnde meritò fatuæ dicuntur, quæ cum alijs quinq; accipientes lampades suas, bona scilicet opera secundum continentiã facta, exierunt obuiam sponso & sponsæ, id est, bona operando visę sunt concordasse voluntati sponsi, scilicet Dei & matris Ecclesię. *Quinq; autem ex eis*, sicut prædiximus, erant fatuæ, quia bene agebant, nõ bona intentione, & quinque erant prudentes, domino pro Deo, nõ pro mundo seruientes. *Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus, &c.*) Lampades acceperunt, id est, bona opera quibusdam ostentationibus, *non sumpserũt oleum secum*, id est, nõ habuerunt ipsius boni operis gloriam intra conscientiam suam. De hoc oleo arbitror dixisse Dauid: Vnxit te Deus Deus tuus præ participibus tuis. Oleum quippe mentis est lætitia, quam intus habet, qui Deo placet. Sequitur: *Prudentes uerò acceperunt oleum in uasis suis, &c.*) Id est, lætitiam bonorum operum in corde & conscientia posuerunt. Vnde Apostolus: Probet se homo, & tunc in semetipso gloriam habebit, & non in altero. Acceperunt dico oleum, scilicet suum, in vasis suis cum lampadibus, id est, cum boni operis ostensionibus. Moram autem faciente sponso, id est, differente extremum iudicium Christo, Parum enim non est temporis inter priorem & secundum aduentum Christi, *Dormitauerunt, &c.*) Quia dum iudex iudicium differt, electi & reprobi æquè sopiuntur somno mortis. Dormire etenim mori est. Ante somnum verò dormitare, est ante mortem à salute languescere, quia per pondus ægritudinis peruenitur ad somnum mortis, sed cum dormitare dicantur omnes, & prudentes & fatuæ, mirũ est, qua ratione dormitarint, quod est ante mortem à salute languescere, nisi dicamus fortè prudẽtes quodammodo languescere pro dilatione præmij, si dixisse fas est in bono opere torpere. Vel dicamus potiùs languescere, id est, pro desiderio diuini sponsi, & ex cõsideratione salutis conferendæ, in seipsis deficere. *Media autem nocte.*) Id est, securis omnibus nulloq; sperãte hoc. Vnde dicitur: Dies Domini tamquã fur in nocte veniet. *Clamor factus est.*) Scilicet in voce archangeli, & in tuba Dei, & facto clamore illo, ecce, in momento: *sponsus*, Christus: *uenit*, ad sociandam sibi perpetuò sponsam, Clamor, dico, factus est, & ecce eiusmodi clamor.

Exite obuiam ei.) Occurrite ei obuiam in aëra. Tunc audito clamore, surrexerunt omnes de somno mortis. *Omnes uirgines illæ*, tam bonæ quàm malè, *& ornauerunt lampades suas*, id est, diligenter apud se cogitauerunt, & numerauerunt opera sua, pro quibus remunerationem expectabant.

Fatuæ autem, &c.) Id est, illæ, quæ in sua fiducia deceptæ, intus erant vacuæ, *dixerunt sapientibus: Date nobis de oleo uestro, &cæt.*) id est, iuuate nos per merita vestra, *quia lampades nostræ*, hoc est, opera nostra, *extinguuntur*, id est, obscurantur, cum quasi lumine veri testimonij vacuantur. Hoc dicere nihil aliud est, quàm desiderare iuuari meritis sanctorum. *Date nobis, &c.*) Quorum facta aliena laude fulciuntur, eadem subtracta deficiunt, & de consuetudine id semper inquirit, vnde animus solet gaudere. Itaque hominum qui corda non vident, testimonium volunt habere apud Deum, qui cordis inspector est.

Respondérunt prudentes: Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, &c.) Non dabimus vobis de oleo nostro. Quasi dicant: Vnusquisque reddet pro semetipso rationem. Vix quisq; sufficit sibi, ne dum alios meritis iuuet. Posteà deridendo eos subiungunt. Ne fortè non, quia quisq; pro se rationem reddet, nec alieno testimonio iuuatur quis apud Dominum, cui secreta patent, & vix quisq; sibi sufficit, vt ei testimonium perhibeat conscientia sua.

Ite potiùs ad vendentes, & emite vobis.) Quasi dicat: Ite potiùs ad adulatores, qui vobis laudes vẽdere cõsueuerant. Quasi sub hac irrisione diceret, modò apparet, quid vobis prosunt adulatores vestri. *Cum autem irent emere, &c.*) Id est, dum ad vendentes suos per recordationem irent, & quãtum mali cum eis egissent, cogitarent.

Venit sponsus: & quę paratæ erant, quibus scilicet bonum testimonium coram Deo testis conscientia perhibebat. *Intrauerunt cum eo ad nuptias*, vbi munda anima sempiterno diuino consortio copulatur. *Et clausa est ianua.*) Id est, aditus regni cœlestis, quia illis receptis, qui sunt vita in vita angelica imitandi, post factum iudicium, nullis posteà precibus patebit aditus. Post iudicium enim magna est seueritas, cuius ante est ineffabilis misericordiæ benignitas.

Nouissimè verò veniunt, &c.) Nouissimè quidem veniunt, quia per seram pœnitentiam,

& per infructuosas lachrymas pulsant foras relictæ. Nec est dictũ, quod emerũt oleum, ideoque intelligendæ sunt, nullo iam remanente de alienis laudibus gaudio, in angustijs & doloribus redire ad implorationem Dei. Sed qualis Dei? Sæuissimi post iudicium. Sequitur:

Domine Domine, aperi nobis, &c.) Dolore repulsionis cõpulsæ, appellationẽ ingeminãt dominationis, non vocando patrẽ, cuius in vita sua contempserunt misericordiam.

At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos.) Quasi dicat: Ideò vos desero, quia per vitæ meritum non agnosco.

Vigilate itaq;, quia nescitis diem neq; horam, &c.) Nescitis nõ solùm diem iudicij, quo venturus est sponsus, sed etiam dormitationis vestræ horam nescitis. Et nota, quia breui conclusione manifestauit, ad quod præmissa parabola tendat.

Sicut enim homo peregre, &c.) Vt testimonium bonæ conscientiæ nobis præparemus, & ne cum fatuis virginibus foris remaneamus: & quia paratos nos Christus inuenire desiderat, aliam subdit de eadem re parabolam.

Gregorius) Quis iste homo est, qui peregre proficiscitur? nisi redemptor noster, qui in ea carne, quam assumpserat abijt in cœlum. Carnis enim locus proprie terra est, quæ quasi ad peregrina ducitur, dum per Christum in cœlo collocatur. Homo verò iste peregre proficiscens, seruis bona sua tradidit, quia fidelibus suis spiritualia dona concessit.

Et vnt dedit quinq; talenta, &c.) Id est, exteriorum scientiam quinq; sensibus acquisitam vel expressam. *Alij autem duo, &c.*) Scilicet intellectum & operationem. *Alij uerò unum, &c.*) Id est solùm intellectum.

Vnicuiq; secundum propriam virtutem. Quasi dicat: Nõ pro parcitate vel pro largitate, alij plus, alij minus, sed pro viribus accipientiũ ita diuisit. *Et profectus est statim, &c.*) Non locum mutans, sed liberam ei operandi potestatẽ permittens, & suo arbitrio relinquens.

Abijt autem qui quinq; talenta acceperat.) Quasi dicat: Promouit sese in scientia exteriori, & si mystica penetrare nõ potuit, & operatus est in eis sese à visibiliũ voluptate cohibendo, *& lucratus est alia quinq;*. Alios admonendo & exemplo bonorum, & morum informando, & ab eisdem exterioribus cõpescendo. Sũt nõnulli, qui quasi duobus talentis ditati, intellectum atq; operationem percipiũt, & dum subtilia intelligũt, mira de exterioribus operantur. Cũq; intelligendo & operando alijs prædicant, quasi duplicatũ de negotio lucrũ reportant. Bene aũt alia quinque, vel alia duo in lucrũ venisse referuntur, qui dum vtriq; sexui prædicatio impenditur, quasi accepta talenta geminantur. Qui aũt vnũ, id est, intellectũ acceperat, & gratis habuerat, abiens, non monens eo, sed secretò abscondit, quod notatur, cum dicitur, fodit in terrã. Vel abiens per se, & non rediens per se, fodit in terrã, id est, in terrenis laborauit, & pecuniã Domini sui, id est, intellectum sibi à Domino cõmissum abscõdit, scilicet terrenis actibus applicauit, non lucrum spirituale quæsiuit. Sunt nanq; nonnulli, qui intelligentiæ talentum perceperunt, sed tamen quæ carnis sunt, sola sapiũt. De quibus per Isaiam Prophetam dicitur. Sapientes sunt, vt faciant mala, bene autem facere nescierunt.

Post multum verò temporis.) Quod est ab ascensione vsq; ad secundum aduentũ Christi.

Venit Dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis.) Id est, cœpit discutere actus singulorum, conscientia accusante vel excusante vnumquemq;.

Et accedens, quasi ad reddẽdam rationẽ se præparans, qui quinq; talenta acceperat, obtulit alia quinq; talẽta, illos scilicet, quos bonæ operationis suæ exemplo & verbo bene operari docuerat. Quot enim ab errore cõuertit, tot Domino obtulit, testimoniũ sibi dãte cõsciẽtia, qđ per gratiã sibi datã, non tantũ sibi profuit, sed & quos potuit Domino lucrifecit. Vnde sequitur:

Domine quinq; talẽta tradidisti mihi, ecce alia quinq;, &c. Ait illi Dominus eius: Euge serue bone & fidelis, quia super, &cæt.) Gaudens de serui sui profectu, in gaudium intrare iubet, vbi super multa constituitur, quia super pauca fidelis fuerat cõprobatus. Pauca enim sunt omnia bona præsentis vitæ, quamuis multa videantur, quæ non sunt sine molestia. Multa verò bona æterna sunt, quia sine omnis corruptionis molestia sunt. Vnde meritò illa bona Dominus vocat gaudiũ, quia bona illa adeptus, sic intro lætatur de munere, vt non sit iam, quod exterius doleat de corruptione.

Accessit autem, & qui duo, &c.) Vtrique seruo, & illi scilicet, qui de quinq; decem talenta fecerat, & qui de duobus quatuor, Paterfamilias blanditur. Seruus autem qui de talento operari noluit, infœliciss imum à sua conscientia habens testimonium, cum verbis excusationis redit ad Dominum, dicens:

Domine, scio quia homo durus es. &c.) Per doctrinam eius duram. Ardua enim est via, quæ ducit ad vitam, quia quanto gradus altior est, tãto casus grauior. Et notandũ adhuc, quod inutilis seruus durũ vocat Dominũ, cui tamẽ seruire dissimulat ad lucrũ & timuisse se dicit in lucrum talentũ expendere, qui hoc solùm timere debuerat, ne hoc sine lucro ad Dominũ reportaret. Sũt enim pleriq; in Ecclesia, quorũ seruus iste imaginem tenet, qui meliorẽ vitam aggredi metuunt, & tamen iacere in sui torporis ignauia non pertimescunt. Cumq; se peccatores considerãt, sanctitatis viam arripere trepidãt, & tamẽ remanere in suis iniquitatibus non formidant.

Dicit

Dicit ergo seruus nequam: Domine, scio quia homo durus es, &c.) Id est, dura & arcta præcepta habes, & in hoc noto duritiam tuam. Quod tu metis vbi non seminasti. Gẽtiles sunt, in quibus tu non seminasti legem scriptam, immo sine lege fuerunt, & tamen metis eos, id est, falce iudicij præcidis eos, & damnas, quia malè operantur, quãuis semine scriptæ legis careant.

Et cõgregas, vbi nõ sparsisti.) Quia quosdam Gentilium, vbi non sparsisti scriptã legem, congregas: scilicet de illis, in quibus nihil prædicationis seminasti, vis tibi congregare fructũ in horreo cœlesti. Quosdã enim saluas per legẽ naturalem, sicut Iob, quibus lex scripta non fuit nunciata, & eorum comparatione, qui naturalem legem seruant, damnas eos, qui negligunt scriptam: & ideò ego timens aggredi gradũ altioris vitæ, ne scilicet alterius salutem quærens, periclitarer. *Et ipse abij*, per liberum arbitrium, *& abscondi talentum tuum*, id est, non prædicaui, quod te donante intellexi, sed abscondi in terra, id est, in carnali vita degens, & sicut habui, sic tenui talentum tuum, non augens vel minuens. Ecce habes quod tuum est.

Respondens autem Dominus eius, dixit illi: Serue male, &c.) Quia per superbiam tuum dominum calumniaris, *& piger*, qui lucrum facere neglexisti. *Sciebas quod meto ubi non semino, & congrego, &c.*) Sicut expositũ est superiùs. Quasi dicat. Ista cogitatio tua, quare non incussit tibi, cum scires me mea diligẽtiùs inquisiturum? Ecce quod adduxisti ad excusationem tuam, te potiùs incusat, quia quanto me nouisti seuerũ, tanto oportuit te comittere pecuniã meã nummularijs. Et hoc est: *Oportuit ergo, &c.*) Quasi dicat, Quandoquidem ab illis, quibus non cõmisi, exigo, & iuxta sententiam tuam illud, quod ad erogandum non dedi, exquiro, quanto magis est ex te exquirendũ, quod tibi dedi ad erogandum? Nummularij sunt, qui prædicationem diuinam auditam, valent verbis & operibus exercere & multiplicare. Pecuniã igitur nummularijs dare, est scientiam aliquam illis impendere, qui hanc valeant verbis & operibus cõplere. *Tollite itaq; ab eo talentum, &c.*) Geminam pœnam ostendit, quam sæpe dominus negligenbus cõmissum talentum intellectum tribuit: Alteram in præsenti, alteram in futuro. In præsenti enim Ecclesia sæpe fit, quod modo dicitur:

Tollite ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta, &c.) Illi enim, qui habet scientiam scripturarũ, & ea neglecta, negotijs sęcularibus intentus est, aufertur scientia scripturarũ, & datur obliuioni. Ille verò, qui habet in præsenti Ecclesia quinq; talenta, id est, non scientiam scripturarũ, sed scientiam exteriorũ, ea multiplicando & bene ministrando, alia quinque promeruit per adiunctam gratiam, scilicet scientiam scripturarum recipit, & ad intellectũ mysticum peruenit, & ita talentum, quod seruo nequam aufertur, fideli ministro tribuitur.

Omni enim habẽti dabitur, & abũdabit.) Quasi dicat: Omni habenti, scilicet charitatem, dabitur maior profectus, in virtutibus, & maior intellectus in dominicis præceptis: & hoc est, & abundabit.

Ei autem qui non habet, scilicet charitatẽ, quod videtur habere ex naturali bono, sicut est naturale ingenium & litera, scientia aufertur ab eo, quia aut tradit obliuioni, aut, si retinet, naturale bonum, quasi ab eo ablatũ est, dum infructuosum manet. Vel aliter: Omni habenti, scilicet amorem verbi Dei datur ei sensus intelligẽdi. Qui verò non habet, etiamsi naturalem sciẽtiam habeat, dum eam non amat, ab ea deficit. Qui enim desides sunt, quamuis naturaliter sint acuti, tamen perdunt naturale bonũ & præmiũ quod eis erat promissum. Sed quia solliciti sunt, & alios instruunt, quod minus habent per naturam, acquirunt per industriam.

Vel aliter: Qui habent fidem & bonã voluntatem, etiãsi minus habent in opere, dabitur eis, quod deest à bono iudice. Sed qui fidẽ non habet, etiam cæteras virtutes, quas habet naturaliter, perdit: sine qua etiam virtutes non sunt.

Et inutilem seruũ eijcite in tenebras, &c.) Ostendit pœnã, quãrecipiet piger seruus in futuro. Quasi dicat: Inutilem seruũ & infructuosum, qui sponte & negligentia sua corruit in interiores tenebras, eijcite in exteriores.

Exteriores tenebræ possunt intelligi corporales pœnæ. Corpus quippe exterius animæ. Interiores ergo tenebræ mala sunt animæ, quibus à charitatis lumine auersa, in peccatis oblectatur. Exteriores verò tenebræ sunt mala corporis, quibus æternaliter torquebimur in igne. Itẽ pecuniæ distributio inæqualis est, sed non ad diuidentem referenda est diuersitas.

Ait enim vnũquenq; secundũ virtutem suam accepisse, & paterfamilias, vt diximus, Christus est. Tempus peregrinationis spacium est pœnitentiæ. Ille, cui dedit quinq; talenta, populus Iudaicus est, qui quinq; libros Moysi habuit, & secundum quosdam dico, illos per Euangelicam gratiã multiplicauit & expleuit, & fructũ decalogi in lucrũ reportauit. Eæ verò, cui duo talenta sunt cõmissa, Gentilis est populus, cui data sunt duo, fides cordis, & cõfessio oris, quæ duo iterũ multiplicauit. Ille verò, qui vnum talentum accepit, illos de Iudaico populo designat, qui in lege persistentes carnali, carnaliter sapuerunt, & spiritualẽ legis intellectũ in litera, quasi talentũ in terra absconderũt, neq; ipsi vtentes, neq; propter inuidiã alijs scilicet Gentibus vtendũ, dispensantes, & illum carnalem legis intellectũ sibi ad salutem sufficere putantes. Lector cætera subtilius inquirat, secundum hanc sententiam.

Cũ aũt venerit filius hominis, &c.) Post parabolas, de fine mũdi iam exequitur Dominus

modũ futuri iudicij. Et nota, quia crucifigẽdus prę̃miſit gloriã triumphantis, vt de hac tãta promiſsione, ſcandalũ crucis poſſet remouere. Dicit itaq;: *Cũ uenerit filius hominis.* In ſecũdo ſcilicet aduentu ſuo venerit, dico, in maieſtate, id eſt, in diuinitatis potẽtia iudicaturus, quoniã venit in humilitate ſerui iudicandus, *Et oẽs angeli eius cum eo*, quia angeli ſunt teſtes humanorum actuum, ſub quorum cuſtodia bene vel male egerunt.

Tunc ſedebit rex ſuper ſedem maieſtatis ſuæ.) Super Eccleſiam ſcilicet, in qua tunc apparebit omnipotentia eius.

Nota, quod dixit filius hominis. Valet enim aduerſus hæreticos, qui Chriſtum in aſſumpta forma ſerui negant venire, pro eo quod ait Apoſtolus: Etſi noueramus Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc iam nõ nouimus. Veniet ergo filius hominis & filius Dei. Filius hominis alius ſecundũ humanitatẽ, non tamen aliud, ſed vnus idẽq; in vtraq; natura, verus & ꝓprius filius Dei.

Et congregabuntur ante eum omnes Gentes, &c.) Omnis temporis, omnis conditionis, omnis ſexus, *& ſeparabit eos ab inuicem*, qui modo mixti ſunt, ſicut paſtor congregat oues ab hœdis, bonos ſcilicet à malis.

Nota, quod duo ordines erunt in iudicio electorum & reproborum. Sed electorum alij iudicabunt, de quibus dicitur: Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim iudicãtes tribus Iſraël. Alij iudicabuntur, quibus hic dicitur. Eſuriui, & nõ dediſtis mihi manducare. Item reproborũ alij, qui extra Eccleſiam ſunt, & non iudicabuntur, alij iudicabuntur, quibus dicitur: Eſuriui, & nõ dediſtis mihi manducare. Sequitur: *Et ſtatuet oues quidem à dextris.*) Id eſt, bonos in æterna beatitudine collocabit. *Hœdos autem, &c.*) Scilicet malos in æterna miſeria confirmabit. Et bene dicit hœdos, non capras, quæ fœtus habere poſſunt. Hœdus enim petulcum animal eſt & ſtolidum, quod pro peccato offerebatur in lege, & ſignificat peccatores.

Tũc dicet rex his, qui à dexteris eius erũt, &c.) Iſtud dicere, erãt in conſcientijs eorum.

Venite benedicti patris mei, &c.) Id eſt, beneficio patris mei promoti, ad obtinendam gloriam promiſſam.

Poſsidete, paratum vobis regnum & prædeſtinatum à conſtitutione mundi, vt in eo ſine fine & ſine corruptione regnetis, ſicut promeruiſtis.

Eſuriui enim & dediſtis mihi manducare, &c.) Ad literam nota miſericordiæ & charitatis opera. Myſticè verò, qui eſurientem & ſitientem iuſtitiam, pane verbi reficit, vel potu ſapientiæ refrigerat, charitatis quoq; facit opera. Et qui errantem in domo matris Eccleſiæ reuocat, infirmũ in fide aſſumit: & qui tribulatione aliqua ſeu carcere iuſtitiæ oppreſſo ſubuenit compatiendo, vel conſolando, veram dilectionem adimplet. Nota, quia iuſti reſpondent: *Domine, quando te uidimus eſurientem? &c.*) Nõ diffidunt de verbis Domini, ſed ſtupent de tanta ſublimatione, vel de maieſtatis eius magnitudine, vel quia videtur paruum eſſe, quod egerant bonum. Vnde dicitur: Non ſunt condignæ paſsiones huius temporis ad futuram gloriam.

Et reſpondens rex, dicit illis: Amen dico vobis, quàm diu feciſtis vni de his, &cæt.) Per hæc verba innuit ſe non generaliter dixiſſe de omnibus pauperibus, ſed de his tantum, qui ſunt pauperes ſpiritu, qui ſcilicet volũtate propria poſtpoſita, voluntatem ſuperni patris faciunt. *Tunc dicet & his, qui à ſiniſtris erũt: Diſcedite à me maledicti, &c.*) Viſi ſunt mali cum Deo eſſe, dum ſunt permixti bonis in præſenti tempore, ſed tandẽ tollentur impij, ne videant gloriam Dei, & mittentur in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & angelis eius, nõ hominibus à cõſtitutione mundi, vt bonis regnum. *Eſuriui, & nõ dediſtis mihi manducare, &c.*) Non dicit, qui feciſtis homicidia, ſed quia ea eleemoſynis redimere noluiſtis. Cogita, quid meretur, qui aliena rapit, ſi æternaliter damnatur, qui ſua non dedit. *Tunc reſponderunt ei & ipſi: Domine quando te &c.*) Excuſare ſatagunt, quaſi Deum fallere poſsint, qui homines fallebant, ſed excuſationem non habent, qui auerti à malis, & bona agere noluerunt. Vnde ſubdit? *Quàm diu non feciſtis uni de minimis, &cæt. Et ibunt hi in ſupplicium æternum, &cæt.*) Fruſtra ergo ſpondet Origenes liberationem à malis hominibus poſt multos annos, & ipſis etiam dæmonibus.

CAPVT XXVI.

ET factum eſt, cum conſummaſſet Ieſus oẽs hos ſermones, dixit diſcipulis, &c.) De conſummatione ſæculi, & de die iudicij, vel ab initio Euangelij vſq; ad paſsionem omnia faciendo & prædicando compleuerat. Nunc verò poſt ſermonẽ, quo ſe venturum in claritate prędixit, paſſurum ſe eſſe oſtendit, vt admoneat ſacramentum crucis, admixtum eſſe gloriæ æternitatis. Dicit itaq;:

Scitis, quia poſt biduum paſcha fiet, &c.) Videndum eſt, qua die hæc verba Dominus cum Apoſtolis locutus fuiſſet in monte Oliueti, vt manifeſtius intelligamus, quid eſt, quod dicit poſt biduum. Ex Ioannis narratione colligitur, quod ante ſex dies paſchæ venit Ieſus in Bethaniam, ibiq; factum eſt conuiuium, in quo interfuit Ieſus. In craſtino venit in Ieruſalem, ſedens ſuper aſinam. Eodem die, vt refert Matthæus, redijt in Bethaniam, ibiq; manſit. Mane autem, vt idem ipſe refert, reuerſus eſt in ciuitatem, quando eſuriens inuenit ficum, & quæſiuit fructum in ea, quod factum eſt die lunæ. De qua to verò die facit mentionem Marcus. Cum enim retuliſſet, qualiter inuenit, & qualiter maledixit ei, & quid feciſſet in templo, poſteà adiunxit,

iunxit, & cum veſpere factum eſſet, egrediebatur de ciuitate. Poſteà addidit, & cũ mane tranſirent, viderunt ficum aridam factam. Et recordatus eſt Petrus & dixit ei: Rabbi, Ecce ficus, cui maledixiſti, aruit. Deinde multis alijs relatis, oſtendit Dominum in monte Oliueti ſediſſe, & hæc omnia, quæ iam dicta ſunt de conſummatiõe ſęculi, locutũ Apoſtolis ibi fuiſſe, in qua locutione Matthæus ait: Et factũ eſt, cum cõſummaſſet Ieſus ſermones hos, dixit diſcipulis ſuis.

Scitis, quia poſt biduum paſcha fiet, &c.) Vnde intelligi poteſt hæc in die martis dixiſſe, vt poſt biduum, id eſt, in die Iouis paſcha celebrandum eſſet. Paſcha vocatur dies, in quo immolabatur agnus, & dicitur paſcha nõ à paſsione, vt pleriq; arbitrantur, ſed à tranſitu. Paſcha enim græce tranſitus interpretatur, quod Hebraicè phaſe appellatur. Tranſitus autem ideò dicitur dies ille, quia ea nocte, qua immolatus eſt agnus in Aegypto, tranſierunt filij Iſraël de Aegypto. Vel ideò dicitur tranſitus, quia tunc tranſibat domos Iudæorum, exterminator angelus, cum videret ſanguinẽ agni in poſtibus: vel quia ipſe dominus præbens auxilium tranſibat ſuper populum ſuũ. Myſticè autem paſcha dies ille vocatur, quia de hoc mundo Chriſtus ad patrem tranſijt. Vnde ait Ioannes: Ante diem feſtũ Paſchæ, ſciens Ieſus quia venit hora eius, vt trãſiret de hoc mundo ad patrem. Septem dies qui poſt diem Paſchæ ſequebantur, vocabantur azima, quia in his azimis panibus Iudæi vtebantur, agentes in eis maximam ſolennitatẽ. Sed Euangeliſtæ indifferenter & diem azimorum pro Paſcha ponere ſolent. Dicit enim Marcus: Erat autem paſcha & azima poſt biduum. Dicit Lucas: Dies feſtus azimorum, qui dicitur paſcha. Item Ioannes cũ loqueretur de die in qua crucifixus eſt Chriſtus, ait: Ipſi non introierũt in prætoriũ, ne contaminarentur, ſed manducarent paſcha. Quod ideò faciunt, quia & paſchæ dies in azimis panibus eſt celebrari præceptus, & nos quaſi paſcha perpetuum facientes, ſemper ex hoc mũdo exire præcipimur. Vno quippe agno immolato ad veſperam, ſeptem ex ordine dies ſequuntur azimorum: quia Chriſtus Ieſus ſemel pro nobis in plenitudine temporum paſſus in carne, per totũ nobis huius ſęculi tempus, quod ſeptem diebus agitur, in azimis ſynceritatis & veritatis præcipit eſſe viuendum.

Et filius hominis tradetur, &c.) Appropinquante paſsione ſua, non ſolùm eam, ſed & diem eius voluit prænunciare, vt ſibi omnia patere, & ſponte ſe mortem velle ſubire oſtenderet, cum eam nullatenus deuitaret: & ideò prædicere volebat, vt Apoſtolos confortaret.

Tunc congregati ſunt principes, &cæt.) Oſtendit apparatũ, & machinationem paſsionis dominicæ. Et hoc eſt: Tunc congregati ſunt principes, ſcilicet qui debuerant ſe præparare ad paſcha, contra agnum verũ ſe potiùs armant: & hoc faciunt ex dolo, & conſilio timentes, ne plebs eum eis auferret. Vnde dicunt:

Non in die feſto, ne fortè tumultus fieret in populo, &c.) Et ſic euaderet manus eorum. *Cum autem eſſet Ieſus in Bethania, &c.*) Oſtenſo conſilio, vult exequi explẽtionem eius, qualiter videlicet Iudas habuerit cum Iudæis conuentionem, vt Chriſtũ traderet, ſed priùs cauſam proditionis præmittit cum dicit: Cum eſſet Ieſus in Bethania. Iudas enim loculos habebat, & quoniam fur erat, quæ mittebatur à Ieſu, retinebat. Cum ergo vidiſſet Mariam in vnctionẽ Ieſu, libram vnguenti expendiſſe doluit, quia non erat venundatum, vt ſibi pretium traderetur, & ſibi inde aliquid corraderet. Pilatus itaque voluit damnum perditionis vnguenti recompenſare in pretio proditionis magiſtri. Cum ergo dicturus eſſet:

Tunc abijt Iudas ad principes ſacerdotũ, &cæt.) Vt cauſam oſtendat, redit ad relationem effuſionis vnguenti, quæ facta eſt in domo Simonis leproſi. Et nota quia interruptus eſt tractatus. Hæc enim effuſio facta eſt ante ſex dies paſchæ, vt refert Ioannes in die quo reciperetur cum ramis palmarũ. Sed hic interſerta eſt, quia fuit cauſa proditionis, quaſi ita diceret: *Cum ita congregati eſſent principes ſacerdotum, &* conſilium facerent, *tunc abijt unus de duodecim ad principes ſacerdotũm, &c.*) Et hoc non ſine cauſa, ſed ideò quia *cũ eſſet in Bethania, in domo Simonis leproſi, &c.*) Simon iſte leproſus fuerat, ſed curatus à Domino, antiquum adhuc tamen retinebat nomen. Mulier iſta Maria erat Magdalene, ſoror Lazari, quem ſuſcitauit Ieſus à mortuis, vt Ioannes apertè commemorat. Ipſa eſt autem, non alia, quæ quondam (vt Lucas ſcribit) peccatrix ad Ieſum veniens, pedes domini lachrymis pœnitẽtiæ rigauit, & vnguento pię confeſsionis liniuit, & quia multum dilexit, multorum veniam peccatorum à pio iudice promeruit. Nunc verò iuſtificata & familiaris facta domino, non tantum pedes eius, vt idem Ioannes narrat, verumetiam caput, vt Matthæus Marcusq; perhibẽt, oleo ſancto perfudit. Eſt enim alabaſtrum genus marmoris candidi, varijs coloribus interſtincti, qđ ad vaſa vnguẽtaria cauare ſolent, eo quod optimè ſeruare ea incorrupta dicatur. Nardus verò arbor eſt aromatica, de cuius folijs & ſpicis erat confectum hoc vnguẽtum quod attulit Maria, quod precioſius erat cæteris. Vnde Matthæus vocat illud vnguentũ pretioſum, dicens ita: Habens alabaſtrum vnguenti ſpicati pretioſi. Ioannes verò ait: Accepit libram vnguenti nardi piſtici pretioſi.

Piſtis Græcè, Latinè dicitur fides, & piſticum fidele. Erat enim vnguentum illud fidele, id eſt, verum & purũ, non adulteratũ. Auguſtinus verò ait: Quod ait, piſtici, locũ aliquẽ credere debemus, vnde erat hoc vnguentũ pretioſum. Myſticè Chriſtus eſt in Bethania, hoc eſt, in domo

obedientiæ,& in domo Simonis, id est, obedientis. Simon enim obediens interpretatur, quia dominus in mentibus obedientiũ habitat. Deuotio Mariæ fidem & pietatem significat ecclesiæ, quæ loquitur in canticis: Dũ esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suũ. Quę dum prædicat Deitatem, caput vngit: dum carnis humilitatem, pedes.

Vidētes aũt discipuli, indignati sunt, &c.) Ioannes dicit, hoc Iudā locutũ fuisse causa cupiditatis, eò q; fur erat: quòd aũt Matthęus & Marcus discipulos ponũt pluraliter, synecdoche est, plurale pro singulari. Potest etiã intelligi, quod & alij discipuli aut senserunt hoc, aut dixerunt, aut eis Iuda dicente persuasum sit, atq; aut omniũ voluntatē Matthæus & Marcus etiã verbis expresserunt: sed Iudas propterea dixit quia fur erat, cæteri verò propter pauperum curam.

Sciens autem Iesus, ait illis, &c. Mittens autem hoc vnguentum, &c.) Quasi velit intelligi, Officiũ est sepulturæ & pietatis, quod vos perditionē putatis. Nec mirum si mihi dat fidei odorem, pro qua mox fusurus sum meũ sanguinem. Permittamus ergo repræsentare eam meæ sepulturæ, vt effundat super me oleũ, p qua effundam sanguinē meũ. Sequitur: *Amen dico uobis, ubicunq; prædicatum fuerit hoc Euangeliũ, &c.*) Id est, in quocunq; loco dilatabitur ecclesia, per totũ mundum dicetur, & quod hæc fecit in memoriam eius. Istud &appositũ, notāt quod sicut Iudas contradicens, adeptus est perfidiæ infamiã, sic & ista piæ deuotionis gloriam. Sed bona do minus tantũ collaudans, hoc tacendo præterijt.

Tunc abijt vnus, tunc scilicet quando congregati sunt principes sacerdotum, *abijt unus de duodecim*, abijt, nõ inuitatus, nõ coactus, sed spõte sceleratum inijt consilium, volens damnũ de vnguenti effusione magistri sui pretio recompensare. Nec certè postulat summã, vt salutē faceret proditionem lucrosam, sed quasi vile vendens mancipium, ponit in potestate ementium, quantum vellent dare pretium. *At illi constituerũt ei dare triginta argenteos.*) Idem scilicet pretiũ, quo Ioseph à fratribus suis venditus est. Sequitur:

Et exinde quærebat opportunitatem, vt eum sine turbis traderet, &c.) Multi hodie qui factum Iudæ execrãtur, idem faciunt, quia cum pro munere falsum testimoniũ dicunt, quia veritatem negant, Deum qui veritas est, vendunt. Dum charitatem violãt, Deum qui charitas est, produnt, præsertim cũ non faciunt hoc ex ignorãtia, sed potiùs opportunitate faciẽdi quæsita.

Prima autem die azimorum, &c.) Primam diem azimorum vocat quartũdecimum diem primi mensis, quãdo fermento abiecto immolare, id est, agnum occidere ad vesperum solebant, qui licèt, die sequenti, hoc est, quintadecima luna sit crucifixus, hac tamen nocte qua agnus immolabatur, & carnis, sanguinisq; sui mysteria celebranda tradidit discipulis, & à Iudæis tentus & ligatus est ipsius immolationis, hoc est, suæ passionis sacrauit exordium. Sequitur:

Vbi vis paremus tibi pascha, &cæt.) Nota quia non erat eis domus certa. Vnde probatur ædificatio domorum superflua.

At Iesus dixit: Ite in ciuitatem ad quendam, &c.) Marcus verò dicit: Ite in ciuitatem, & occurret vobis homo lagenam aquæ baiulãs, sequimini eum, & quocunq; introierit, dicite domino domus, vbi est refectio mea, vbi pascha cum discipulis meis manducem?

Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande stratum, & ibi parate, &c.) Sic non notificauit hominem nomine, sed signis, vt prescientiam diuinitatis ostenderet, qua ita discipulis quæ futura erant alibi prænotaret vel manifestaret: & ideò rursum maluit signis quam nomine denotare, quia in signis aliquid mysticum voluit significare. Quicunq; enim uoluerit pascha domini celebrare, debet sequi baiulum aquæ. Aqua significat gratiã spiritus sancti. Vnde alibi dictum est: De ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dicebat de spiritu sancto. Baiulus aquæ designat prædicatorem, qui debet omnibus gratiam spiritualem propinare. Lagena autem significat fragilitatem prædicatoris, de qua ait Apostolus: Habemus thesaurũ istum in vasis fictilibus. Qui ergo vult celebrare pascha domini, sequetur prædicatorem, qui ducet eum ad domum ecclesiæ, in qua sibi ostendetur à domino domus, hoc est, à prælato ecclesię, vbi debeat celebrari pascha domini. Demonstrabit enim ei cœnaculum magnum. Cœnaculum quod in alto est, altitudinem mysterij sacramẽtorum Dei significat. Qui ergo vult celebrare pascha domini, oportet vt illud in alto celebret, nõ in imo. In alto illud celebrat, qui aliud in signo, id est, in agno, quã pecus intelligit. Nec solas figuras veteris legis obseruat. In imo pascha facit, qui solas figuras legis recipit, &nihil spirituale sub eis intelligit. Ideò & baiuli, & domini domus, sunt prætermissa vocabula, quia sine nominibus adhuc eorum erant significata. Nullus enim honos erat Christiani nominis, nec prælatorum nec prædicatorum.

Vespere autem facto, &c.) Et ideò vespere discubuit cũ discipulis', quia in passiõe Christi, quando verus sol ad occasum properauit, refectio æterna omnibus fidelibus præparata fuit.

Et edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia, &c.) Ex magnitudine misericordiæ suæ voluit dominus proditorem discipulum, ad pœnitentiã multis modis reuocare, occultis videlicet notationibus, minis, sacramẽto vnitatis, exẽplo humilitatis. Occultis notationibus hoc modo: Cũ Iudas putaret cõscientiã suam Deũ latere, ostendit Christus eam manifestã esse, tamen non nominando discipulũ, ne impudentiorem faceret

faceret manifestè redargutum, dum tangit crimen, ad pœnitentiam inuitat. Silet nomen, ne impudentior fiat. Minis reuocat, cùm ait: *Væ illi per quem filius hominis tradetur, &c.*) Sacramento vnitatis, cùm corpus suum ei tradit: exemplo humilitatis, cùm ei pedes abluit.

Et contristati sunt, &c.) Certũ est quia vndecim discipuli non erant sibi conscij, sed tamẽ plùs credunt magistro quàm sibi. Timẽtes ergo fragilitatẽ suã, ne in eis esset volũtas futura proditionis, interrogant illum cui omnia patent futura, dicentes: *Nunquid ego sum domine? &c. Qui intingit mecum, &c.*) Dum perseuerat proditor in malo, manifestius arguit, & tamen nomen propriè non designat. Iudas cæteris contristatis, & retrahentibus manum, temeritate & impudentia qua proditurus erat, illam manũ cum magistro misit in paropside, vt audacia bonam conscientiam mentiretur. Matthæus dicit in paropside. Marcus in catino. Paropsis est vas escarum quadrangulatum à paribus asibus, id est, æquis lateribus dictum. Catinum verò vas fictile apertũ, ad immittendum liquorem, & potuit fieri vt in mensa vas fictile à quadrangulis contineretur. Sequitur:

Filius quidem hominis vadit, sicut scriptũ est de illo. Væ aũt homini illi per quẽ, &c.) Nec primò nec secundò correctus à proditione pedem retrahit, sed patientia domini impudentiam suam nutrit, & irã Dei thesaurizat sibi. Pœna igitur prædicitur sibi, vt quem pudor non vicerat, corrigant denunciata supplicia. Sed & hodie & in sempiternũ, væ homini illi, qui ad mensam domini malignus accedit, qui præcordijs aliquo scelere imbutus, pollutis sacrosanctis mysterijs participari non metuit.

Bonum enim erat illi, &c.) Hoc simpliciter intelligendum est & vsitatè. Quasi dicat: Multò melius erat omninò non esse, quàm malè esse. Nec tamen ideò dicitur, quòd benè potest esse illi qui non est, sed vsualis locutio est. Quòd autem dicitur, si natus non fuisset homo ille, duobus modis intelligi potest. Si natus, quasi dicat: Non fuisset homo ille, id est, Iudas. Vel si natus non fuisset homo ille, id est, Christus. Potest etiam hic versus alio modo exponi. Bonum esset illi, id est, minus malum esset Iudæ, vt mitius malum bonum dicatur comparatione maioris mali. Si homo ille, id est, Iudas, nõ natus esset in fide, & in Apostolorum electione per Christi vocationem, nisi enim natus esset per vocationem, non esset apostata per proditionẽ. Vel bonum erat ei, id est, minus malum, si natus non fuisset in mundo, sed tanquã abortiuum in ventre matris mortuus.

Respondẽs autem Iudas qui tradidit eum, dixit: Nunquid ego sum Rabbi?) Quia cæteri discipuli eum tristes interrogauerunt, interrogat eum & iste, ne tacẽdo videretur reus se prodere. Et alij dicunt Domine, iste verò Rabbi, quasi leuius reputãs prodere magistrum quàm Dominum, vel blandientis affectum ostendit, dum prodit. Sequitur:

Ait illi: Tu dixisti.) Quasi dicat. Tu te prodidisti, non ego. *Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, fregit, deditq; discipulis suis, &c.*) Finitis veteris phasę solennijs, quæ in commemoratione antiquæ de Aegypto liberationis populi Dei agebantur, transit ad nouum, quod in suę redemptionis memoria, ecclesiam frequentare volebat, vt scilicet pro carne agni ac sanguine, sui corporis, sanguinisque sacramentum institueret, ipsumque se esse monstraret, cui iurauit Dominus: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Frangit itaque ipse panem, quem discipulis suis porrigit, vt ostendat sui corporis fractionem, nõ absque sua sponte ac procuratione futura, sicut ipse dixit: Potestatem habeo ponendi animam meam: quem scilicet panem, gratia certi sacramenti priusquam frangeret, benedixit. quia naturam humanam quã passurus assumpsit, ipse vnà cum patre & spiritu sancto gratia diuinæ virtutis impleuit. Post cœnam igitur corpus suum tradidit, quia necesse erat priùs pascha typicum consummari, & sic veri & noui paschæ sacramenta substitui. Nos verò pro reuerentia tanti sacramenti priùs reficimur dominicis sacramentis, quàm corporalibus escis. Sequitur: *Accipite*, id est, intelligite, *& comedite*, id est, spiritualiter vobis incorporate. *Hoc est corpus meum*, quod sub specie panis videtis. Tale dedit, quale per naturam erat, videlicet immortale, & impassibile, quia immune erat à peccato. Non esset ei necessarium mori vel pati, nisi quia sic fuit sibi volũtarium. *Et accipiens calicem*, passionem suam præsignantem, gratias egit, in aduersis, & pro aduersis, quæ non pro se, sed pro nobis tulit. *Et dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes.*) Estote meæ passionis repræsentatores, & participes. Ostendit quid quisq; facere debeat, in flagello propriæ culpæ, cùm ipse tam æquanimiter sustulit flagella culpæ alienæ. Quia panis confirmat corpus, & vinum inebriat, & mentem à mundo alienat, trahens ad cœlũ. Ideò Christus hæc duo elegit, quæ in corpus & sanguinem suum conuerterentur, vt ex suis speciebus hoc intelligerent fideles. Vinum verò sanguinem operatur in carne. Mysticè hoc ad corpus Christi, illud refertur ad sanguinẽ. Vnde quia & nos in Christo, & in nobis Christũ manere oportet, vinum dominici calicis aqua miscetur. Attestãte enim Ioanne, aquæ populi sunt, & neq; aquam solam, neq; vinum solum, sicut nec granum frumenti solum sine aquæ cõmixtione & confessione in pane cuiquã licet offerre, ne talis oblatio quasi caput à membris secernendum esse significet, & ibi Christum sine nostræ redemptionis admixtiõe mortem pati potuisse, vel nos sine illius

pasſione ſaluari,ac patri offerri poſſe confingat. Oportet ergo vt nos ei viuamus,& ipſe in nobis maneat,& nos in eo. Quòd autem dicit:

Hic eſt ſanguis noui teſtamenti.)Ad diſtinctionẽ veteris teſtameti dicitur, quod dedicatũ eſt vitulorum & hircorũ ſanguine, qui licèt effunderetur,peccata tamen non remittebat.

Dico autem vobis:Non bibam, id eſt, non delectabor amodò cęremonijs huius populi,in quibus ſacramẽta agni paſchalis præcipua ſunt. Erit enim dies meæ reſurrectionis, cùm ipſe in regno Dei poſitus, id eſt, in gloria vitæ immortalis ſublimatus de ſalute eiuſdem populi ſpirituali gratia renati, nouo vobiſcum gaudio perfruar. Item Auguſtinus vult hoc vetus intelligi eſſe cùm illud nouum dicit. Quia ergo de propagine Adæ, qui vetus homo appellatur,corpus ſuſceperat, quòd in paſsiõe morti traditus erat. Quid aliud nouum vinũ promittit, niſi immortalitatem (quam daturus erat) renouatorũ corporum intelligere debemus. Quòd dicit vobiſcum bibam, etiam ipſis reſurrectionem corporum ad induendam immortalitatem promittit. Vobiſcum enim,non idem tempus, ſed ad innouationem eãdem dictũ accipiendum eſt: quòd aũt dicit de genimine, hoc ſignificat eadem corpora vtiq; reſurrectura, ſecundũ innouationem cœleſtẽ, quæ nunc ſunt moritura ſecundum vetuſtatem. Si aũt vitem, de cuius vetuſtate nunc paſsionis calicẽ bibit, ipſos Iudæos intellexeris, ſignificat etiam ipſam gẽtem ad corpus Chriſti per vitæ nouitatẽ acceſſuram, cum ingreſſa plenitudine gentium,omnis Iſrael ſaluus fiet.

Et hymno dicto, exierunt in montem oliuarum,&c.)Hoc eſt quod in Pſalmo legimus: Edent pauperes & ſaturabuntur,& laudabũt dominum, &c. Poteſt etiam intelligi ille hymnus, quem Dominus ſecundum Ioannẽ patri gratias agens decantabat,in quo pro ſe &diſcipulis ſuis precabatur & creditu ris: & bene diſcipulos ſacramento ſui corporis & ſanguinis refectos, & hymno piæ interceſsionis Deo patri commendatos in montem ducet oliuarum, vt typicè deſignet nos per acceptionem ſacramentorũ ſuorum, per quem opem interceſsionis ſuæ ad altiora virtutũ chariſmata ſanctiſpiritus, quibus in corde purgamur,debere conſcendere.

Tunc dicit illis:Omnes vos ſcandalum patiemini,&c.) Prædicit quod paſſuri ſunt, vt cùm paſsi fuerint, non deſperent ſalutem, ſed agentes pœnitentiam liberentur. Et bene dicit in nocte. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt,ſic qui ſcandalizantur, nocte ſcandalizãtur.

Scriptum eſt enim:Percutiam paſtorem,& diſpergentur oues gregis,&c.)Hoc alijs verbis in Zacharia propheta ſcriptum eſt,& ex perſona Prophetæ ad Deum dicitur: Percute paſtorem,& diſpergentur oues gregis.

Poſtquam autem reſurrexero,&c.) Sicut locum prædixit paſsionis,ſic prędicit locum reſurrectionis,& vt etiam infirmitatem eorũ conſolaretur ſponſione ſui reditus. *Reſpondens autem Petrus ait: Et ſi omnes ſcandalizati,& cætera.*)Non eſt mendacium quod dicit Petrus, nec temeritas, ſed fides & ardens dilectio. In tantum enim Chriſti charitate efferebatur, vt & imbecillitatem carnis ſuæ, & fidem verborum Chriſti non contueretur. *Ait illi Ieſus: Amen dico tibi,& cætera.*) Petrus ex ardore promittit: Chriſtus vt Deus ventura prædicit. Nota quod dicit, antequam gallus cantet, ter ſimpliciter. Solus Marcus dicit, antequam gallus bis cantet. Trina negatio Petri, ſi tota poſt primum galli cantum inciperet, mentiri viderentur tres qui dicunt: Antequàm gallus cantet. Item ſi tota antè, ſuperfluè diceret Marcus, antequam bis cantet. Sed quia ante primum cœpit, attenderunt illi tres, non quando completurus eſſet eam, ſed quanta futura eſſet quandocunque incepta, vel tota in animo Petri perfecta eſt ante primum cantũ,quæ verbis ante primum cœpta, ante ſecũdum peracta eſt. Tantus enim timor mentẽ illius inuaſerat,qui ter negare faceret. Nota etiã quòd Mathæus & Marcus,negationem Petri ſubnectunt, poſtquam Ieſus egreſſus eſt de domo vbi manducauit paſcha. Ioannes & Lucas antequã inde egreſſus eſſet. Sed facilè intelligimus, vel illos recapitulaſſe, vel iſtos præoccupaſſe, niſi magis moneret quòd tam diuerſa nõ modò verba, ſed etiam ſententias Domini præmittunt, quibus permotus Petrus,illam præſumptionẽ proferret moriendi,vt magis cogant intelligi eum expreſſiſſe pręſumptionem ſuam diuerſis locis ad ſermonem Chriſti,& ter illi à Domino eſſe reſponſum, quòd eum ante gallicantũ eſſet negaturus, ſic poſt reſurrectionem ſuam an ſe amaret interrogauit, & ter de paſcendis ouibus præcepit. *Tunc uenit Ieſus cum illis in uillam, quæ dicitur Gethſemani.*) Lucas dicit in montem oliueti. Ioannes trans torrentem Cedron, quod idem eſt, quia Gethſemani locus in quo orauit,eſt ad radicem montis Oliueti,vbi eſt ortus,& vbi etiam eccleſia ædificata eſt. Gethſemani interpretatur vallis pinguium, & nota loca & tempora plena eſſe figuris. Cũ enim dicit in mõte orat, nos ſurſum in oratione cor habere docet. Cùm in valle,& in hac valle pinguium, docet in oratione humilitatem,& æternę dilectionis pinguedinem eſſe ſudandam. Quantũ verò ad ipſam dominicę paſſionis pertinet diſpenſationem, aptè appropinquans dominus morti in valle pinguedinis orauit,quia per vallem humilitatis,&pinguedinem charitatis mortem ſubijt pro nobis. *Et dixit diſcipulis: Sedete,& cætera.*) Fidem diſcipulorum & conſtantiam deuotæ voluntatis acceperat, ſed turbandos illos & diſpergendos præſciebat, quare figuraliter eos in loco iubet ſedere, dum progrederetur orare. Sequitur: *Et aſsumpto Petro & duobus filijs Zebedæi, cœpit contriſtari,& cæt.*) Cœpit

Cœpit contriſtari, vt probaret veritatem aſſumptionis,id eſt,aſſumpti hominis,non timore paſſionis,quia ad hoc venerat,ſed pro ſcãdalo Apoſtolorum,& reiectione Iudæorum,& euerſione Ieruſalem. Et nota quod dicit,cœpit:aliud eſt enim incipere cõtriſtari,aliud triſtari. *Auguſtinus.* Timet Chriſtus, cùm non timeat Petrus. Petrus vt homo vim mortis ignorat. Deus in corpore conſtitutus, fragilitatem carnis exponit, vt eorum qui ſacramẽtum incarnationis obiurgant, impietatem excludere poſsit: qui etiam corpus ſuſcepit, omnia quæ ſunt corporis debuit ſubire. Vnde ſequitur: *Triſtis eſt anima mea uſq; ad mortem.*) Nota quia non mors, ſed tempus mortis in metu eſt,donec Apoſtolos ſua liberet paſsione, per virtutem enim reſurrectiõis,poſteà firmanda erat fides credentium. *Suſtinete hic,& cætera.*) *Hilarius.* Non prohibet eos à ſomno, cùm tempus non erat imminente tanto diſcrimine, ſed potiùs à ſomno infidelitatis & torpore mentis ſecum manere peruigiles admonet. *Et progreſſus puſillum,procidit in faciem ſuam,&c.*) Dato eis præcepto vt ſuſtinerent & vigilarent ſecũ, puſillum progreſſus ruit in faciem, vt humilitatem mentis oſtenderet habitu corporis, & parem humiliationem eos doceret,quibus eadem paſsio imineret.

Orat ergo cùm dicit: Mi pater,ſi poſsibile eſt,vt ſcilicet me non moriente,mors moriatur, vel vt ſine interitu Iudæorum credant gentes. *Tunc tranſeat à me calix iſte,&c.*) Quaſi dicat, tunc paſsionem recuſo:alioquin *fiat uoluntas tua.*)Noſtræ vtitur voce naturæ, & cauſam agit fragilitatis & trepidationis humanæ, vt in his quæ toleranda ſunt & patiẽtia roboretur,& formido tollatur. Non enim pro timore propriæ paſsionis credẽdum eſt prolata eſſe hæc verba, ab eo, qui ad hoc venerat vt pateretur. Vnde ceſſans hoc ipſum excuſato quodammodò noſtræ infirmitatis metu,in quo remanere non expedit, in alium affectum tranſit,& dicit:

Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis.) Auguſtinus. Suam voluntatem dicit, quam temporaliter ex virgine ſumpſit: voluntatem verò eius qui miſit eũ dicit, quàm æternus æternaliter communem cum patre habet.

Tranſeat à me calix iſte.) Hoc non pro timore, ſed pro miſericordia dicit, ne Iudæi, qui excuſationem non habent,ignorantiæ me occidant. Vnde ait, iſte, id eſt, populus Iudæorum, non ſimpliciter calix. Vel,trãſeat calix à me ſimpliciter,id eſt,vt me non moriente,mors moriatur. *Veruntamen,&c.*)Quaſi in ſe reuerſus hoc dicit: *Non ſicut ego uolo,* ſecundum quod homo, *ſed ſicut tu*) Hic docet humanæ voluntati voluntatem Dei præponi. Hominem, quoniam veritatem corporis monſtrabat,æquabat affectu: vt diceret non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Suſcepit volũtatem meam, ſuſcepit triſtitiam meam, qui ſuſcepit carnem meam. Confidenter triſtitiam nomino,qui crucem Chriſti prædico. Sine peccato fuit,& pœnam peccati voluntate ſuſtinuit. Transfigurauit ergo in ſe ſuos, qui nihil aliud vult,quàm pater,cùm dicit: Non ſicut ego volo, & cæt. Sicut & alibi dicit: Saule Saule, quid me perſequeris?

Et venit ad diſcipulos,& inuenit eos dormientes,&c.) Præ nimia triſtitia enim ſomnũ vincere non poterant. *Et dicit Petro: Sic non potuiſtis una hora uigilare mecum? & cæt. Hilarius.* Petrum ideò ſingulariter inter cæteros increpat, quia præ cæteris nunquam ſe ſcandalizaturum promiſſus fuerat. *Vigilate,& orate,ut non intretis in tentationem,&c.*)Nota,quia non dicit,ne tenteminis ſed ne intretis in tentationem, ne ſcilicet à tentatione vincamini & ſuperemini.

Spiritus quidem prõptus eſt, caro autem infirma,&c.) Hilarius. Non vtique hoc de ſe dicit,ad eos enim hic ſermo pertinet,qui ſe ſponderant nunquam negaturos. Illorum enim ſpiritus prõptus erat, ſed caro infirma erat, quia nondum induti erant virtute ex alto. Spiritus ergo promptus erat ad confitẽdum, ſed caro infirma ad tolerandum.

Iterum ſecundò abijt,&c.) Quod eſt dicere: Si non poteſt Niniue,id eſt,gẽtilitas ſaluari, niſi cucurbita aruerit,id eſt,populus Iudęorum, quia priùs eius fuit tabernaculum, fiat voluntas tua, vt me occidat. *Et uenit iterum,* iam vicina negatione, *& inuenit eos dormientes. Erant enim oculi eorum grauati.*) Langueſcebant Apoſtolorum oculi vicina negatione. *Et relictis illis, iterum abijt,& cætera.*) Notandum quia Dominus tribus vicibus orauit, vt & nos à præteritis peccatis veniam,& à præſentibus malis tutelã,& à futuris periculis cautelam oremus, & vt omnẽ orationem ad patrem, & ad filium, & ad ſpiritum ſanctum dirigamus. Item ſicut trina tentatio eſt cupiditatis,ita & timoris:cõcupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorũ,ambitio ſecularis. Timor mortis,timor vilitatis,timor dolorũ:contra quę omnia docet nos debere in oratione muniri. Vnde & propter trinam tentationem paſsionis, poteſt intelligi Dominus oraſſe ter. *Tunc uenit ad diſcipulos ſuos,& dixit eis: Dormite iam,& requieſcite,&c.*) *Auguſtinus.* Mirum eſt,quòmodo iubeat eos dormire & quieſcere,cùm ſubiungat: *Ecce appropinquat hora,&c.*) Et ideò dicat: *Surgite eamus.* Qua repugnantia commoti, qui legunt, conantur ita pronunciare,quod dictum eſt: Dormite iam & requieſcite,tanquam ab exprobrante, non à iubente dictum ſit. Sed ſciendum poſt illa verba Dominum ſiluiſſe,vt fieret quod promiſerat, & pòſt,ſecundum Marcum,intulit. Sufficit, quòd iam requieuiſtis,addiditque:

Ecce appropinquabit qui me tradet. Surgite eamus.) Vltrò ſcilicet nos offeramus, non inueniat nos quaſi timentes & retrahentes, ſed

vltrò

vltrò nos ingerentes, vt confidentiam paſſuri videant. Timentes quidé inuenerat: nunc vt confidentiam & gaudiũ paſſuri videant, inuitat. Hilarius: Quòd primum reuertens obiurgat, ſecundò ſilet, tertiò quieſcere iubet, iſta ratio eſt, quòd primùm poſt reſurrectionem diſperſos eos & diffidentes & trepidos reprehendit. Secundò miſſo ſpiritu paracleto, grauatos ad contuendam Euangelij libertatem oculos viſitauit. Nam aliquandiu legis amore detenti, quodam fidei ſomno ſunt occupati. Tertiò verò, id eſt, in claritatis ſuæ reditu ſecuritati eos & quieti reſtituit. *Adhuc eo loquente, ecce Iudas, &c.*) Ioannes Euangeliſta, poſtquã dicit eum ingreſſum in hortum cum diſcipulis, nõ commemorat quid illic egerit, donec traditor ad eum comprehendendum venit *cum gladijs & fuſtibus.* Stultum eſt cum gladijs quærere eũ, qui vltrò ſe tradidit, & in nocte, per proditorẽ inueſtigare, quaſi latentẽ, quẽ quotidie videbant in templo docentem. Dicit ergo: *Qui autẽ tradidit eum, &c.*) Quemcunq; oſculatus fuero, ipſe eſt. Habet adhuc de verecundia diſcipuli, qui non eum palàm tradidit perſecutoribus, ſed per ſignũ oſculi. Et nota, quia ſigna quæq; viderat ab eo facta, non diuinitùs, ſed magicè facta putabat, & quẽ in monte transformatum audierat, timebat ne tali modo nunc de manibus eorum liberaretur, & ideò ſignum dedit. *Et confeſtim accedens ad Ieſum, ait: Aue Rabbi, & cæt.*) O quàm impudens & ſcelerata confidentia magiſtrum vocare, & oſculũ ei, quem tradebat iungere. Suſcepit aũt oſculum Dominus, non quo ſimulare nos doceat, ſed ne proditionẽ fugere videretur, ſecundum Dauid: Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. *Dixit illi Ieſus: Amice ad quid uenisti?*) Verbum amici per Ironiam dictũ, contrarium habet intellectũ, ſicut & amice quomodo huc intraſti, non habẽs veſtem nuptialẽ. Hoc autem modo callidè, aut per accuſationẽ, aut per inſultationem aliquid dicitur. Et nota, quia qui tradidit, traditus eſt Ieſus ab illo, aduerſus illũ, pro nobis, præter illum. Exulta Chriſtiane, in cõmercio inimicorum tuorum viciſti. Quod Iudas vendidit, & Iudæus emit, tu acquiſiſti. *Et ecce unus ex his, qui erant cum Ieſu, & cætera.*) Petrus, vt Ioannes declarat, eodem nimirum ardore, quo cætera fecerat, ſeruo principis amputauit auriculam, ſciens quomodo Phinees mercedem iuſtitiæ & ſacerdotij acceperit perennis, puniendo ſacrilegos, qui etiam Iudæum cũ Madianita commixtum, per genitalia transforauit. Lucas etiam addit, quòd Dominus auriculam ſerui ſanauerit. Nunquã ergo pietatis ſuæ Dominus obliuiſcitur, qui hoſtem ſuum vulnerari non patitur. Illi iuſto mortem inferunt, iſte perſecutorum vulnera ſanat. Myſticè etiam docens eos, qui in ſuæ mortis cõſenſione vulnus animæ contraxerant, ſalutem poſſe mereri, ſi dignũ pœnitentiæ fructum facerẽt. Seruus principis myſticè populus eſt Iudæorũ, indebitè mancipatus principibus ſacerdotum, qui in Domini paſſione aurem dexteram, id eſt, intelligentiam ſpiritualem perdidit, ſiniſtra, id eſt, nuditate literæ contentus, non Petro tollente, ſed diuino iudicio pandente ablatã, quæ in his qui credere maluerũt, pietate Domini reſtituitur. Vel auris amputata ſignificat auditum, ablata vetuſtate innouatum, vt ſit in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate literæ, quæ cui datur, à Chriſto datur, & cũ eo regnare dicitur. Vnde Malchus bene, id eſt, rex. vel regnaturus dicitur. Quòd ſeruus inuentus eſt, pertinet ad vetuſtatem, quæ in ſeruitute generat, ſed cùm acceſſiſſet ſanitas, figurata eſt libertas.

Nota duos gladios eſſe in Eccleſia, alter materialis, alter ſpiritualis, ſed ſpiritualis nõ niſi volentes, materialis verò etiam cogit nolẽtes. Plures enim gladio, quàm ſtola coguntur in Eccleſia. Sunt & miniſtri ſeculares, à quibus temporalia: & ſpirituales, quibus debent tractari ſpiritualia. Datur ergo materialis gladius carnalibus, ſpiritualis autẽ miniſtris ſpiritualibus. Sed ſicut nõ conuenit regibus, quod ad ſtolam pertinet, ſic nec epiſcopus, quæ regis ſunt, exercere debet. Quod quia Petrus, qui figuram ſpiritualium gerit, materialem gladium quodammodò exercuit, dum auriculam ſerui amputauit, à Domino increpari meruit. Vnde ſubdidit:

Cõuerte gladium tuũ in locum ſuũ, &c.) Quaſi diceret: Ceſſet vindicta, & exhibeatur patientia, vt patientiam noſtros doceamus, non vindictam.

Omnis enim qui accipit gladium, gladio peribit, &c.) Turba aduerſus Dominum gladijs armata proceſſerat, & ipſe recondi gladium præcipit: ſignificans, quia eos non humano, ſed oris ſui gladio eſſet perempturus. Cæterùm ſi ſecundum ſententiam eius omnes gladio vtentes, gladio perimentur, rectè ad necem eorum gladius exercebatur, qui eodẽ vtebantur ad facinus. Vel gladio peribũt, illo ſcilicet, qui igneus vertitur ante paradiſum, id eſt, gladio diuinæ vindictæ, & gladio ſpiritus, id eſt, verbi Dei. *An putas, quia non poſſum, &c.*) Vult dicere, quia non indiget auxilio duodecim Apoſtolorũ, qui poteſt habere, ſi vult, duodecim legiones angelorum, in quibus ſeptuaginta duo millia ſunt, quibus omnium gentium lingua exprimitur. Vna enim legio apud veteres ſex millibus hominum cõputabatur. Sexies duodecim, vel duodecies ſex, ſeptuaginta duo fiunt. Septuaginta verò duo millia angelorũ, quia in tot linguas genus hominũ eſt diuiſum, deſignat omne genus hominum cũ Romano imperio aduerſus ſceleratã gentem Iudæorũ certaturũ. Hi ſunt angeli Dei, qui poſt reſurrectionẽ anno quadrageſimo ſecundo cum Tito & Veſpaſiano perdiderunt, homicidas illos & ciuitates eorũ ſuccederũt. *Quomodo ergo implebuntur ſcripturæ, quia ſic oportet fieri.*)

Promptum

Promptum ad patiẽdum oſtendit animum, qui in ſua paſsione aſſerit dicta Prophetarum. *Tanquàm ad latronem, &c.*) Ac ſi dicat: Stultũ eſt quærere illum cum gladijs, qui vltrò ſe tradit, & in nocte per proditorem inueſtigare, quaſi latentem, qui quotidie in templo docet. Sed ideò in tenebris congregamini, quia poteſtas veſtra eſt in tenebris. *Hoc autem totum factum eſt, ut adimplerentur ſcripturæ Prophetarum.*) Tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt, &c. Quod ſequitur planum eſt. *Tunc diſcipuli relicto eo fugerunt.*) Sicut Petrus, qui negationem abluit lachrymis, & confeſsionem Dei funditùs extirpauit, recuperationem eorum ſignificat, qui in martyrio labuntur. Ita cæteri qui fugerunt, cautelam fugiendi docent eos, qui minùs idonei ſunt in ferendis aduerſis, quibus tutius eſt latẽre, quã ſe diſcrimini committere. Ita etiam adoleſcens, qui ſecundum Marcum, relicta ſindone nudus profugit, illorum opus & animam deſignat, qui vt ſecuriores ſint omnia, quæ in mũdo habent, abijciunt: & Deo potiùs nudi famulari, quàm habendo res mundi, materiã tentandi, & ab eo reuocandi, dare didicerunt, iuxta exemplũ Ioſeph qui relicto adulteræ pallio, maluit Deo ſeruire nudus, quàm indutus meretricis cupiditatibus. *At illi tenentes Ieſum, duxerunt ad Caiphan, & cætera.*) Primùm ductus eſt ad Annã ſocerũ Caiphæ, ſecundum Ioannem. Marcus aũt & Lucas nomen non dicũt Pontificis. De hoc autem Caipha teſtatur Ioſephus, quòd pontificatum ſibi abſque merito dignitatis à principe Romano emiſſet. Non eſt ergo mirum, ſi iniqua, inquit, iudex iniquè iudicat. Conuenit etiã nomen actioni Caiphas, id eſt, inueſtigator vel ſagax ad implẽdam ſuam nequitiam, vel vomens ore, quia impudẽs fuit ad proferendum mendacium, & ad patrandum homicidium. *Petrus autem ſequebatur eum à lõgè, &c.*) Merito longè, qui in proximo erat eum negaturus. Non enim negare poſſet, ſi Chriſto proximus eſſet, ſed in hoc maximè eſt admirandus, quòd Dominum non reliquit, etiam cũ timeret. Quòd enim timet, naturę eſt: quòd ſequitur, deuotionis: quòd negat, abreptionis: ꝙ pœnitet, fidei. Auguſtinus: Significabat verò Eccleſiam ſecuturam quidem, hoc eſt, imitaturã paſſiões Chriſti, ſed lõgè differẽter. Eccleſia enim pro ſe patitur, at ille ꝓ eccleſia. *Et ingreſſus, &c.*) Hoc quidẽ faciebat vel amore iuſtitię, quia erat diſcipulus, vel humana curioſitate cupiẽs ſcire, quid de eo iudicaret Pontifex, vtrũ neci addiceret, an flagellatum dimitteret. Et in hoc nota diuerſitatẽ inter eũ & alios diſcipulos. Illi enim fugerũt: iſte verò, licèt ꝓcul, tamẽ ſequitur Ieſum.

Principes autem ſacerdotum, &c. Nouiſſimè autem venerunt duo falſi teſtes, & cæt.) Falſus teſtis eſt, qui non eodẽ ſenſu dicta intelligit, quo dicũtur. Dominus enim dixerat de tẽplo corporis ſui, ſed in ipſis verbis calũniantur, & paucis additis vel mutatis, quaſi iuſtam inferunt calumniam. Chriſtus quidem dixerat. Soluite templum hoc, hoc iſti commutant & aiunt: Ego diſſoluam hoc templum manufactũ. Vos, inquit, ſoluite, non ego, quia illicitum eſt, vt nobis ipſis mortẽ inferamus. Itẽ Dominus dixerat, & ego reſuſcitabo, quod de animali tẽplo dixerat. Illi venerunt, dicentes illũ dixiſſe, aliud manufactũ ædificabo, vt propriè de templo Iudaico videretur dictum. Aliud enim eſt ædificare, aliud reſuſcitare. *Et ſurgens princeps ſacerdotum, ait illi: Nihil reſpondes? &c.*) Ira præceps & impatiens, non inueniebat locum calumniæ. Motu ergo corporis indicat inſaniam mentis, & prouocat ad reſpondendum, vt qualibet occaſione accuſandi inueniat locum. Ieſus autem non reſpondebat, ſciens, vt Deus, quæcunque reſpondiſſet, torquendum in calumniam: tandem tamen adiuratus, ſi eſſet filius Dei, ipſi principi reſpõdit: qua reſponſione omnia tam dicta, quàm facta eius præcedentia confirmantur, ideoq; admodum neceſſaria. *Dicit illi Ieſus: Tu dixiſti.*) Marcus verò dicit, Ego ſum, quod idem eſt. Sciendum eſt Ieſum vtrunque, ſcilicet & ego ſum, & tu dixiſti, dixiſſe: ſed huic vnum, illi aliud referre ſuffecit. Et nota ſimilem reſponſionem contra Pilatum & Caiphã, vt propria ſententia condemnentur.

Veruntamen dico vobis, amodò videbitis, &c.) Quaſi dicat: Vos me, vt hominem contemnitis, ſed tamẽ per hoc me exaltatum ſuper omnes cœlos videbitis. Litera patet, Veniẽtem in nubibus cœli ad iudicium, vel mirabiliter operantem in ſanctis.

Tunc princeps ſacerdotum ſcidit veſtimẽta ſua, &c.) Quem de ſolio ſacerdotali furor excuſſerat, eundem rabies ad veſtes ſcindendas prouocat, & magno factum eſt hoc myſterio, cũ veſtis Domini nec à militibus eum crucifigentibus ſcindi potuerit. Significatur enim ſacerdotium eorum, pro ſceleribus Pontificum penitùs eſſe ſoluendum. Soliditatem verò Eccleſiæ, quę veſtis eſt ſui redemptoris vſque in finem ſeculi indiſruptam permanere. Et nota, quia mos erat Iudæorum veſtimenta ſcindere, cùm audiebant aliquid blaſphemiæ. *Tunc,* quia ſcilicet illũ blaſphemum putauerunt, *expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt: alij palmas in faciem ei dederunt.*) Impleta eſt hoc loco prophetia, quæ dicit: Dedi maxillas meas alapis, & faciem meam non auerti à conſpuentibus in me. Sed qui tunc eſt cæſus colaphis Iudæorum, cæditur etiã nunc blaſphemijs falſorum Chriſtianorum. Qui tunc eſt conſputus ſaliuis infidelium, nunc etiam exhonoratur atque irritatur veſanis opprobrijs, nomine tenus fidelium.

Auguſtinus.) Qui ei in faciẽ ſpuerunt, ſignificãt eos, qui præſentiã gratiæ eius reſpuũt. Qui colaphis eum cædunt, ſignificat illos, qui honores ſuos ei præferunt. Palmas ei in faciem dant,

qui

qui cæcati perfidia eum non veniſſe affirmant, tanquam præſentiam eius exterminantes & reſpuentes.

Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſsit? &c.) In contumeliam hoc ei dicitur, qui ſe Prophetam haberi voluit à populo. Et ſecundum Marcum, velauerunt faciem eius, non vt ille ſcelera eorum non videat, ſed vt à ſeipſis gratiam cognitionis eius abſcondant, ſicut fuit velamen ſuper faciem Moyſi, quod vſq; hodie manet. Nobis autem credentibus ablatum eſt. Nos enim reuelata facie, &c.

Petrus verò ſedebat foris, &c.) Non appropinquabat Ieſu, ne miniſtris aliqua ſuſpitio naſceretur.

Et acceſsit ad eum vna ancilla dicens: Et tu cum Ieſu Galilæo eras? At ille negauit, &c.) Quia nolens adhuc mori, manifeſtari ſe expauit: Quid eſt, quòd primò prodit eum ancilla, cùm viri magis poterant eum cognoſcere? niſi vt & iſte ſexus peccaſſe in mortem Domini videretur, & per paſsionem Domini redemptus: & ideò mulier prima reſurrectionis myſteria aperit, vel accepit, & mandata cuſtodit: vt veterē præuarications aboleret errorem.

Exeunte autem illo, &c.) Hic Marcus adimplet quod iſte breuitatis cauſa emiſit. Exijt, inquit, foras ante atrium, & gallus cantauit, quo reuerſo in atrium fit negatio. In hac ſecunda negatione à duobus compellitur. Ab ancilla, vt ait Marcus & Matthæus: & ab alio, vt ait Lucas dicens. Et poſt puſillum alius ait: Et tu ex illis es? In hoc puſillo exijt, & reuerſus ſtans ad focum, vt Ioannes ait, iterum negat.

Exeunte autem illo, id eſt, cū exiret, vel exurgeret, vt exiret, animaduertit eum ancilla, & dixit his qui ad ignem erant, quibus Petrus rediens iurat, *Non noui hominem*, id eſt, non ſum eius diſcipulus, in quo etiā ipſum Chriſtū negauit.

Nota etiam, quia primùm ait, neſcio quid dicis. Secundò, cum iuramento negat. Tertiò cœpit deteſtari & iurare, quia non nouiſſet hominem. Perſeuerare quippe in peccato, dat incrementum ſcelerum: & qui minima ſpernit, cadit in maiora.

Et nota etiam, quia ſunt noxia prauorum hominū colloquia, quæ coēgerunt Apoſtolum Petrum inter fideles negare Dominum, vel hominem ſe noſſe, quem inter condiſcipulos Dei filium fuerat confeſſus.

Et continuò gallus cantauit, &c. Beda.) Poſt tertiam negationem ſequitur gallicantus. Et nota ſacramēta rerum per ſtatus temporum. Media nocte negat: gallicantu pœnitet: poſt reſurrectionem ſub luce, quem ter negauerat, ter ſe amare profeſſus eſt: Quia quòd in tenebris obliuionis errauit, ſperatæ iam lucis rememoratiōe correxit, & eiuſdē veræ lucis præſentia, planè totū ſe erexit, & quicquid nutauerat, correxit

Leo.) Ob hoc hæſitare permiſſus eſt, vt in Eccleſiæ principe remedium conſideretur pœnitentiæ, & nemo auderet de ſua virtute confidere, cùm mutabilitatis periculū, nec beatus Petrus potuiſſet euadere. Myſticè gallus aliquis doctor eſt, qui ſomnolentos increpans ait: Euigilate iuſti, & nolite peccare. Quòd Petrus ante primum gallicantum negat, eos ſignificat, qui Chriſtum ante reſurrectionem Deum eſſe non putauerūt, morte eius turbati: quòd bis ante ſecundum gallicantum negat, illos ſignificat, qui nunc in illo ſecundum Deum, vel ſecundū hominem in vtraque ſubſtantia errant, & ideò veritatem negant. Primus gallicantus, eſt Domini reſurrectio in ſeipſo. Secundus autem eiuſdem in corpore Eccleſiæ.

Et recordatus eſt Petrus verbi Ieſu, &c.) In alio Euangeliſta eſt: Reſpexit Dominus Petrum, Ieſus verò, qui inter Pontificale cōcilium ſolo tenebatur corpore, animum trepidantis diſcipuli foris poſiti, vt reſpexit erexit, & ad fletus pœnitentiæ incitauit. Vnde ſequitur:

Et egreſſus foras, vt ſcilicet liberum flendi haberet locum, fleuit amarè. Retentus in atrio Caiphæ, non poterat pœnitentiam agere. Foras ergo egreditur, quatenus ab impiorum conſilio ſegregatus, ſordes pauidæ negatiōis liberiùs ablueret fletibus.

CAPVT XXVII.

MAnè autem facto, &c.) Marcus & Matthæus contexunt narrationē de eis, quæ circa Dominum acta ſunt vſque manè. Sed pòſt redeunt ad narrandam Petri negationem, qua terminata, redeunt iterum ad mane, vt inde cætera contexant. Attende ſollicitudinem ſacerdotum in malo. Tota nocte vigilauerunt, vt homicidium facerent.

Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt eum, &c.) Habebant enim hanc conſuetudinem, vt quem adiudicaſſent morti, ligatum traderent iudici. Attamen notandum, quòd nō tunc primùm ligauerunt, ſed mox comprehenſum eum in horto, vt Ioannes declarat, ligauerunt: & ſic adduxerunt illum ad Annā primùm.

Tunc videns Iudas, qui tradidit eum, &c. Hilarius.) Iudas ſacerdotibus pretium retulit, quaſi eſſet in ſua poteſtate perſecutorum ſentētiam mutare. Itaque licèt voluntatem ſuam mutauerit, tamen voluntatis ſuæ primum exitum non mutauit. Magnitudine enim auaritiæ pondus impietatis excluſit.

Hieronymus.) Nil profuit pœnitentiam egiſſe, per quam ſcelus non potuit corrigere, ſed quando ſic peccat frater in fratrem, vt emendare valeat, quod peccatum poteſt ei dimitti: ſin autem permanent opera, fruſtra voce aſſumitur pœnitentia. Hoc eſt, quod de eodem Iuda dicitur: Et oratio eius fiat in peccatum, vt nō ſolùm emendare nequiuerit nefas proditionis, ſed proprij homicidij ſcelus addiderit ad prius ſcelus.

Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum, &c.) Quantò magis ergo peccauerunt, qui eum emerunt, ſed nequiſsimi ſe emiſſe audiunt, & tamen extra reatum ſe eſſe credunt, & in vendente ſcelus conſtituunt, dicentes: *Quid ad nos, ſubaudis, pertinet? Tu, &c.* Quaſi dicant: Scias quid feciſti. Vel quid ad nos pertinet preciū acceptū? tu illud probaueras, & volueras: tu fac inde quod vis. *Et proiectis in templo argenteis, receſsit, &c.*) Sicut pœnitentia eius infructuoſa, ſic & oblatio eius in tēplo eſt reprobabilis. Finxerat enim quaſi illud offerret, & tali oblatione mundus ab illo peccato foret. *Et abiens, laqueo ſe ſuſpendit.*) Non ſtatim, ſed in die reſurrectionis, vulgata iam & prædicata vbiq; reſurrectione. Hoc autem genus mortis elegit, vt probaret tali mortis genere ſe perosum cœli & terræ. Et nota, quia qui ad mortem peccant, tantam ignorantiam ſui & animi cæcitatem incurrunt, vt nec in ſceleribus ſuis turbentur, nec pœnitentiæ dolore crucientur.

Principes autem ſacerdotū acceptis argēteis dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium ſanguinis eſt, &c.) Væ illis colantibus culicem, & camelum glutientibus. Si enim ideò nō mittunt pecuniam in corbonam, id eſt, in gazophilatium, inter dona Dei: quia pretium ſanguinis eſt, cur ipſe ſanguis effunditur? Et quid, emolumenti habere poterūt apud Deum, ſi agrum ex ipſo pretio emerunt ad peregrinos ſepeliendos? Magnum ſacramentum eſt in factis iniquitatis. Figulus eſt Deus, in manu cuius eſt ex eodem luto vas facere in honorem, vel in cōtumeliam. Ager eius eſt ſeculum, quod vniuerſum pretio Chriſti emitur, vt oēs ei commortui ſepeliantur peregrini, non vtiq; Iſrahelitæ, ſed alieni, qui in pretio ſanguinis Chriſti ſepulti, æternam requiem ſortientur. *Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Ieremiam Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, &c.*) Hoc teſtimonium in Ieremia nō inuenitur, ſed in Zacharia ferè ſecundum ſenſum, non ſecundum verba. Vnde quidam codices non habent per Ieremiam, ſed tantùm per Prophetam. Tamē ſecreto Dei conſilio factum eſt, vt animo Matthæi p Zacharia occurreret Ieremias, quia omnes Prophetæ eodē ſpiritu ſunt locuti, ita vt ſingula ſint omniū, & omnia ſint ſingulorū. Quare ergo Matthæus hoc emēdaret, quod fecerat ſpiritu regente? vt per hoc admoneremur, tantā inter Prophetas eſſe concordiā, vt vni deputetur congruere, quod ab alio dicitur. Vel apud Ieremiā inuenitur de empto agro, ſed nō ſub hoc nomine pretij: apud Zachariā de triginta argenteis, & nihil de emptione agri. Vtrumq; ergo in tēpore Euāgeliſta ad hoc, quod de Domino cōpletum eſt, confert in vnum: triginta argenteos, quod à Zacharia: & agrū emptū, quod eſt à Ieremia. Quod ſubdit, quem appreciauerunt, &c. Apud neutrū inuenitur, ſed ex perſona Euangeliſtæ accipiendum eſt, quia ex Domini hoc reuelatione cognouit. *Hilarius*) Ad hanc rem, quæ de pretio facta eſt, huiuſmodi pertinere prophetiam.

Ieſus autem ſtetit ante præſidem, & interrogauit eum præſes dicens: Tu es rex Iudæorum? Dicit Ieſus: Tu dicis, &c.) Pilato nihil aliud criminis interrogāte, niſi vtrū rex Iudæorum ſit? arguūtur Iudæi impietatis, quod nec falſò quidem inuenire potuerunt, quod obijceret Saluatori. Ieſus verò reſpōſionem ſic temperat, vt & verum diceret, & tamen eius ſermo calumniæ nō pateret: ſed attende, quod Pilato, qui inuitus ferebat ſententiam, aliqua ex parte reſponderit. Sacerdotibus aūt & principibus ſacerdotum reſpōdere noluerit, indignoſq; ſuo ſermone iudicauerit. Et quādo reſpondit diuerſo modo, quàm reſpondiſſet, Pilato reſpondit. Sacerdoti enim quærenti, an ipſe Chriſtus eſſet? dixerat: Tu dixiſti, quaſi de præteritis reſpondens. Hoc ideò, quia lex omnis venturum Chriſtum prædicauerat, & ipſe ſacerdos Chriſtum ex lege dixiſſet. huic verò Pilato legis ignaro interroganti, an ipſe eſſet rex Iudæorum? dicitur: Tu dicis, quia per fidem præſentis confeſsionis, ſalus gentium eſt. Et cùm accuſaretur à principibus ſacerdorum & à ſenioribus, nihil reſpondit.

Hilarius.) Et inimicus quidem eſt, qui cōdemnat Ieſum, ſed cauſam refert in populū Iudæorum. Huic enim nihil reſpōdere voluit, ne crimen diluens dimitteretur, & ita crucis vtilitas differretur. Secundum Lucam duo obiecerant, quòd prohiberet dari tributa Cæſari, & q̄ diceret ſe regem. De regno ergo Pilatus, quia neſcit, interrogat. De tributis non quærit, ideò quia audierat eū reſpondiſſe: Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo. Ieſus verò, quaſi apertum mendacium eorum negligit. Vnde Marcus dicit: Et non erant conuenientia eorum teſtimonia.

Tunc dicit illi Pilatus: Non audis, quanta aduerſus te dicūt teſtimonia? &c.) Ecce quomodo confert cauſam in populum Iudæorum.

Per diem autem ſolēnem, &c.) Non faciebat hoc præſes imperialis legis ſanctiōe, ſed annua gentis conſuetudine, cui per talia gaudebat placere. Habebat autem tunc vinctum quēdam inſignem, id eſt, in malitia nominatum, qui dicitur Barrabas. Iſte in Euangelio quod ſcribitur iuxta Hebræos filius magiſtri vel patris eorum interpretatur, ipſe eſt Antichriſtus, quem illi præferunt Chriſto, quibus dicitur: Vos ex patre diabolo eſtis. Pilatus verò qui os malleatoris dicitur, diabolum ſignificat, qui eſt malleus vniuerſæ miſeriæ, per quem dominus vaſa probari permittit, & ad vltimum conterit, quando in extrema dānatione cōfringit. Nota quòd dicit Ieſum qui dicitur Chriſtus, quod Marcus

dicit regem Iudæorum, quorum reges Christi vocabantur.

Sciebat enim quòd per inuidiam eum tradidissent, &c.) Quæ esset ipsa inuidia, Ioannes declarat, dicens: Ecce totus mundus post eum abijt, si dimittimus eum sic, oẽs credent in eum.

Sedente autem illo pro tribunali, & cæt.) Nota quòd tribunal est iudicum sedes, Solium regum, cathedra magistrorum.

Multa enim passa sum, &c.) Nota quòd gẽtilibus sæpè à Domino somnia reuelãtur, quod in Pilato & vxore eius iustum dominum confitentibus, gentilis populi testimonium sit. Hoc enim vxor gentilis viri in visionibus intelligit, quod Iudęi vigilantes credere noluerũt. Et nota quia nunc demùm diabolus intelligens per Christum se spolia sua amissurum, sicut primùm per mulierem mortem intulerat, ita modò per mulierem vult Christum de manu Iudęorũ liberare, ne per mortem eius, mortis amittat imperium. *Principes sacerdotum, &c.*) Egressa est iniquitas de senibus & iudicibus populi. Data enim optione de Iesu & latrone, pro Iesu latronem, pro saluatore interfectorem, pro filio Dei petũt filium diaboli, vt iste liberetur, ille scilicet Dei filius damnetur. Quæ sua petitio vsque hodie hæret eis, amissa gente & loco & libertate: quia datorem libertatis maluerunt perdere, quàm gentem & locum amittere. *Dicit illis Pilatus: Quid ergo faciam de Iesu? Dicunt omnes: Crucifigatur. Dicit eis præses: Quid enim mali fecit?*) *Hilarius.* Multas liberandi Iesum dedit occasiones Pilatus, primùm latronem iusto conferens, deinde inferens: Quid ergò faciam de Iesu? & cùm respondissent, crucifige, non statim acquieuit, sed iuxta suggestionem vxoris, quæ mandauerat, nihil tibi, & iusto illi, ipse quoque respondens ait: Quid enim mali fecit? Quo dicto, Pilatus absoluit Iesum. At illi, quantò magis videbant, quia Pilatus vellet eum liberare, tãtò magis clamabant, crucifigatur, & inualescebãt voces eorum, vt adimpleretur quod dictum est, & cæt. Expectaui vt facerent iudicium, & fecerunt iniquitatem, & non iustitiam, sed clamorem.

Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, lauit manus suas coram populo, &c.) Manus quidem lauit, vt in ablutione manuum mysticè gentilium opera præfigurarentur, & ab impietate Iudæorum, qui clamauerunt crucifige, nos gentiles alienos faceret, quodammodò contestans & dicens: Ego quidem volui innocentem liberare, sed quoniam seditio oritur, & per rebelliones mihi crimen contra Cæsarem impingitur.

Innocens ego sum à sanguine huius, &c.) Iudex qui cogitur cõtra Christum ferre sententiam, non damnat oblatum, sed arguit offerẽtes, iustum esse pronuncians, qui crucifigendus est, sed nunquid iudicem Deum fallebat? Quod fecit Pilatus in eo ipso, quod aliquantulum particeps fuit, quia si vellet, bene eum eripere posset, sed in comparatione eorum multò ipse innocentior fuit.

Tunc respondens vniuersus populus dixit: Sanguis eius super nos, & super filios nostros, & cæt.) Perseuerat vsque hodie hæc imprecatio super Iudæos, & sanguis Christi nõ auertur ab eis. Vnde Isaias: Si leuaueritis manus vestras ad me, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Optimam hæreditatem reliquerunt Iudæi filijs, dicentes: Sanguis eius super nos, & super filios nostros, & cæt.

Tunc dimisit eis Barrabam, Iesum autem flagellatum tradidit eis vt crucifigeretur.) Latro seditiosus, & homicidiorum plenus, & auctor, dimissus est populo Iudæorum, id est, diabolus, qui iam olim ob superbiam à patria lucis expulsus, & in tenebrarum carcerem fuit missus: & ideò pacem Iudæi habere non possunt, quia seditionum principem eligere maluerunt. Vel, Barrabas typum gerit Antichristi.

Iesum verò flagellatum tradidit eis.) Iesus flagellatus, non ab alio quàm ab ipso Pilato intelligendum est, quod quidem ideò fecisse credendus est, vt Iudæi satiati pœnis eius, & opprobrijs mortem eius vltrà non sentirent, & vt etiam Romanis legibus seruirent, quæ crucifigendum priùs iubent flagellari. Mysticè autem hoc factum est, quia scriptum erat: Multa flagella peccatoris, vt illo flagellato, nos à verberibus liberaremur, dicente scriptura: Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Tunc milites præsidis, &c.) Milites quidẽ, quia rex Iudæorum fuerat appellatus: & hoc ei sacerdotes crimen obiecerant, quod sibi in populo Israhelitico vsurparet imperium: illudentes hoc faciũt, vt nudatum pristinis vestibus induant purpura, qua reges veteres vtebantur, & pro diademate, ponunt ei spineam coronam, pro sceptro regali dant calamũ, & adorant quasi regem. Nos autem & hæc omnia intelligamus mysticè. Quomodo enim Caiphas dixit, oportet vnum hominem mori, &c. Nesciens quid diceret. Sic isti quæcunq; fecerunt, ignorant, licèt alia mente, tamen nobis qui credidimus, sacramenta tribuebant. Per chlamydem enim quam Marcus dicit esse purpuream, Christi caro passionibus obiecta insinuatur. Vnde Propheta: Quare ergo rubrum est indumẽtum tuum? &c. In spinea corona nostrorum susceptio peccatorum, quæ per spinas notantur. Vnde Dominus prothoplasto dixit in peccato lapso: Terra tua germinabit tibi spinas & tribulos, hoc est, cõscientia tua punctiones aculeosq; vitiorũ procreabit. Iuxta Lucã ab Herode veste alba induitur, in quo innocẽtia & castitas assũptę humanitatis, & gloria

& gloria regni immortalis quam per passionem accepit designantur: vel induitur purpura, id est, sanctis martyribus, alba veste in alijs sanctis. Quia verò solet fieri scriptura calamo, calamo caput Christi percutiunt, qui diuinitati eius contradicentes errorem suum auctoritate sacræ scripturæ confirmare conantur. Aliter: In arundine earundem gentium infirmitas atq; inanitas cõpressa signatur, quin etiam capiti eius induitur. Capiti enim de ictu arundinis non est grãdis iniuria, sed typica inest illic significatio, vt scilicet infirmitas gẽtilium corporum Christi ante manu comprehensa, etiam in Deum patrem, qui caput eius est, acquiescat. Spuunt in faciem eius, qui præsentiã gratiæ illius verbis execrandis respuunt, & Iesum in carne veniſſe denegant. Et sicut illi falsò & malo animo adorabant, ita sunt hodie qui eũ credunt, sed peruersis actibus verba eius quasi fabulosa despiciunt, & promissa regni vilipendunt. In suis vestibus non illuditur, sed in his quæ propter peccata nostra portauit. *Hilarius.*) Cùm crucifigitur, suum recipit ornamentum, statimq; elementa turbãtur, & creatori testimonium dat creatura.

Exeuntes autem inuenerunt hominẽ Cyrenæum, &c.) Cauendum est, ne videatur contrarium quod Ioãnes scribit, ipsum Dominum crucem baiulasse. Cæteri verò Euãgelistæ, hunc Simonem Cyrenæũ eam referunt portasse. Sed intelligitur quòd ipse primum sibi portauit crucem, cùm exiret in locum memoratũ, Simon in via angariatus est, vt portaret, ita vtrunq; factum inuenitur: primò id quod Ioãnes dicit, demùm quod reliqui tres. Et hoc satis congruo ordine mysterij, quia Christus passus est, p nobis, relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius. Et quia Simon iste nõ Israelita, sed Cyrenæus esse perhibetur, à Cyrene, quæ est ciuitas Lybiæ, rectè designantur per eũ populi gentiũ, qui quondam peregrini & hospites testamentorũ nũc obediendo ciues sunt, & domestici Dei. Vnde & aptè Simon obediens interpretatur. Cyrene verò hæres, qui Simon de villa venit, id est, de gentilitate. Villa enim latinè, pagos dicitur græcè. Vnde Pagani qui à ciuitate Dei priùs alieni, relictis paganis retibus, passionis vestigia imitantur: vel in domino figurantur illi, qui spontè portant crucem domini: In Simone qui inuiti. *Et uenerunt in locũ qui dicitur Golgata*, quod Syrũ interpretatur Caluariæ. Extra vrbem quædam loca sunt, in quibus truncantur capita damnatorum & Caluariæ, id est, decaluatorum nomen sumpserunt. Ideò etiam ibi crucifixus est dominus, vt vbi priùs erat area damnatorum, ibi erigerentur vexilla martyrij, & quomodo pro nobis maledictum crucis factus est, flagellatus & crucifixus, sic pro mundi salute, quasi noxius inter noxios crucifigeretur. Si quis autem dicere voluerit, ibi ideò dominum crucifixum, vt sanguis ipsius super Adæ tumulum stillaret, interrogemus eum, quare & alij latrones in eodem loco crucifixi sunt? Ex quo apparet Caluariam non sepulchrum primi hominis, sed locum significare decollatorum, vt vbi abundauit peccatum, superabundaret gratia Dei. Adam verò sepultum iuxta Hebron legimus in libro Iesu Naue.

Et dederunt ei vinum cum felle mixtum, & cùm gustasset, &c.) Populus enim Iudaicus erat vitis aliena in amaritudinem conuersa, sed quod ait Marcus, vinum myrrhatum, intelligendum est Matthæum dixisse cum felle mixtum, fel pro amaritudine ponẽdo. Myrrha enim amarissima res est, quanquam fieri possit vt fel & myrrha vinum facerent amarissimum. Quòd autem ait, & cùm gustasset, noluit bibere. Hoc indicat quod gustauerit quidem mortem amaram pro nobis, sed tertia die resurrexit.

Augustinus.) Quòd Marcus ait, non accepit: intelligitur, non accepit vt biberet, gustauit autem, sicut Matthæus est testis. *Postquam autem crucifixerunt eum, diuiserunt uestimenta eius, sortem mittentes,*) Hoc Ioannes plenius dicit, quia scilicet milites in quatuor partes iuxta suum numerum diuidentes, de tunica quæ inconsutilis erat, miserunt sortem. Et quadripartita vestis, quadripartitam eius significauit ecclesiam, in quatuor mundi partibus diffusam. Tunica verò non scissa sed sortita, omnium ecclesiæ partium significat vnitatem, quæ charitatis vinculo continetur. Illi etiam sententiæ, qua diximus quadripartita veste, significari ecclesiam in quatuor mundi partibus diffusam, lignum crucis quadrifidæ videtur conuenire: qua cruce quadrifida videtur amplecti quatuor mundi climata. Sed sic etiam diligenter attendamus, huic cruci quadrifidæ videtur Apostolica conuenire sententia, quæ dicit: Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas & profundum. Latitudo enim crucis, vbi in transuerso scilicet ligno manus infiguntur, hilaritatem significat operantis. Per manus enim opera, per latitudinem operantis, habemus hilaritatem. Tristitia enim facit angustias. Per altitudinem vero cui caput adiungitur, expectatio retributionis de sublimi iustitia Dei intelligitur, qui reddet vnicuique secundum opera sua. Longitudo, qua totum corpus extenditur, ipsam significat tolerantiam, vnde longanimes dicuntur qui tolerant. Profundum verò quod terræ infixum est, secretũ sacramenti præfigurat.

Et sedentes seruabant eum.) Diligentia sacerdotum & militum nobis proficit. Per eam enim maior & apertior virtus resurgentis apparuit.

Et posuerunt super caput eius causam ipsius scriptam, hic est Iesus Nazarenus rex Iudæorum.) Titulus superpositus planè ostendit, quia nec occidendo efficere potuerunt, vt

eum regẽ non haberẽt, qui poteſtate manifeſtiſſima redditurus eſt eis ſecũdum opera ſua. Vnde in Pſalmo: Ego aũt cõſtitutus ſum rex ab eo, & bene quidem rex, quia rex ſimul & pontifex eſt, cùm patri eximiã carnis ſui hoſtiam in altari crucis obtulerit, per quod nos ſaluauit. Vnde bene Ieſus apponitur, & hic quod ibi apponitur, aduerbium poteſt intelligi, quaſi diceret: Dicatur hic rex, id eſt, in hoc loco ita crucifixus, ita mortuus eſt ipſe rex, ipſe Ieſus, ipſe ſaluator & redẽptor. Poteſt tamen & pronominaliter legi.

Tũc crucifixi ſunt cũ eo duo latrones, &c.) Latrones qui cum Domino ſunt crucifixi, hinc inde, ſignificant eos qui vel agonem martyrij Chriſti, vel quælibet cõtinentiæ acrioris præcepta ſubeunt, ſed quicunq; hoc pro æterna ſolũ cœleſtiq; gloria quærunt vel gerunt, hi profectò dextri latronis meritò & fide ſignantur, ſed qui ſiue humanę laudis intuitu, ſiue qualibet minùs digna intentione mundo abrenunciant, iure blaſphematoris ac ſiniſtri latronis mentem imitãtur & actus, de talibus dicit Apoſtolus: Si tradidero corpus meum, &c.

Prætereuntes autem blaſphemabant, &c.) Blaſphemant qui prætergrediuntur viam, & in vero itinere ſcripturarum nolunt greſſus figere, & mouent capita, vt ſignificent illos tota mente, tota affectione ad malũ mobiles eſſe, & dicunt:

Vach qui deſtruis templum Dei, & in triduo reædificas illud, &c.) Idipſum inſultando clamat fatuus populus, quod falſi teſtes qui crucifixerant, in quo magis comprobatur mobilitas mentis, ſignificata motione capitis. *Si filius Dei es, deſcende de cruce.*) Si tunc inſultantibus cedens de cruce deſcenderet, patientiæ virtutem nobis non demonſtraret, ſed paululum expectauit, opprobria tolerauit, deriſiones ſuſtinuit, & qui de cruce deſcendere noluit, de ſepulchro ſurrexit. Plus enim fuit de ſepulchro reſurgere, quàm de cruce deſcendere. Plus fuit mortem reſurgendo deſtruere, quàm vitam deſcendendo conſeruare. *Similiter & principes ſacerdotum dicebant: Alios ſaluos fecit, & cætera*) *Hilarius.* Etiam nolentes confitentur quod verum eſt, propriaque damnantur ſententia. qui enim alios ſaluauit, ſe vtique ſi vellet ſaluare poſſet, ſed minus nolebat vt faceret maius. Sequitur: *Si rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credemus ei, &c.*) Quàm fraudulenta promiſsio. Maius fecit reſurgendo de ſepulchro, & tamen non crediderunt. Sed dæmones hoc eis immiſerunt, qui vellent vt deſcenderet, ſtatim enim crucis virtutem ſenſerunt, & vires ſuas confractas. Permanet ergo Dominus vt diabolum prorſus deſtruat, & ſpolia ſua ei auferat.

Idipſum & latrones qui cum eo, & cæt.) Auguſtinus.) Quomodo qui cum eo crucifixi erant, conuitiabantur ei, cùm vnus eorum tantùm conuitiatus ſit, ſecundum Lucæ teſtimonium. Alter verò conuitiantem compeſcũerit? ſed pro breuitate numerus pluralis pro ſingulari ponitur, ſicut in Epiſtola ad Hebræos: Obturauerunt ora leonum, cùm de ſolo Daniele intelligatur. ſecti ſunt, de ſolo Iſaia: quod verò Luca teſtante, alter ait: *Si tu es Chriſtus, ſaluum fac te & nos.*) Alter verò redarguens illud, dominum fideli ſupplicatione precatur, dicens: *Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum.*) Vſq; hodie geri in eccleſia videmus, cùm veri ſimul & falſi Chriſtiani, mundanis afflictionibus tacti, illi quidem qui ficta mente dominicæ paſſionis ſacramenta guſtarint, ad præſentis vitæ gaudia liberari cupiunt à domino. At qui ſimplici intentione cum Apoſtolo gloriantur in dominica cruce, ita potiùs à præſentibus ærumnis optant erui, vt etiam ſpiritum ſuum commendent in manu ſui creatoris, vnaq; cum ipſo deſiderent eſſe participes regni cœleſtis. Vnde bene ille qui dubia fide dominum deprecabatur, prorſus eſt à domino contemptus, nec vlla reſponſione dignus habitus. At verò preces illius, qui ab eo ſalutem quærebat æternam, pia exauditiõe dominus dignatus eſt ſuſcipere. *Hilarius:* Poteſt & in duobus latronibus vterq; populus Iudæorum & gẽtilium deſignari. Primùm enim vterq; populus dominum blaſphemauit, quando pariter Iudæi & gentes in mortem Domini conſenſerũt. Poſteà verò ſignorum magnitudine alter exterritus egit pœnitentiam, & vſq; hodie Iudæos increpat blaſphemantes. *A ſexta autẽ hora tenebræ factæ ſunt, &c.*) Qui ſcripſerunt contra Euangelium, ſuſpicantur diſcipulum Chriſti ob imperitiã dixiſſe, Hoc pro eccliſi ſolis, quæ certis ſtatutisque temporibus ſolet accidere, defectus enim ſolis nunquam niſi ortu lunæ ſolet fieri. Nulli autem dubium eſt Paſchę tempore lunam fuiſſe pleniſsimam. Et ne fortè videretur lunæ vel orbis vmbra ſoli oppoſita, breues & quaſi ferrugineas feciſſe tenebras, trium horarum ponitur ſpacium, vt omnis cauſantiũ occaſio tolleretur. Et hoc factum eſt vt compleretur prophetia dicens: Occumbet ſol in meridie, & tenebrabitur in die lux. Et alio loco: Occubuit ſol cùm adhuc eſſet meridies. Videtur etiã mihi ſol radios ſuos retraxiſſe, ne videret ſuum dominum pendentẽ in cruce, aut ne impij blaſphemantes, fruerentur ſua luce.

Et notandũ quod dicit ſexta hora, hoc eſt, receſſuro ſole à centro mundi, crucifixus eſt. Diluculo autem, id eſt, oriẽte iam ſole, celebrabãtur myſteria reſurrectionis ſuæ. Statu enim tempore deſignauit, quod effectu operis exhibuit, quia mortuus eſt propter peccata noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Ideò quidem ſexta hora paſſus eſt, nam circa horam illam Adam peccator factus eſt. Vnde ſcriptum eſt, quòd audierit vocem Dei ambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem. Poſt meridiem nanque, inclinata iam fidei luce.

Ad

Ad auram verò refrigeſcẽte charitatis feruore, deambulãs autem audiebatur, quia ab homine iam peccante receſſerat. Ratio igitur, imò diuinæ pietatis ordo exigebat, vt eodem temporis articulo, quo tunc Adæ præuaricãti ianuam paradiſi occluſerat, nunc latroni pœnitenti reſeraret: & qua hora primus Adam peccãdo mortem inuexit mundo, eadem ſecundus Adam mortem deſtrueret moriendo. Quòd verò Marcus dicit, hora tertia crucifixum eſſe Dominũ, cùm tamen Ioannes dicat Pilatum ſediſſe pro tribunali quaſi hora ſexta, in loco qui dicitur licoſtros, ideò actum eſt, vt Iudæos qui ſe excuſant, magis oſtendat linguis crucifixiſſe Dominum, quàm milites, quorũ manibus factum eſt, quod Iudæi clamauerunt, vt hora tertia crucifigeretur. Quando enim crucifixus eſt, erat hora quaſi ſexta.

Et circa horam nonam clamauit Ieſus voce magna dicens: Heli, &c.) Humana natura propter peccatũ adeò fuerat derelicta, ſed quia filius Dei factus eſt noſter aduocatus, & cauſidicus, ideò quorum ſuſcepit naturam, eorũ deplorat & miſeriam, in quo oſtendit, quãtum flere debeant qui peccãt, quando ſic fleuit qui nũquam peccauit. Et nota quia cùm inclinata eſt dies ad veſperam, & tepefactus eſt ſol à feruore, paſsionem conſumat, oſtendens ſe propter peccata noſtra mori, quibus à diuina luce, & dilectione in hanc incidimus noctem. Manè reſurrexit, docens reſuſcitatos in anima, ſe eſſe perducturum in lucem æternæ fœlicitatis.

Quidam autem illic ſtãtes, &c.) Hilarius. Non omnes, ſed quidam quos reor milites fuiſſe Romanos, non intelligentes proprietatẽ Hebraici ſermonis. Si autem aliquos Iudæos intelligis, bonum eſt & hoc: ſolito enim more agunt, vt Dominum imbecillitate infament, qui Heliæ auxilium deprecetur, reputãtes eum minorem Helia.

Et continuò vnus ex eis, &c.) Quare acetum ſit ei datum, Ioannes oſtendit dicens: Sciẽs Ieſus quia iam omnia conſummata ſunt, vt hoc impleretur. In ſiti mea potauerunt me aceto. Et alibi: Sitio. Iudæi erant acetum degenerantes à vino Prophetarum & Patriarcharum, tanquam de pleno vaſe de iniquitate huius mũdi impleti, cor habentes velut ſpongiam quodammodò cauernoſum, atque tortuoſis latibulis fraudulentum. Spongia herba dicitur eſſe vacua & cauernoſa. Hyſopus quàm circumpoſuerunt humilis herba, ſed pectus purgãs humilitatẽ Chriſti ſignificat. Spongiam verò hyſopo circumponunt, quia humilitatem Chriſti circundederũt, & ſe circumueniſſe putauerunt. Arundo ſignificat ſcripturam quæ hoc facto implebatur. Impo nunt ergo ſpongiam arundini, id eſt, euentum rei præmiſſæ adiungunt prophetiæ.

Ieſus autem clamans voce magna, emiſit ſpiritum.) Lucas apertè deſignat dicens: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meũ, & hoc inquit, dicens expirauit. Quòd verò Ioãnes ait, quia cùm accepiſſet acetum, dixit: Conſummatum eſt. & inclinato capite emiſit ſpiritũ. Inter illud quod dixit: conſummatum eſt: & illud inclinato capite emiſit ſpiritum, vox magna illa emiſſa eſt, quod tacuit Ioannes, cæteri verò tres commemorauerunt.

Hilarius.) Diuinæ poteſtatis eſt indicium emittere ſpiritũ, ſicut ipſe ait: Nemo poteſt tollere à me animam meam, ſed ego pono eam, & iterum accipiam.

Et ecce velum tẽpli ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo vſque deorſum.) Ioſephus refert angelicas virtutes quondam templo præſidẽtes conclamaſſe: Tranſeamus ab his ſedibus. Iuxta verò Anagogem, velum templi ſcinditur, vt archa teſtamenti & omnia legis ſacramenta quæ tegebantur appareant, atque ad populum nationum tranſeant. Velum quod dicebatur exterius ſciſſum eſt, quia nunc ex parte videmus: cùm autem venerit quod perfectum eſt, tunc velum interius diſrumpetur, vt omnia quæ ſunt nobis abſcõdita videamus. Et vide quod dicitur ſciſſum in duas partes, ante enim dictum fuerat: Notus in Iudæa Deus in Iſrael, magnum nomen eius. Et in Euangelio: In viam gẽtium ne abieritis. Poſt paſsionem ſuam inquit: Euntes docete omnes gentes, tam Iudæos quàm gentiles. In duas etiã partes, id eſt, in nouum & vetus teſtamentum. Sequitur:

A ſummo vſque deorſum.) Quod poteſt dici ab initio mundi, quando eſt conditus homo, vſque ad conſummationem ſeculi, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, omnia ſuum creatorem crucifixum demonſtrant. Terra mouetur, Dominum pendentem ferre non ſuſtinens. Myſticè corda terrenorum per paſsionẽ Chriſti in melius mutantur: petrę ſciſſæ, quia duritia Iudaica ex parte erat emollienda. Vel ideò ſciſſæ ſunt petrę, vt indicarent duritiam Iudęorum, qui patiente Chriſto compuncti non ſunt, nec emolliti, cùm etiam lapides quodammodò viderentur cõpuncti. Vel petræ, id eſt, corda gentilium, vel vaticinia prophetarum, qui petræ dicuntur, à petra Chriſto, vt quidquid eis in duro legis velamine clauſum erat, ſciſſum gentibus pateret. Sequitur: *Monumenta aperta ſunt*, in ſignũ ſcilicet futuræ reſurrectionis. *Et multa ſanctorum corpora qui dormierant, ſurrexerunt*, non tamen antequam Dominus reſurgeret, vt ipſe Dominus eſſet primogenitus ex mortuis. *Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, uenerunt in ſanctam ciuitatem Ieruſalem.*) Scilicet terrenam, quæ ſancta dicebatur propter cultum vnius Dei, vel in Ieruſalem cœleſtem. Qui enim reſurgente Domino reſurrexerunt, Beda teſtante, etiamcum illo aſcendente ſimul aſcendiſſe credendi ſunt.

Nec vlla ratione illorum temeritati fides accommodanda est, qui postea illos reuersos in cinerē dicūt. Quod verò dicitur: & apparuerūt multis, ostēditur nō fuisse illa resurrectio generalis, quę omnibus appareret, si generalis esset: sed specialis fuit ad plurimos, vt hi videāt qui digni erant.

Centurio autem & qui cum eo erant, &c.) Quàm cæci Iudæi, qui nec tot miraculis credūt, dum Centurionem credere cōspiciunt. In Centurione fides ecclesiæ designatur, quæ velo cœlestium mysteriorum per Domini mortem reserato, Iesum Dei filium tacente synagoga confirmat. Et notandum quod Centurio ante crucem in ipso scandalo passionis verè filium Dei confitetur, Arrius verò prædicabat in ecclesia creaturam.

Erant autem ibi multæ mulieres à longè, quæ secutæ erant dominum à Galilæa, &c.) Consuetudinis erat Iudaicæ, nec reputabatur in culpam, vt mulieres de sua substātia victum atque vestitum præceptoribus suis ministrarent. Hoc tamen quia scandalum facere poterat in nationibus, se non fecisse commemorat Apostolus, dicens: Nunquid non habemus potestatem circumducendi mulieres, sorores. Sed videamus quales mulieres, comites habuerit Christus. Mariam scilicet Magdalenā, à qua septem dæmonia eiecerat, & Mariam sororem matris suæ, matrē scilicet Iacobi & Ioseph materteram suam, & alias quas in alijs legimus Euangeliſtis. Sed quomodò eadem Maria Magdalene à longe stetisse dicitur, secundum Matthæum & Lucam, & iuxta crucem fuisse secundum Ioannem? nisi quia in tanto interuallo erant, vt & iuxta dici possent: quia in conspectu eius præstò aderant, & à longe in comparatione turbæ propè stantis. Possumus etiam dicere, quòd illæ, quæ erant cum Maria matre Domini, postquā commendauerat eam discipulo, abire iam cœperāt, vt à densitate turbæ se eriperent, & quæ fiebant, à longe viderent.

Cùm serò autem factum esset, venit quidā dives ab Arimathia, & cæt.) Hieronymus. Arimathia ipsa est Ciuitas ramatha Helcanæ & Samuelis in regione Taurica, iuxta Ospolim. Et nota, quia iste Ioseph magnæ quidem dignitatis fuit ad seculum, sed maioris apud Deum. Talem nanq; esse decebat eum, qui corpus Domini sepeliret, qui & per iustitiam meritorum tali ministerio dignus esset, & per nobilitatem potentiæ secularis, facultatem ministrandi haberet. Si enim quilibet pauper, aut ignotus esset, ad præsidem pro petendo corpore non auderet accedere.

Et nota, in hoc extremo seruitio corpori Iesu exhibendo, minùs curasse de Iudæis, quamuis priùs occultus Christi discipulus soleret in Domino audiendo eorum inimicitias deuitare.

Tunc iussit Pilatus illi reddi corpus, &c.) Ecce hic notatur, quantæ dignitatis erat Ioseph ad seculum.

Et accepto corpore Ioseph, &c.) Ecce quā ti meriti apud Dominum. Et nota in simplici sepultura Domini, ambitionem diuitum damnari, qui nec in tumulis carere possunt diuitijs. Nō enim fuit tibi aurum, nec gemma, nec sericū, sed linteamen purum & mundum. Hinc etiā Ecclesia consueuit, vt sacrificium altaris non in serico pāno nec tincto, sed in lino terreno celebretur. Iuxta quod in gestis pontificalibus à beato Papa Syluestro legimus esse statutū. Mysticè tamē Iesum sindone munda inuoluit, qui eum pura mente suscipit. Sequitur: *Et posuit illud in monūmento suo nouo, &c.*) Nouo Ideò, quia si in monumēto, vbi alius esset positus, poneretur, alius forsitan surrexisse fingeretur. Ideò in Petra, ne si ex multis lapidibus esset ædificatum, suffossis tumuli fundamentis, ablatus furto diceretur.

Beda.) Fuerunt qui monumentum ipsum corporeis viderunt oculis, quòd domus fuerit rotunda, de subiecta rupe excisa, tantæ altitudinis, vt intrò consistens homo, vix manu extensa culmen possit attingere, quæ habet introitū ab oriente, cui lapis ille magnus aduolutus est, *in* cuius monumenti parte aquilonari sepulchrum ipsum, id est, locus dominici corporis de eadem petra factus est, septem habens pedes longitudinis, trium verò palmarum mensura, cætero pauimento altius eminens, qui scilicet locus non desuper sed à latere meridiano per totum patulus est, vnde corpus inferebant. Color aūt eiusdem monumenti ac loculi rubicundo, & albo dicitur esse permixtus.

Et aduoluunt saxum magnum ad ostium monumenti, &c.) Saxum magnū ideo aduoluerunt, vt non absque auxilio plurimorum posset reserari sepulchri ostium. Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, sedentes contra sepulchrum.

Beda.) Notis Iesu post depositum corpus ad sua remeātibus, solæ mulieres, quę arctius amabant obsequiū funeris inspiciebant, expectantes quod promiserat Iesus. & ideò primę viderunt resurrectionem.

Mysticè quidē sanctæ mulieres die parasceue, id est, præparationis idem faciunt, cū animæ humiles, quò maioris sunt cōscię fragilitatis, eò maiori Christi amore feruentes, passionis eius vestigijs inhærentes in hoc seculo, quo futura requies præparanda est, diligenter obsequuntur: & si fortè valeāt imitari pia curiositate, quo ordine sit eadem passio completa perpendunt. Altera autem die, quæ est post parasceue. Parasceue dicitur præparatio. Hoc nomine vocatur sexta sabbati, in qua præparabant neeessaria sabbato, vt & de manu dictum est: sexta die colligetis duplū, quia sexta die homo factus est, & in septima die requieuit Deus ab omni opere suo.

suo. Ideò sexta die Iesus pro homine moritur. Vnde & dixit consummatum est. Et sexta die pro redemptione mundi opus expletum est, & in sabbato quieuit in sepulchro, ita & nos in hac sexta ætate pro Domino pati debem⁹: in septima, quæ est mortuorum, in secreto paschæ quiescere, donec veniat octaua resurrectionis.

In Genesi etiam septima dies habere vesperam non legitur, quia in illo seculo requies animarum nullo mœrore consumitur, sed gaudiū futuræ resurrectionis augetur. Dicunt etiam de illa die, quam dies sabbati sequebatur fuisse parasceue paschæ Iudæorū, quod ab eodē iam inciperent azima, sed tamen verum pascha, quod in passione Domini gerebatur, parasceue nō Iudæorū, sed Christianorum præparari cœpisset, & parasceue dicūt haberi ab hora noctis nona, in qua Dominus à Iudæis occidendus præparabatur. Parasceue enim, vt diximus, dicitur prępa ratio. Ab illa ergo hora noctis, qua in domo Annæ & Caiphæ fuit, vsq; ad eius crucifixionē, hora parasceue sexta, secundū Ioannē, & hora diei tertia, secundū Marcum conuenienter intelligimus, cœpisse parasceue nostri paschæ, id est, præparationē mortis Christi. Nos verò diligenter cōputatis annis ab initio mundi vsq; ad passionē Domini, inuenimus in ipso anno, quo Dominus crucifixus est, iuxta lunares annos, octauo Idus Martij fuisse Neomeniā, id est, nouæ lunę principiū, & iuxta Hebręos ipsius anni principiū, & duodecimo Calēdas April. in ipso vernali equinoctio, sexta feria, luna decimaquarta, seri⁹ pascha Hebręorū fuisse, vt eo die agnus Dei pro salute hominū in cruce pēderet, qua die agnus in liberatiōe populi occidi iussus est, & ipsa sua morte diuidere videretur inter lucē & tenebras, id est, inter fideles & infideles, vt implerētur quod dictū est. Positus est hic in ruinā, & in resurrectionem multorū. Et illud eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnū dilecti filij sui. Consentit etiam Euangelista huic sententiæ, qui dicit, quod Iudæi non intrauerūt in prætorium cum Pilato, vt non contaminarentur, sed vt manducarent pascha. Et si aliquis dicit, quare ergo Dominus tunc non celebrauit pascha? sciat quod ille non fuit sub lege, & voluit ante discipulis suis tradere sacramentū corporis & sanguinis sui, & postea ipsum corpus immolari in ara crucis, & ipsa est vera parasceue non Iudæorum, sed Christianorū, quia pascha nostrum immolatus est Christus. Nam Iudæorum parasceue antè alia die fuit. Iuxta hanc cōputationem inuenimus etiam eo tempore, id est, decimo Calendas Aprilis, Dei filium resurrexisse à mortuis, quo tēpore, id est, decimo Calendas Aprilis, Protoplastum Adam inuenimus esse formatum ex limo terræ. Sequitur:

Conuenerunt principes sacerdotū dicentes Pilato: Domine, recordati sumus, &cæt.) Non sufficit scelus mortis, nisi post mortem famam ipsius dilacerēt. Nota, quod dicit post tres dies, à parte totum. Pars sextæ diei, qua crucifixus cum sua nocte pro vna die accipitur Sabbatum integrū. Tertius dies à parte prima, id est, nocte totus cum suo die, & sic triduū est. Et notandū, quia seductorem eū vocant. quod enim erant, Domino imponebant. Sequitur: *Et erit nouissimus error peior priore.*) Ignoranter verū dicūt, Peior est enim contemptus pœnitentiæ, quàm error ignorantiæ.

Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, &c.) Quasi dicat: Sufficiat vobis, quod cōsensi in nece innocentis, vobiscum permaneat error.

Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrū. Hilarius.) Nō sufficerat principibus sacerdotum crucifixisse Dominū, nisi sepulchrū custodirent, cohortem acciperent, lapidem signarēt, & quantum in illis erat resurgenti manū opponerent, sed hoc factum est, vt diligentia eorum, fidei nostræ proficeret. Quanto enim diligentiùs seruāt, tanto magis virtus resurgentis ostenditur. Sequitur:

CAPVT XXVIII.

VEspere aūt sabbati, &c. Hieronymus.) Quod diuersa tempora istarum mulierū in Euangelijs describuntur, nō mendacij signū est, sed sedulę visitationis officium, dum crebrò abeunt, recurrunt, & non patiuntur se à sepulchro Domini vel longiùs abesse. Sepulto Domino, quàm diu licuit operari, id est, vsq; ad occasum solis vnguenta parauerunt, & quia præangustia temporis opus explere non potuerunt, transacto sabbato, id est, occidente sole, vbi licentia operandi redijt, emerunt aromata. Et quia nocte præoccupante, sepulchrum adire nō potuerunt, mane adeunt. Valde mane vna sabbatorum, in quo non dissentit à Luca & Ioanne. Matthęus verò à parte prima hora noctis, id est, à vespere noctem significat, cuius fine venerunt ad monumētum. Ideò autem sic nominat, quia ab eo tempore licebat facere quod vellent trāsacto sabbato. Vespere ergo sabbati, id est, nocte diei sabbati, Vespere quidē cœperunt venire, id est, aromata præparare, sed lucente mane peruenerunt, quod Matthæus causa breuitatis ponit obscuriùs, alij apertiùs. Sequitur:

Quæ lucescit in prima sabbati, &c.) Ordo temporum habet vesperam magis tenebrescere in noctem quàm lucescere in diem, sed mysticè dicit lucescere, pro gloria resurrectionis imminentis. Huc vsq; dies noctem dicebatur præcedere. Nunc ordo mutatur, & nox qua surrexit diei, qua se ostendit, a diuncta est. Et congrue priùs diē nox sequebatur, quia à luce homo in tenebras ceciderat. Nunc verò dies sequitur noctem, quia per resurrectionem à peccatis ad vitam reducimur.

Venit Maria Magdalene & altera Maria videre sepulchrum, &cæt.) Duæ vnius nomi-

nis eiusdemque deuotionis & amoris fœminæ, duas designant, plebes pari deuotione Christi passionem & resurrectionem amplectentes.

Et ecce terræmotus factus est magnus, &c.) Quod in resurrectione sicut in passione fit terræ motus, significat corda priùs terrena, & cœlesti spe delecta, per fidē passionis & resurrectionis ad pœnitentiam esse commouenda.

Angelus enim Domini, &c.) Obsequium suæ seruitutis, quod Domino debuit, angelus exoluit: quia accedens, reuoluit lapidem, non vt egressuro Domino ianuam panderet, sed vt egressus eius iam facti hominibus indicium præstaret.

Hæc quidem lapidis reuolutio mysticè nobis insinuat, reserationem sacramētorum Christi, quæ velamine literæ legalis tegebantur. Lex enim scripta est in lapide, cuius ablato tegmine, ostensa est gloria resurrectionis dominicæ.

Et sedebat super eum.) Notandum, quia testis dominicæ resurrectionis sedēs angelus apparuit cum his, qui natiuitatis eius gaudiū mūdo nunciabant, iuxta pastores stetisse legatur. Stare quippe pugnantis est, sedere regnātis. Rectè ergo angelus, qui aduentum Christi mundo prædicauit stare apparuit, vt stando designaret, quia is quem venire nunciabat ad debellandū mundi principem veniret. Præco autem resurrectionis eius sedisse memoratur, vt etiā sedendo significaret eundem separato mortis authore, sedem regni perpetui cōscendisse. Vnde ipse paulò pòst discipulis apparens dixit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Nota etiam, quia super lapidem sedebat, quo ostium monumenti claudebatur, vt clausura infernorum Christum sua virtute & superasse & deiecisse doceret.

Erat autem aspectus eius sicut fulgur, vestimenta eius candida, sicut nix, &c.) In habitu & vultu significabat, quia is, cuius gloriam resurrectionis nunciabat, & terribilis ad damnādum reprobos, & blandus esset ad consolandos electos. In fulgure enim terror timoris, in niue blādimentum candoris. Et notandum, quod Marcus dicit: Mulieres introeuntes in monumentum, iuuenem in dextris vidisse coopertum stola candida, quod potest mouere, nisi intelligamus vel Matthæum tacuisse de illo angelo, quē intrantes viderūt, vel Marcum de illo, quem foris super lapidem viderunt, ita vt duos angelos viderint, & à duobus eadē sigillatim audierint, aut certè intrantes in monumentum, in aliqua septa macerie debemus intelligere, qua tunc locutum fuisse munitum credibile est, in aliquo scilicet spatio ante petram, qua excisa locus factus est sepulturæ, vt ipsum viderint in eodem spatio à dextris, quem dicit Matthæus sedere super lapidem.

Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui, &c.) Cum iudicio diuinæ districtionis ipse quoque angelus apparuit, vt scilicet custodes sepulchri eius impios, terrore concuteret, & mortuorum instar terræ prosterneret. Visitatrices verò eiusdem sepulchri pijssimas, benigna consolatione refoueret, & ne pauerent confortauit dicens:

Nolite timere, &c.) Quasi diceret: Paueant illi, qui aduentum supernorū ciuium non amāt, qui presi carnalibus desiderijs ad eorū societatem pertingere contemnunt & desperāt. Vos autem cur pertimescitis, qui vestros conciues videtis angelos?

Scio enim, quod Iesum crucifixum quæritis, non est hic, &c.) Multi hoc nomine tunc dici poterant, non tamē substantialiter, sed nūcupatiue. Ideò & de quo Iesu dictum sit, manifestatur: cum dicit crufixum, & posteà addit. Non est hic, &c.) Quasi dicat: Per præsentiam carnis, qui per præsentiam maiestatis nusquam deest.

Surrexit, sicut dixit.) Quasi dicat: quia dixit se resurrecturum, surrexit. Impossibile est enim non fieri quod dixit. Sequitur:

Venite & videte locū.) Quasi dicat: si verbis non creditis, vacuo sepulchro credatis.

Et citò euntes dicite discipulis, quia surrexit: ecce præcedet vos in Galilæā, &c.) Quod se videndum in Galilæa per angelum discipulis prædixit, Mysticè veritatem suæ resurrectionis & profectū insinuat nostræ vitæ spiritualis. Galilæa quippe interpretatur transmigratio. Trāsmigrantibus ergo de corruptione ad incorruptionem, de morte ad vitam resurrectionis suæ gloriam promittit vidēdam. Et notandū, quod angelus persuadet citò ire, & dicere discipulis. Non enim tantæ victoriæ gaudium erat occultandū, sed potiùs similiter amantibus indilate pādendū, quod & nos mysticè admonet facere.

Et exierunt mulieres cito de monumento cum timore & gaudio, &c.) Quæritur, quomodo dicat Marcus: At illæ exeuntes fugerunt de monumento. Inuaserat enim eas timor & pauor, & nemini quicquam dixerunt. Sed possumus eas intelligere non fuisse ausas angelis aliquid dicere, id est, respondere ad ea, quæ ab ipsis audierant, aut certè custodibus ibi iacētibus. Illud verò gaudium, quod Matthæus cōmemorat, timori non repugnat. De quo timore Marcus narrat. Debemus enim vtrumq; in animo illarum fuisse intelligere. Duplex ergo affectus timoris simul & gaudij mētes mulierum tenuit. Alter de miraculi magnitudine, Alter desiderio resurgentis.

Ecce Iesus occurrit eis dicens: Auete. Beda.) Illis sic mente currentibus, discipulis nunciare, Iesus occurrit & eas salutat. Mysticè omnibus ostendens iter virtutum inchoantibus, se adiuuando occurrere, vt ad salutem perpetuam queant

queant peruenire. Et notandū illis mulieribus Christum primum occurrisse, & salutasse, vt primum maledictum mulieris intelligamus solutum esse.

Illæ autem accesserunt & tenuerunt pedes eius, &c.) Superiùs dictum est, quia clauso monumēto surrexit & exijt. Nunc aūt legitur, quia mulieres tenuerunt pedes eius. Surrexit enim clauso ostio monumēti, & exijt, vt doceret corpus suū iam immortale esse factū. Hic verò tenentur pedes, vt veram carnē esse cōprobent. Et quia tanta visione timebant, primum pellitur timor, dum illis dicitur: Nolite timere, vt mente placida possint, quæ posteà dicūtur, audire. Sed quod superiùs dictū est, tenuerūt pedes eius no tandū est. Illæ enim tenent pedes eius, quæ adorant resuscitatum. Sed illa quæ nesciebat ad huc resurrexisse Dei filium, audit meritò.

Noli me tāgere, quia nondū ascendi ad patrem meū. Ite, nunciate fratribus meis, &c.) O mira Dei benignitas ante passionē suam consueuerat vocare seruos, nunc post resurrectionem vocat fratres suos, vt scilicet habitum eiusdem humanitatis, quam ante habuerat resurgēdo resumpsisse probaret, vel monstraret, & illos ad promerendam eiusdem immortalitatis coronam, qua iam præeminebat, erigeret, quod apparet, dum dicit: vt eant in Galilæam. Dum dicit: Ite, nunciate fratribus meis. Nota, quia humani generis culpa abscinditur, vnde processit.

Gregorius.) Quia enim mulier in paradiso mortem viro propinauit, à sepulchro mulier annunciat vitam viris, & dicta viuificatoris narrat, quæ mortifera serpentis verba narrauerat.

Ac si humano generi diceret, non verbis, sed rebus ipsis. De qua manu vobis illatum est poculum mortis, de ipsa suscipite modo poculum vitæ & salutis. Et notandum est, quod dicit, vt eant in Galilæam, & eum ibi videbunt. Non ibi quidem solùm, nec ibi primum visus est à discipulis. Lucas enim & Ioannes satis apertè dicunt, ipsa die resurrectionis Dominum suum visum fuisse in Ierusalem. Primo Mariæ Magdalenæ, quando dictum est ei: noli me tangere. Deinde eidem & alteri Mariæ, currentibus nunciare discipulis, quando & pedes eius tenuerunt. Visus est etiam ipso die duobus discipulis in via. Visus est & Petro, quod quando factū est, Euāgelista non declarat. Visus est etiam discipulis, cum loqueretur, reuersis illis qui eum cognouerant in fractione panis, quando stans in medio eorum dixit: Pax vobis. Tamen specialiter Marcus & Matthæus dicunt dixisse angelum, vel ipsum Dominum, quod in Galilæa vidēdus esset.

Mysticè quidem Galilæa dicitur trāsmigratio. Præcedet ergo eos in Galilęam, id est, gratia Dei transmigratura est ad Gentes de Iudæis. Præcedet vos, dico, viam in cordibus eorū præparando, & ibi videbitis eum, id est, membra eius, & viuum corpus inuenietis. Vel Galilæa dicitur reuelatio, nō in forma serui, sed in ea, qua est æqualis patri, illuc nos præcesit, vbi cōsimiles erimus ei, & ibi videbimus eum sicuti est. Et hæc est beata reuelatio, vel trāsmigratio de hoc sæculo ad æternitatem.

Quæ cum abijssent, ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem, & nunciauerūt principibus sacerdotum, quæ facta sunt, &c.) Miracula talia facta sunt circa sepulchrum, vt ea ipsi milites viderent, qui custodes aduenerant, vt testes fierēt, si vera nunciare vellent, sed auaritia illa, quæ captiuauit comitem Christi, scilicet Iudam, captiuauit & custodes sepulchri. *Et congregati cum senioribus, accepto concilio, pecuniam copiosam de templo acceptam, sicut priùs triginta argenteos dederunt militibus, &c.*) Omnes ergo illi, qui stipendia tēpli, & his quę conferuntur ad vsus Ecclesiæ, abutuntur in alijs rebus, quibus suam expleant voluntatem, similes sunt Scribarum & sacerdotum redimentium mendacium de Saluatoris sanguine.

Augustinus.) O stulta insania, dormientes testes adhibes. Vere tu ipse obdormiuisti, non iam sacerdos, sed parricida, qui scrutando talia defecisti. Si verò dormiebāt, quomodo videre poterāt? Si nihil viderunt, quomodo testes sunt? Defecistis in ipso effectu consiliorum vestrorum. At illi accepta pecunia, & securi redditi, ne quid detrimenti vel periculi incurrerent, fecerunt sicut docti erant.

Et verbum illud, scilicet error empti mendacij, *adhuc perseuerat apud Iudæos usq; ad hodiernam diē*, quia nec adhuc credunt in Saluatorem.

Vndecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem vbi constituit illis Iesus: & videntes eum adorauerunt, &c.) Non vacat à mysterio, quod Dominus in Galilæa post resurrectionem apparuit discipulis. Vel quod in monte apparuit, vt significaret, quod corpus de communi humani generis terra nascēdo susceperat, resurgendo iam super terrena omnia subleuauerat, & vt admoneret fideles, qui illic celsitudinem resurrectionis eius cupiunt videre, hic ab infimis voluptatibus ad superna studeāt desideria transire. Sed quid est, quod Iesus præcedet illos in Galilæam, vt videretur ab eis: & illi sequuntur, & videntes adorant? nisi quia Christus surrexit à mortuis primitiæ dormientium.

Sequuntur autē hi, qui sunt Christi, & in suo ordine ad vitam de morte transmigrant, ibiq; eū videntes adorant, in spem diuinitatis cōtemplantes. cui visioni congruit, quod Galilæa reuelatio interpretatur. Tūc enim reuelata facie Domini, gloriam speculabimur. Sequitur:

Quidam autem dubitauerunt, &c.) Primo, qui hunc esse didicerunt, demissis in terra vultibus adorant, sed inerat tamē mentibus eorum quædam dubietas: quia se non corpus, in quo passus est, resuscitatum, sed spiritum, quem

finita

finita paſsione tradidit,ſolùm putabant videre. Vnde ſtatim pius magiſter eos in fide confortat, & ad fidei gratiam conuocat intimans, ad quantam peruenerit gloriæ magnitudinem humanitas pro homine aſſumpta, & pro homine morti data. Vnde ſubdit:

Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra,&c.) Cõſtat,quia hoc nõ de coæterna patri diuinitate, ſed de aſſumpta humanitate loquitur,in qua minor angelis primum, reſurgẽdo à mortuis ſuperpoſitus eſt omnibus creaturis. Et nota quia angelicæ virtutes, priuſquam etiam à morte reſurgeret Chriſtus, homini quẽ à ſuo conditore ſpecialiter aſſumptum eſſe videbant,ſe iure ſubditas cognouerant. Sed in terra cæci cæteri homines, eius virtutem etiam in miraculis intelligere contemnebant. Volens ergo ſicut in cœlo,ita & in terra, notam fieri potentiam ſuam, ait:

Data eſt mihi omnis poteſtas,&c.) Miſit etiam doctores, qui per totum orbem Euangelium ſuæ potentiæ prædicarent, dicens: *Euntes ergo docete omnes gentes,&c.*) Quaſi dicat: Quia iam in luce venit,quod hactenus quibuſdam de cauſis dubium hominibus fuit, ergo ite & docete. Et nota congruum ordinẽ. Primo enim docendus eſt auditor, deinde fidei ſacramentis imbuendus,tunc ad ſeruanda mandata inſtituendus, quod ſecundum Hilarium non poteſt fieri, vt corpus baptiſmi recipiat ſacramentum,niſi antea anima accipiat fidei veritatem,nec valet adhuc baptiſmo mundari, vt Beda dicit,ſi non poſteà inſiſtat bonis operibus. Dicit itaq; ſic: Docete, id eſt, primo in fide auditores veſtros inſtruite,& in ſcientia veritatis catechizate & confirmate,& poſteà baptizate,quia niſi quis renatus fuerit,&c.

Baptizate dico, *in nomine patris,& filij,& ſpiritusſancti,* id eſt,in confeſsione Trinitatis. Et quia fides ſeu baptiſmus, parum aut nihil valet ſine operibus,ſubdit: Docete eos ſeruare quæcunq; præcepi vobis: ne putemus leuia eſſe vel pauca quæ præcepit,id eſt,dixit omnia. Et quanta mercès piæ conuerſationis,quale pignus beatitudinis futuræ etiam in præſenti fidelibus maneat, conſequenter inſinuat, dicens:

Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſq; ad conſummationem ſeculi.) Ex quo intelligitur,quod vſq; in finem ſæculi nó ſunt defuturi in mundo,qui diuina manſione & inhitatione ſint digni. Nec dubitandum eſt eos poſt huius ſæculi certamina manere cum Chriſto in regno,qui certantes in ſæculo meruerunt Chriſtum,habere manſorem in ſui cordis hoſpitio.

Prima ſabbati.) Diluculo ſicut oẽs conſentiunt, ventum eſt ad monumentum, & iam factũ erat quod ſolus Matthæus ait de terræmotu, & reuoluto lapide, & territis cuſtodibus.

Venit autem Maria Magdalena.) Cæteris feruentior. Vnde Ioannes de ea cõmemorat tacitis alijs quęcunq; de ea fuerũt. Vidésq; lapidẽ ſublatum antequã diligentiùs inſpiceret,credés ſublatum corpus,cucurrit, nũcians Petro & Ioanni, qui etiam cucurrerunt ad monumentũ, & non inuento corpore,crediderunt quod Maria dixerat,ſublatum corpus,abieruntq;.

Maria autem ſtetit foris plorans.) In horto quo iam egreſſæ fuerant. Tunc viderunt angelum ſedentem ſuper lapidem reuolutũ, de quo Matthæus & Marcus dicunt.

Qui dixit eis: Nolite timere,ſcio enim quod Ieſum quæritis,&c.) Quibus ſimilia Marcus non tacuit. Ad hæc verba: Maria dum fleret, inclinauit ſeſe,& proſpexit in monumentũ, & vidit duos angelos,vnum ad caput,& vnum ad pedes,ſedentes in albis,& dicunt ei: Mulier, quid ploras? Quę dixit: Quia tulerũt dominum meũ, & neſcio vbi poſuerunt eum. Hic intelligendi ſunt angeli ſurrexiſſe, vt & ſtantes viderentur, ſicut Lucas ait,qui & eos dixiſſe refert:

Quid quæritis viuentẽ cũ mortuis? &c.) Poſt hęc conuerſa eſt Maria retro,& vidit Ieſum ſtantem,vt Ioannes ait,& neſciebat quod Ieſus eſſet,putans eum eſſe hortulanum, vbi & nominando eum agnouit,cui dictum eſt,noli me tãgere. Tunc egreſſa eſt de monumento,id eſt,de loco ante lapidem effoſſum,& cum ea aliæ,quas (vt Marcus ait) timor inuaſerat,& nemini quidquam dicebant. Tunc iam ſecundum Matthæum. Ecce Ieſus occurrit eis dicens:

Auete. Et illæ acceſſerunt, & tenuerunt, pedes eius.) Sic colligimus & angelorum collocutionem bis eas habuiſſe,viuentes ad monumentũ. Et ipſius Dei ſemel, quando Maria hortulanum putauit,& nunc iterum cum eis occurrit,vt eas ipſa repetitio confirmaret. Venit ergo Maria Magdalena, nuncians diſcipulis, & aliæ quæ cum ea fuerant,quas Lucas commemorat. Plures quidem fuerunt apparitiones, quod innuit Paulus dicens: Viſus eſt Iacobo,deinde viſus eſt pluſquam quingẽtis fratribus ſimul. Sed decem legimus in Euãgelijs, quinq; in ipſo die reſurrectionis. Primo apparuit Mariæ Magdalenæ flenti ad monumentũ. Poſteà eidem Mariæ & alij Mariæ,regredientibus nunciare Apoſtolis. Tertio Simoni. Quarto Cleophæ & ſocio eius. Quinto illis reuerſis & narrantibus quomodo cognouerunt eum in fractione panis, apparuit ianuis clauſis,vbi Thomas aberat. Sexto poſt dies octo, quando cum eis erat Thomas. Septimo piſcantibus ad mare Tyberiadis. Octauo in monte Galilææ qui longe erat ab Ieruſalem. Nono recumbentibus vndecim quo die aſcendit. Decimo viderũt eum iam non in terra poſitum,ſed eleuatum in aëra,cœlosq; petentẽ, dicentibus angelis: Sic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.

FINIS.

EIVSDEM

EIVSDEM DIVI ANSELMI IN ALIQVOT EVANGELIA EXPLANATIONES, SIVE (VT VOCANT) Lectiones, nunc primum in Lucem editæ.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum, CAP. XIIII.

IN illo tempore: Iuſsit Ieſus diſcipulos ſuos aſcendere in nauiculam, & præcedere eũ trans fretum, donec dimitteret turbas, & reliqua.

In hac lectione iuxta miſticam intelligẽtiam ſummatim deſcribitur eccleſiæ ſtatus,ab aduẽtu ſaluatoris vſq; in finem ſeculi. Iuſsit enim dominus diſcipulos ſuos aſcendere in nauiculam, quando apoſtolis eorumq; ſequacibus, gubernandam commiſit eccleſiã. *Et ita præcedere transfretum,* id eſt,tendere ad portam cœleſtis patriæ, priuſquam ipſe ex toto migret ab hoc mundo. Nam cum ſuis electis & propter ſuos electos,eſt ipſe ſemper hîc vſq; ad conſummationẽ ſeculi: & præcedunt illum tranſmundanũ pelagus, qui quoridie hinc tranſeunt ad terram viuentium. Cum enim ſuos illuc oẽs præmiſerit,tunc relinquens multitudines reproborum, nec ad conuerſionem eas vlteriùs monens, ſed perditioni deſerens migrabit hinc,vt cũ ſolis electis ſuis in regno ſit. vnde ſubiungitur: *Donec dimitteret turbas.* Nam in fine ſeculi turbas iniquorum dimittet,vt à diabolo iam in ſempiternam damnationem rapiantur. *Et dimiſſa turba, aſcendit in montem ſolus orare.* Turbas quidem gentium vſque ad finem mundi non dimittet, ſed turbam Iudaicæ plebis tunc dimiſit, quando ſecundum Iſaiam mandauit nubibus ſuis,ne ſuper infructuoſam vineam pluerẽt, id eſt, apoſtolis iuſsit,ne Iudęis vltrà prædicarent,ſed ad gentes pergerẽt. Sic ergo turbam illam dimiſit,& in montem, id eſt, in apicem regni cœleſtis aſcendit, de quo dictũ fuerat: Quis aſcendet in montem domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Mons enim altitudo eſt. & quid altius cœlo? Illuc aſcendit dominus. Et aſcendit ſolus: quia nemo aſcendit in cœlum: niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo. Quanuis & in fine cum venerit, & omnes nos membra ſua collegerit ac leuauerit in cœlum, etiam tunc ſolus aſcendet: quia caput cum corpore ſuo vnus eſt Chriſtus. Nunc aũt ſolum caput aſcendit, mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus. *Et aſcẽdit orare,* quia iuit ad patrem pro nobis interpellare. Non enim in manu facta ſancta introiuit exemplaria verorum, ſed in ipſum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Sequitur: *Veſpere autem facto, ſolus erat ibi.* Veſper propinquitatem finis ſæculi deſignat, de qua & Ioannes ait, filioli nouiſsima hora eſt: Veſpere igitur facto, ſolus erat ibi: quia appropinquante mundi termino, ſolus in ſancta ſanctorum vt verus pontifex intrauit, ibiq; eſt ad dexteram Dei, & interpellat pro nobis. Veruntamẽ dum ille orat in excelſo, nauicula turbatur fluctibus in profundo. Nam quia inſurgunt fluctus, poteſt iſta nauicula turbari, ſed quia Chriſtus orat non poteſt mergi. Sequitur enim: *Nauicula autem in medio maris iactabatur fluctibus: Erat enim eis contrarius uentus.*) Nauicula quippe eſt eccleſia, mare ſeculum, fluctus maris tumores ſeculi & tribulationes mundi, ſeu tentationum impetus elati. Ventus contrarius, ſpiritus dæmoniorum, quo ſeculi poteſtates aduerſus eccleſiam ſunt concitatæ, & mundus contra ſanctos frequenter commotus, & quo vitia vel iniquitates ſemper ſuggeruntur. Nauis igitur in medio maris iactabatur fluctibus, dum Ieſus in montis cacumine moraretur, quia ex quo ſaluator in cœlum aſcendit, ſancta eccleſia magnis tribulationibus in hoc mundo agitata eſt, & varijs perſecutionum turbinibus pulſata, ac diuerſis malorum hominum prauitatibus vexata, vicijsq; multimode tentata. *Erat enim ei contrarius uentus,* quia flatus malignorum ſpirituum ei ſemper aduerſatur, ne ad portum ſalutis perueniat, obruere eam nititur fluctibus aduerſitatum ſeculi, omnes quas valet contrarietates ei commouens. Sequitur: *Quarta autem uigilia noctis, uenit ad eos ambulans ſupra mare.* Cum nox duodecim horas habeat, & quatuor militares vigilias, tribus horis vnicuique vigiliæ deputatis, quarta vigilia noctis extremitas eſt noctis. Nox verò tenebras tribulationum & errorum ac vitiorum & pericula tentationum deſignat. In quarta ergo vigilia noctis, hoc eſt in extremitate perſecutionis, quæ diu ſub paganis regibus efferbuerat, vel circa finem cuiuslibet grauioris aduerſitatis venit, Ieſus ad ſuos. Et venit ambulans ſupra mare, id eſt, calcans oẽs tribulationũ fluctus, & oẽs tumores mundi ſub pedibus

Ioan. 2.c Veſper mundi. Rom. 8.g

Eccleſia turbari,nõ mergi poteſt.

Ventus cõtrarius.

Noctis tũ giliæ.

Nox quid ſignificat.

bus habens, omnesq́ue celſitudines ſeculi præmens.

Quid mare.

Quid enim maris nomine, niſi in bonorum nece ſæuiens, mundi huius amaritudo deſignatur? Super fluctus ergo maris dominus ambulat, qui cum ſe procellæ perſequutionis erigunt, miraculorum eius obſtupefactione franguntur. Qui enim tumores humanæ veſaniæ mitigat, quaſi erectas in cumulo vndas calcat.

Quid ambulare ſuper fluctus & infra de Petro.

Nã cum morem ſuum gentilitas deſtrui nouæ conuerſationis prædicatione conſpiceret: cum mũdi huius diuites elationi ſuæ cõtraire facta pauperum: cum ſapientes ſeculi aduerſari ſibi imperitorum verba penſarent, in perſequutionis tempeſtatem tumuerũt. Sed qui verborum aduerſitate commoti, ad perſequutionis procellas inſiliunt, ſignorum, vt diximus, admiratione tẽperantur. Tot ergo in his fluctibus Dominus greſſus poſuit, quot ſuperbis perſequutoribus,

Greſſus domini.

miracula oſtendit. Sequitur: *Et uidentes eum ſupra mare ambulantem, turbati ſunt dicentes, quia phantaſma eſt, & præ timore clamauerunt.* Ieſus tranſit calcans fluctus, & tamen tantæ ſunt tribulationes, vt etiam ipſi qui crediderunt in Ieſum, & conantur perſeuerare vſque in finem, plerumq́; turbẽtur & expaueſcant ne deficiant. Chriſto inquam, fluctus calcante, id eſt, ſeculi ambitiones & altitudines deprimente expaueſcunt Chriſtiani. Meritò igitur domino in fluctibus ambulante timuerunt diſcipuli, quia Chriſtiani, quamuis habentes ſpem in futuro ſeculo, quando vident deprimi altitudinem huius ſeculi, nõnunquam turbantur de contritione rerum humanarum, nec à Deo fieri hanc arbitrantur, ſed ab hoſte. Turbati ſunt ergo dicentes quia phantaſma eſt, quoniam dum conſiderant mundi gloriam ſterni & ſeculariũ elationũ altitudines deijci, mundanosq́; fluctus calcari, plerumq́; turbantur de mundi percuſſionibus: quia nondũ intelligunt Deum iſta facere, ſed putant ſpiritũ huius mundi phantaſticum, id eſt, ſubdolum Satanam talia in mundo gerere, & præ timore clamant turbati ad dominum. Sed poſtmodum diligentiùs attendentes, aperiunt Euangelium, aperiunt ſcripturas diuinas, & inueniunt ibi iſta omnia prædicta, & animaduertunt quia non inanis & vmbratilis ille ſpiritus qui verum eſſe perdidit, ſed verus dominus facit hæc, deprimit celſitudines ſeculi, vt ab humilibus glorificetur. Vnde & apte ſubditur: *Statimq́; Ieſus locutus eſt eis dicens, Habete fiduciam Ego ſum, nolite timere.*

Quot modis loquitur Deus.

Aut enim per internam aſpirationem, aut per ſcripturas, aut per prædicatores loquitur ſuis talia. Nolite inquit, diffidere, ſed fiduciam habete, nolite expaueſcere,

Num. 13.c.

ſed impauidi eſtote, quia ego ſum qui iſta prædixi: & nunc ea facio pro veſtris vtilitatibus, & ideò neceſſe eſt, vt fiant. Ego ſum qui

Exod. 3.d.

non mutor & cuius verba non tranſeunt, ſed permanent & rebus explentur, qui ad Moyſen dixi: ego ſum qui ſum, ac præcepi ei ſic dicens filijs Iſraël: qui eſt, miſit me ad vos. Res enim quælibet, ſi mutabilis eſt, non verè eſt. Nõ eſt enim ibi verum eſſe, vbi eſt & non eſſe. Nam quicquid mutari poteſt, mutatum non eſt quod erat. Ac in veritate quæ manet, mutatio non eſt, nec præteritum aut futurum, ſed ſolùm pręſens, & hoc incorruptibiliter quod in creatura non eſt.

Creaturæ non uerè ſunt.

Diſcute enim rerum mutatiões, & inuenies, fuit & erit. Cogita Deũ, & inuenies, eſt vbi fuit, & erit, vbi eſſe non poſſit. Rectè ergo Chriſtus qui eſt æterna, & incommutabilis veritas, dicit ſuis inter mundanas tribulationes fluctuantibus, ego ſum nolite timere. Sequitur: *Reſpondens autem Petrus, dixit: Domine ſi tu es, iube me uenire ad te ſuper aquas. Ac ipſe ait: Veni,*

Petrus quid ſignificet.

Petrus ordinem prædicatorum deſignat, aquæ verò non ſolùm tribulationes, ſed & populos ſignificant.

Aquis quid ſignificatur.

Si, inquit, tu es, ſi tu incommutabilis permanes, iube, quia iuſſio tua eſt virtus efficiens, iube me ſuper aquas, id eſt, ſuper fluctus mundanarum tribulationũ & ſuper populos, venire ad te, vt & ego tibi incommutabili adhærens, fiam incõmutabilis participatione firmitatis tuæ.

Actu. 7.8.

Vadit enim ſuper tribulationes qui non ſuperatur aut mergitur ab eis, ſed calcat & ſuperat eas, ſicut legimus, quia ſub Stephano facta eſt illa tribulatio, in qua ipſe pro Chriſto primus animam ſuã poſuit. Sed & ſuper populos vadit ad Chriſtũ, qui regendo multitudines fideliũ tendit ad regnũ cœlorum. Sequitur: *Et deſcendens Petrus de nauicula, ambulabat ſuper aquas, ũt ueniret ad Ieſum.*

Quid demum deſcẽdere.

Hoc completum eſt & completur, dum ſancti prædicatores ad exteras gentes mittuntur. Petrus enim de nauicula deſcẽdit, quotiẽs quilibet ſanctus doctor de gremio matris eccleſiæ vbi fuerat educatus, pia condeſcenſione perrexit ad illos qui foris erant, vt eis viam ſalutis oſtenderet. Et ambulauit ſuper aquas, dum & tribulationes ſuperando calcaret, & multitudines hominum Chriſto credere faciẽs ſibi ſubderet. Ambulauit inquam non ſtetit, quia ſemper ea quæ retrò ſunt longiùs fugiens ad ea quæ ante ſe magis ac magis ſe promouit, & quotidianis virtutum incrementis profecit. Et hęc omnia egit vt veniret ad Ieſum, qui eſt ſaluator & veritas incommutabilis, quatenùs eum appræhendens & ei inhęrens, veram teneret in eo ſalutem & incommutabilitatem. Sequitur: Videns verò ventum validum, annuit, & cum cœpiſſet mergi, clamauit dicens:

Ventus ualidus.

Domine, ſaluum me fac. Validus ventus, vehemens conatus dæmonum eſt ad excitanda corda hominum, velut aquas maris in inquietudinem perſequutionis fidelium, vel ad ſuadendũ fortiter malum. Qui ſcilicet ventus flabit tunc validus, quãdo ſatanas in ſuis viribus, extremo tempore contra iuſtos relaxabitur. Quod in hac ſententia nunc deſignari videtur, quia Petrus qui eſt ordo prædicantium, videns ventum validum, timuiſſe refertur. Quis enim vel perfectorum non timebit: quando ſub Antichriſto immanis illa perſecutio vbiq; feruebit? Timens autem,

autem, incipiet aliquantulum mergi, quia propter horrorem atrocitatis ſuppliciorũ quæ ſanctis inferentur, & propter admirationem fallacium ſignorum quæ per ſequaces antichriſti fient, aliquantulum in corde ſuo fluctuans, ab inferiori parte animæ ſentiet aliquid, quo niſi Chriſti dextera leuauerit, facilè totus demergi poſſit. Sed quia electus erit, ad Chriſtum clamabit: Domine ſaluũ me fac, & ſic eo ſubueniente

Matt. 24.

erigetur. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio creaturæ vſq; modo, neq; fiet. Et niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro. Sed propter electos, breuiabuntur dies illi. Vnde & hîc apte ſubditur, & cõtinuò Ieſus, extendẽs manum apprehendit eũ, & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitaſti? Citò enim ſaluator vnicuiq; ſuorum extendet manũ ſalutaris auxilij, quia non patietur eos tentari ſu-

1. Cor. 10.

pra id quod ferre poterunt. Et quemlibet eorũ velociter apprehendet, id eſt, quadam vi diuini adiutorij aſſumens tenebit & eripiet. Modicæ

Martyres ſub antichriſto ſigna non facient, ſed tortores.

inquit, fidei, quare dubitaſti? Cuius fides in illa tribulatione non titubabit, quando martyr qui pro Chriſto ſanguinẽ ſuum fundet, nihil ſignorum facere poterit, & ante ipſius oculos tortor ipſius ſigna faciet. Penſemus ergo, quæ erit humanæ mentis illa tentatio. Cuius enim tunc virtus non ab ipſo cogitationum fundo quatiatur, quando qui flagris cruciat, miraculis coruſcat. Tanta quippe tunc contra iuſtos antichriſtus & miniſtri eius iniquitate & dolo effrenantur, vt etiam electorum corda non modico pauore fe-

Matt. 24.

riantur. Vnde ſcriptum eſt: Ita vt in errorẽ inducantur ſi fieri poteſt, etiam electi. Quod videlicet dicitur non quia electi caſuri ſint, ſed quia magnis terroribus velut caſuri, ſint trepidaturi. Notandum etiam, quia hæc fluctuum cõmotio, & Petri titubatio vel merſionis inchoatio, etiam noſtro tempore iuxta ſpiritualem ſenſum quo-

Senſus ſpiritualis.

tidie agitur. Vnicuiq; enim, ſua cupiditas eſt tẽpeſtas. Amas Deũ, ambulas ſuper mare, ſub pedibus tuis ſeculi tumor. Amas ſeculum, abſorbette. Amatores enim ſuos vorare nouit non portare. Sed cum fluctuat cupiditate cor tuum, vt vincas tuam cupiditatem, inuoca Chriſti diuinitatem. Putas enim tunc venturum eſſe contrarium, quando huius ſeculi ſurgit aduerſitas, & non etiam quando blanditur proſperitas. Nã quando bella, quando tumultus, quãdo fames, quando peſtilentia, quãdo cuiq́; hominum etiam ſingulorum euenit priuata calamitas, tunc putatur ventus aduerſus, & ibi putatur inuocã-

Fœlicitas ſeculi uentus eſt contrarius.

dus Deus. Quando autem temporali felicitate ſeculum arridet quaſi non eſt ventus contrarius. Noli hinc interrogare temporis trãquillitatem: ſed interroga tuam cupiditatem. Vide ſi tranquillitas eſt in te: vide ſi nõ te ſubuertat vẽtus interior. Magnæ enim virtutis eſt cũ felicitate luctari, ne illiceat ne corrumpat, ne ſubuertat illa felicitas. Diſce calcare ſeculum, memento fidere in Chriſto. Et ſi motus eſt pes tuus, ſi titubas, ſi aliqua non ſuperas, ſi mergi incipis, exclama ad Ieſum: domine ſaluũ fac. In Petro itaque communis omnium noſtrum conſideranda conditio eſt, vt ſi nos in aliquo tentationum ventus conatur ſubuertere vel vnda ſubmergere, clamamus ad Chriſtum. Porriget ille manũ, & eruet de profundo. Sequitur: Et cum aſcendiſſet in nauiculam, ceſſauit ventus. In die nouiſſimo aſcendet in nauem eccleſiæ: qui tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ, quæ ſedes non inconuenienter intelligitur eccleſia. Nam

Matt. 25.d

qui per fidem & bonam operationem nũc ſemper inhabitat eccleſiam, ipſe: tũc per ſuæ gloriæ manifeſtationem ingredietur eccleſiam: Et tũc ceſſabit ventus, quia dæmones vlteriùs non habebunt poteſtatem, flammas tentationum vel cõmotiones tribulationem emittere contra eã. Tunc enim peccata ei erũt omnia, & quieta. Sequitur: Qui autem in nauicula erant venerunt & adorauerunt eum dicẽtes: Verè filius Dei es. Qui in eccleſia fideliter inter procellas tentationum permanſerunt, veniente Chriſto ad iudicium accedent gaudentes ad eum, & cum ipſo regnum eius intrantes adorabunt eum ac perpetualiter laudantes filium Dei veraciter hunc eſſe clamabunt. Tunc enim fiet, quod de electis à morte reſuſcitatis dicitur. Veniet omnis caro, vt adoret coram facie mea, dicit dominus. Et

Eſaiæ 66.

item: Beati qui habitant in domo tua, in ſecula

Pſal 3.

ſeculorum laudabunt te. Nam quem corde cre-

Rom. 10.c

diderunt ad iuſtitiam, ore autem confeſſi ſunt ad ſalutem, hunc corde videbũt ad vitam & ore laudabunt ad gloriam contemplantes qualiter à patre ſit ineffabiliter genitus, cum quo viuit & regnat in vnitate ſpiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Cap. II.

IN illo tempore, Ibant parentes eius per omnes annos in Hieruſalem, in die ſolemni paſchæ. Et cum factus eſſet annorum 12. aſcendentibus illis Hieroſolimam ſecundum conſuetudinem diei feſti, cõſummatisq́; diebus cum redirent remanſit puer Ieſus in Hieruſalem, & non cognouerunt parentes eius. Et reliqua.

Religioſi parentes ſaluatoris iuxta præceptũ legis per ſingulos annos ibant in Hieruſalem, vt legem audirẽt, ſacrificijs participarẽt, ſolemnitatibus intereſſent & eius adhuc vmbræ ſeruiebant cuius veritatẽ iam tenebant. Significabant autem iudæos, ex quibus carnẽ dominus aſſumpſit & qui veteris obſeruantiæ ritum iugiter cuſtodiebant. Ipſe verò myſticè duodecim

Ieſus annorum. 12.

annorũ factus eſt, quando ei prædicatio ad hoc vſque profecit, vt duodecim apoſtolis committeretur, qui per eam quatuor orbis partibus no

titiam ſummæ trinitatis intimarent: quia duodecim ſunt ter quatuor. Et tunc parentes eius ſecundum conſuetudinem diei feſti aſcenderunt Hieroſolymam, quia Iudæi ſecundum morem feſtiuæ exultationis quam agunt qui ad Deum conuertuntur, promoti ſunt ad ſpiritualem ſenſum & venerunt per fidem ad eccleſiam. Tandemq; conſummatis diebus & completa ſolennitate, cum redirent, remãſit puer Ieſus in Hieruſalem. Tunc enim Iudæorum ſolennitates completæ ſunt, quando ſaluatore noſtro à mortuis reſurgente, vetera tranſierunt & facta ſunt omnia noua. Et tunc in credulis Iudæorum ad ea quæ retro ſunt redeuntibus, remanſit puer Ieſus in Hieruſalem quæ viſio pacis interpretatur & eccleſiam deſignat. Vnde & dicitur, Factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Syon. Hoc autem parentes eius, id eſt, ſynagoga & Iudæorum populus non cognouerunt, ſed eum in comitatu eſſe eſtimantes venerunt iter diei per quod intelligitur tempus quo poſt reſurrectionem eius nondum ſe cognoſcebãt errare. Cæci enim adhuc eum eſſe putabant quem iam occiderant & dicentem audierant: ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta: & in pſalmis, ecce elongaui fugiens & manſit in ſolitudine. Requirentes autem eum inter cognatos & notos, & non inuenientes, regreſsi ſunt in Hieruſalem requirentes eum. Hoc tunc ſpiritualiter completum eſt, quando poſt Chriſti paſſionem quidam Iudæorum corde compuncti venerunt ad apoſtolos. Hoc enim fuit quærere Chriſtum & redire in Hieruſalem, & dixerũt: quid faciemus viri fratres. Quibus ait beatus Petrus Pœnitentiã agite & baptizetur vnuſquiſque veſtrum. Hos igitur & cæteros qui tũc temporis crediderunt, ſignificabat parentes Ieſu, quoniam ſicut illi ignorantes eum perdiderant, ita & iſti ignoranter eum occiderant. Si enim cognouiſſent, nunquam dominum gloriæ crucifixiſſent. Et factum eſt poſt triduum, inuenerunt illum in templo ſedentem in medio doctorum, audientem illos & interrogantem. Poſt triduum in templo Ieſus inuenitur, quia poſt reſurrectionem quæ die tertia facta eſt, ab his qui eum quærunt in eccleſia reperitur. Ante triduum enim non inueniebatur quia non Deus, ſed homo tantum ab hominibus putabatur. Sed vbi inuenitur. In templo, in eccleſia, in conuentu fidelium, in medio doctorum, in cœtu prædicatorum. Ibi reperitur audiens eos & interrogans. Audire noſtrum eſt, ſono aliunde venienti aurem aliò poſitam commodare. Ac contra, Deo cui nihil extra eſt, audire proprie eſt, ſurgentia ſub ſemetipſo deſideria noſtra percipere. Tribus autem modis nos interrogare conſueuit, cũ aut flagelli diſtrictione percutit & quanta nobis inde ferẽdo ſit patientia oſtendit: aut quędã quæ nolumus præcipit, & noſtram nobis obedientiam vel inobedientiam patefacit: aut aliqua nobis occulta aperit & aliqua abſcondit, & menſuram nobis noſtræ humilitatis innoteſcit. Et hoc tertio modo, magis doctores interrogat. Stupebant, inquit, omnes qui eum audiebant, ſuper prudentia & reſponſis eius. Quicunq; cordis aure eum adhuc audiunt ſtupent ad eius prudentiam, ſicut & beatus Iob qui inter homines ſapienter loquutus fuerat, ſed auditis Dei ſermonibus ſe dixit inſipiẽter loquutum. Reſponſa quoque eius, ſunt ſtupenda. Reſpondere enim illius eſt eum qui ſe humiliter neſcientem cognouerit occultis inſpirationibus erudire. Reſpondet enim ex magiſterio aſpirationis, & mentem humilium mirabiliter docet. Reſpondet, ſicut & alibi dictum eſt ei: Voca me & reſpondebo tibi, aut certe loquar & tu reſponde mihi. Vocare enim Dei eſt, nos amando & eligendo reſpicere. Reſpondere autem noſtrum eſt, amori illius bonis operibus parere. Loquimur etiam, cum eius faciem per deſiderium poſtulamus. Et ipſe reſpondet loquẽtibus, cum nobis ſe amantibus apparet. Sequitur. Et videntes, admirati ſunt. Admirati ſunt parentes eius, cum eum in templo in medio doctorum ſedere vidiſſent, Admirantur vſque hodie. Iudæi quicunque ad eccleſiam veniunt & ad fidem cõuertuntur, dum ibi Meſsiam, id eſt, Chriſtum vident, quem in ſynagoga & inter cognatos & notos, nulla coram expoſitione videre vel intelligere potuerunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Diximus per matrem domini ſynagogam ſignificari, de qua dominus ſecũdum carnem originem duxit. Hæc autem quocunque tempore ad eccleſiam veniens ibique veritatem intelligens, ſuam ignorantiam & Chriſti abſentiam admiratur, & admirando dicit: Fili, quid feciſti nobis ſic, cur nos reliquiſti & ad gentium eccleſiam pertranſiſti? Ecce pater tuus, populus Iudaicus & ego dolentes quærebamus te. Hoc enim, quod apoſtolus ait. Teſtimonium illis perhibeo, quia zelum Dei habent, ſed nõ ſecundum ſcientiam. Quærunt Ieſum & non inueniunt, quia nondum templum & eccleſiam peruenerunt, & ait ad illos. Quid eſt, quod me quærabatis? Neſciebatis, quia in his quæ patris mei ſunt oportet me eſſe? Quid eſt, inquit, me in conuentu infidelium quærebatis & extra eccleſiam eſſe putabatis. Hic enim hic me quærat, qui querere vult. An neſciebatis quia in his quę patris mei ſunt & inter illos qui patris mei voluntatem faciunt, oportet me eſſe? Et ipſi non intellexerunt, verbum quod loquutus eſt ad illos. Non intellexerunt, quia cor cæcatum habebant, & in eccleſia gentium eſſe Chriſtum non agnoſcebant, quoniam cæcitas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſraël ſaluus fieret. Nam quia in extremo tempore ſaluator ad reliquias Iſraël reuertetur,

Iudæorũ feſta completa. *2.Cor.5.d* *Pſal.75.* *Parentes Chriſti.* *Matt.23.d* *Pſal.54.b* *Redire in Hieruſalẽ.* *Actu.2.f* *Audire noſtrum & audire Dei.* *Tribus modis interrogat Deus.* *Iob 42.b* *Iob 42.a* *Reſponde re Dei.* *Iob 13.d* *Vocare Dei Reſpõdere noſtrum & loqui.* *Rom.10.d* *Rom.11.d*

Saluator ad reliquias Iſraël reuertetur. uertetur, aptè ſubiungitur. Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis, Deſcendit enim nouiſsimè cum Hebræis, & venit Nazareth vbi nutritus fuerat, quia cum his qui de circunciſione crediderant, ſe miſericorditer inclinauit ad plebem Iſraëliticam. Quodtamen adhuc eſt futurum, licet narremus illud quaſi *1.Cor.4.f* præteritum. Et erat ſubditus illis, ſicut & de ſpiritu ſancto dicit apoſtolus quia ſpiritus prophetarum prophetis ſubiectus eſt, vt ſcilicet voluntatem eorum faceret, nec eorum arbitrio repugnaret. Hoc enim modo ſicut ſpiritus prophetarum prophetis ſubiectus eſt, ſic ſapientia prædicantium prædicantibus ſubiecta eſt. Sapientia verò prædicantium vel magiſtrorum Chriſtus eſt. Et mater eius cõſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo. Pia plebs circũciſionis ſedulo corde retinebat vel potiùs retinebit verba myſteriorum Chriſti, & Ieſus proficiebat ſapientia, ætate & gratia, apud Deum & homines. Ieſus proficiebat, quia ſermo prædicationis eius creſcebat. Proficiebat ſapientia, quoniam maior ſapientia reperiebatur ſemper in eius doctrina. Proficiebat & ætate, quoniam animæ proficientis ætas maturior iugiter inueniebatur in eius ſermone. Proficiebat & gratia, quoniam maiorem ſuis gratiam quotidiano profectu dabat. Non enim ſibi, ſed ſuis, profectus iſte fiebat. Apud Deum & homines ita proficiebat, quia & ad Dei gloriam & ad hominum ſalutem hæc gerebantur, & magis ac magis innoteſcebant angelis qui ſunt apud Deum, & hominibus ad exemplũ. Vnde laus & honor ſit eidem pio ſaluatori cum patre & ſpiritu ſancto, per infinita ſecula, Amen.

Secundum Lucam. Cap. III.

IN illo tempore: Factum eſt cum baptizaretur omnis populus, & Ieſu baptizato & orante, apertum eſt cœlum. Et reliqua.

Baptizauit Iohannes vniuerſum populum ad ſe venientem, quia ſi ſolum dominum baptizaſſet, non deeſſent qui putarent ſanctius fuiſſe baptiſmum Ioannis quàm Chriſti, quaſi baptiſmo Ioannis ſolus Chriſtus meruiſſet baptizari: baptiſmo autem Chriſti, genus humanum. Si enim ſolus Chriſtus baptiſmo Ioannis eſſet baptizatus, dicerent homines. Qualem baptiſmum habuit Ioannes? Magnum baptiſmum habuit, ineffabile ſacramentum. Videte: quia ſolus Chriſtus meruit baptizari baptiſmo Ioannis. Atque ita maior videretur baptiſmus ſerui quam baptiſmus domini. Baptizati ſunt igitur & alij baptiſmo Ioãnis, ne melior baptiſmus Ioannis videretur quam Chriſti. Baptizatus eſt autem dominus, vt domino ſuſcipiente baptiſmum ſerui non dedignarentur alij ſerui ſuſcipere baptiſmum domini. Baptizatus eſt Dominus, non ipſe aquis mundari, ſed ipſas mundare cupiens aquas, quę ablutæ per carnem eius peccati vtique neſciam, baptiſmi ius aſſumerent, & quod tot ſub lege baptiſmata nequiuerant contra prȩuaricationis malum vim regeneratiuæ ſanctificationis conciperet. Vnde bene euangeliſta cum baptizatum diceret omnem populum, nihil magni addidit, ſed Ieſu baptizato & orante apertum mox cœlum eſſe perhibuit. Quia dum corporis humilitate ſaluator vndas fluminis ſubijt, diuinitatis ſuæ potentia nobis cœli ianuas aperuit. Et dum carnem innoxiam frigentibus aquis tingeret, oppoſitum quondam noxijs ignitum portæ paradiſi gladium extinxit. Nam tota naturæ humanæ maſſa in primis parentibus eiecta de paradiſo fuerat, & ex illo tempore clauſa illi erat cœleſtis ianua. Sed huius naturæ particeps fieri clementer dignatus eſt dominus, & per hanc totius humani generis cauſam, vt verus aduocatus perorare. Hinc eſt, quod nunc baptizatus, mox cœpit orare. Nam ſicut pro nobis eſt baptizatus, ſic & pro nobis orauit, quia noſter eſt pontifex, ac pro nobis humanitati ſuæ cœlum quod vt diximus toti maſſæ generis humani clauſum erat, aperuit, & per eam cunctis hominibus qui mẽbra eius effecti fuerint. Sequitur: Et deſcendit ſpiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum. Rectè ſpiritus ſanctus in ſpecie corporali deſcendit, quia filius aſſumendo corporis veritatem, iam deſcenderat. Rectè & ſicut columba in eum ſpiritus deſcendit, vt eius manſuetudinem nobis intimaret. Ipſe enim iudex eſt generis humani. Sed quis eius ferret iuſtitiam, ſi priùs quam nos per mãſuetudinem colligeret, culpas noſtras per zelum rectitudinis examinare voluiſſet? Homo ergo pro hominibus factus, mitem ſe hominibus præbuit. Noluit peccatores ferire, ſed colligere. Priùs voluit manſuetè corrigere, vt haberet quos poſt modum in iudicio ſaluaret. In columba ergo apparere ſuper eum debuit ſpiritus, qui non venerat vt peccata per zelum iam percuteret, ſed adhuc per manſuetudinem toleraret. Non enim propterea tunc ſpiritus ſanctus in eũ deſcendit, vt ipſe tunc primo ſpiritum ſanctum acciperet, qui ſemper ab exordio ſuæ conceptionis ſpiritu ſancto plenus permanſerat. Sequitur: Et vox de cœlo facta eſt, tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi. Hanc vocem corporaliter ſonantem per angelicam creaturam pater emiſit. Tu inquit es filius meus. Non autem ipſum filium qui ſemper nouit omnia, ſed Ioannem & cæteros qui aderant hac voce docebat, quis eſſet quem filium Ioſeph putabant. Vnde Matthæus hac voce patris dicere maluit, hic eſt filius meus. Quod igitur ait tale eſt, Tu es filius meus, ex ſubſtantia mea naturaliter æqualis genitus, & idcirco dilectus, vt pote vnigenitus. In te complacui mihi, hoc eſt ſimul de omnibus quæ in te ſunt, vel quæ egiſti placui

Cur in columbæ ſpecie ſpiritus ſanctus ſuper Chriſtum deſcẽdit. *Matt.3.d*

mihi, quia nihil in te vnquam inueni nisi quod semper placet mihi, & propterea gratum mihi est quia te humanaui. In illis autem mihi quodammodo displicui, de quibus humano more quondam locutus sum: pœnitet me feciſſe eos.

Gene. 6. b Quod autem de capite diximus, referendum est ad membra vel corpus. Nam Iesu baptizato & oráte, apertum est cœlum, quia cum quilibet electorum eius baptizatus est, & non ocio vocat, sed deuotis precibus occupatur & iter virtutum arripit, tunc ei pórta regni cœlestis panditur. Et descendit spiritus sanctus in ipsum quia in eum qui baptizatus est & orat, venit almus spiritus, corporali specie, vt designet firmitatem donationis suæ. Sicut columba, vt innocentiam & simplicitatem se talibus afferre demonstret. Et vox de cœlo facta est, tu es filius meus: quia tunc primum quisque est filius Dei cum de baptismo ascendit. Et dilectus meus per præueniétem gratiam meam, qui priùs eras odibilis in malitia tua. In te complacui mihi, totum placet quod in te gessi, cum huc vsque displicuisset quicquid ipse gesseras. In eo autem quod pater in voce sonat & spiritus sanctus in columba descendit, filiusque baptizatus in homine, trinitas euidenter declaratur, in cuius nomine & fide vnusquisq; nostrum baptizatur. Sequitur: Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta: vt putabatur filius Ioseph. Iesus annorum triginta baptizatur, & tunc demum incipit signa facere & euangelium prædicare, legitimum videlicet & maturum tempus ætatis ostendens his qui omnem ætatem vel ad sacerdotium vel ad magisterium putant opportunam. Nam & Ioseph in typum huius nostri saluatoris triginta annorum erat, quando regni gubernacula suscepit, atque Dauid tricenarius regnare cœpit, & Iezechiel eiusdem ætatis erat quando vaticinium inchoauit. Talem igitur ætatem exemplo Christi debent habere qui sacerdotes fiunt vel doctores, aut aliquem huiusmodi primatum accipiunt. Potest verò tricenalis ætas baptizari saluatoris, etiam nostri baptismatis, intimare mysterium propter fidem, scilicet sanctæ trinitatis & operationem decalogi legis. Tres enim decadæ quæ sunt in tricenario, fidem & operationem eorum quibus prodest baptismus insinuant. fid ẽ in ternario & operationem in denario numero. Has enim tres decadas, habere eos qui baptizantur præcipiebat dominus, cum diceret. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quęcunque mandaui vobis. Vt putabatur, inquit, filius Ioseph. Hoc propter illos dictum est, qui eum reuerà carnaliter genitum ex carne Ioseph putabant, & quia per Ioseph qui propinquus erat virginis Mariæ describenda fuerat genealogia ipsius Mariæ quæ de spiritu sancto Christum concepit, quoniam non est consuetudinis scripturarum genealogias texere per fœminas. Ob hoc enim per Ioseph congruè describitur genealogia Christi, quia de eius coniuge licèt semper virgine, natus est. Cum autem Ioseph nominatus esset: subiunctum est. Qui fuit Heli, qui fuit Matath, qui fuit Leui &cæt. Matthæus verò descendens, sic ait. Matham autem ge- Matt. 1. b nuit Iacob, Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, Quid est, quod duos patres, id est, Heli & Iacob, habuisse videtur Ioseph. Cuius quæstionis difficultas, ita soluitur. Matham & Matath, de vna eademq; vxore est à nomine, singulos filios procrearunt, Quia Matham qui per Salomonem descendit, vxorem eam primus acceperat, & relicto filio Iacob nomine, defunctus est. Post cuius obitum Matath qui per Natam genus ducebat, cum esset ex eadem tribu, sed non ex eodem genere, accepit eam vxorem, genuitque ex ea filium nomine Heli. Per quod ex diuerso patrum genere efficiuntur Iacob & Heli vterini fratres. Quorum alter, id est, Iacob fratris Heli sine liberis defuncti vxorem ex mandato legis accipiens, genuit Ioseph naturaquidem germinis suum filium, propter quod & scribitur, Iacob autem genuit Ioseph. Secundum verò legis præceptum Heli efficitur filius cuius Iacob quia frater erat vxorem ad suscitandum fratri semen acceperat. Et per hoc rata inuenitur atque integra generatio, & ea quã Matthæus refert dicens: Iacob autem genuit Ioseph & ea quam Lucas designat dicens, vt puta- Matt. 1. b batur filius Ioseph, qui fuit Heli. Qui & ipse subsonante eadem distinctione Heli esse filius putabatur qui scilicet Heli fuerat filius Mathar. Quoniam euangelista legalem hanc successionem quæ velut adoptione quadam erga defunctos constat, magis quàm germinis veritate, cõpetenti satis per hoc designauit indicio, obseruans ne omnino in huiusmodi successionibus genuisse aliquem nominaret. Nec mireris si Lucas à Dauid vsque ad Christum plures successiones & Matthæus pauciores, hoc est, iste xl. tres, & ille. xx. octo posuit, cum per alias personas generatio fit decursa. Potest enim fieri vt alij longæuam transegerint vitam, alterius verò generationis viri in matura ætate decesserint, cum videamus complures senes cum suis nepotibus viuere, alios autem viros statim filijs obire susceptis. Lucas non sicut Matthæus ab initio euangelij sui, sed à baptismo Christi generationes narrat nec descendendo, sed ascendendo, tanquam sacerdotem in expiandis peccatis magis assignans vbi eum vox de cœlo declarauit, vbi testimonium Ioannes ipse perhibuit di- Ioan. 1. d cens: Ecce qui tollit peccata mundi. Ascendendo autem transit & ab Abraham peruenit ad Deum, cui mundati & expiati reconciliamur. Meritò & adoptionis originem ipse suscepit, quia per adoptionem efficimur filij Dei credendo in filium Dei. Satis autem demonstrauit,

Quæ ætate assumendũ doctoris et sacerdotis officium.

Mat. 28. c

uit, nõ se ideò dixisse Ioseph filium Heli, quod de illo genitus sit, quod illi fuerit adoptatus, cũ & ipsum Adam filium Dei dixit, cum sit factus à Deo, sed per gratiam, quam posteà peccando amisit, tanquam filius in paradiso constitutus sit. Qui tamen creditur per Christum accepta remissione culparum, inter filios adoptionis computatus. Quapropter in generationibus Matthæi significatur nostrorum susceptio peccatorum à Christo domino: in generationibus autem Lucæ designatur nostrorũ abolitio peccatorum à Christo domino. Ideò ille eas descendens enarrat, iste ascendens. Remissis enim peccatis ad Dominũ reuertimur & ascẽdimus, à quo per Adam peccantes recessimus, & huc delapsi sumus. Nam quod dicit apostolus, misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati, hæc est susceptio peccatorum. Quod autem addit, vt de peccato damnaret peccatum in carne, hæc est expiatio peccatorum. Proinde Matthæus à Dauid per Salomonem descendit, in cuius matre ille peccauit: Lucas verò ad ipsum Dauid per Nathan ascendit, per cuius nominis prophetam Deus peccatum illius expiauit. Ignoramus autem vel parum nouimus, qui vel cuius meriti fuerint viri quos Lucas posuit à Ioseph vsque ad Zorobabel, & à Salathiel vsque ad Nathan, filium: Dauid præterquam quod de genere Dauid eos fuisse non dubitamus. Ait autem inter cætera. Qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel: qui fuit Neri, Quod & Matthæus ita retulit: Ieconias genuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel, Zorobabel autem genuit Eliud. Ecce iuxta duos euangelistas & Salathiel habuisse videtur duos patres, id est, Ieconiam & Neri. Sed aliquid tale, & de his duobus intelligi debet, quale superiùs dictum est de binis patribus Ioseph. Nam apud hebræos, generationum nomina, nunc secundum naturam, nunc secundum legem computantur. Secundum naturam, cum ex seminis veritate descendunt: secundum legem, cum quis filius alio generante substituitur, sub nomine fratris defuncti sine liberis. Nam & ille defunctus, non falso dicitur pater filij huiusmodi. Alter ergo duorum patrum Salathiel intelligitur secundum carnem, alter secundum legem, vel secundum adoptionem. Frequens enim erat apud Iudæos adoptandi consuetudo, & non incongrue dicitur quis eum genuisse quem adoptauit, quia videlicet beneficio illum genuit. Hoc etiam quod iuxta duas euangelistas Salathiel est pater Zorobabel, nisi prædictæ rationes occurrerent, dissonare videretur à verbis dierum, vbi scriptum est, quia filij Ieconię fuerunt Salathiel & Fadaia, & de Fadaia orti sunt Zorobabel & Semei. Sed Zorobabel secundum naturam ortus ex Fadaia, intelligitur secundum legem appellari filius Salathiel. Nam ipse Zorobabel erat primogenitus, & primogenitus nomine fratris defuncti iussus est vocari. Potuit etiam fieri, vt Salathiel Zorobabelem filium Fadaiæ fratris sui adoptaret in filiũ, sicut legimus, quia Mardocheus Hester filiam fratris sui adopta- Hest. 2. b uit in filiam. Item Zorobabel ostenditur hic habuisse filios Heliud & Resa, cum in septem filijs quos secundum verba dierum genuit nul- 1. Para. 3. c lus ita vocatus sit, nisi fortè aliqui eorum nominibus vsi fuerint. Hoc enim sæpe contingebat. Aut si hoc non fuit, constat pro certo, quia vel secundum legis præceptum, vel secundum adoptionis beneficium, hi duo fuerunt eius filij. Rursum inter alia dicitur: Qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad. Nomen autem generationis huius Cainan, iuxta hebraicum in Genesi non inuenitur, sed Arphaxad Sale filium nullo interposito genuisse refertur. Sic enim legimus: Porrò Arphaxad vixit Gene. 11. b xxx. quinque annis, & genuit Sale. Sed euangelista sumpsit hanc generationem de lxx. interpretum editione, vbi scriptum est, quod Arphaxad cxxxv. annorum genuerit Cainan, & ipse Cainan cum cxxx. esset annorum genuerit Sale. Nemo autem fidelium putet hoc in lo- *Septuagin* co lxx. translatores erraſſe, sed credat indubi- *ta transla-* tanter, eos quod verum esse nouerant posuisse *tores ueras* & quod Moyses minus dixerat suppleſſe. Ne- *ces.* que enim spiritus sanctus hoc in euangelio posuisset, nisi verum omnino esset. Nam ipsi lxx. seniores à tempore Moysi magisterium in synagoga tenebant, & de spiritu Moysi acceperant, ac legem ex ipsius Moysi traditione dicerant, ideoque si quid ibi prætermissum esset, & suppleri posset vt aliter interpretari nouerãt. Moyses verò propter aliquam causam quę Deo nota est transilijt generationem Cainan, & partem annorum qui sub eo & sub eius patre fluxerunt. Fortasse enim cum secundam ætatem describeret, voluit à diluuio vsque ad Abraam decem solummodo generationes ponere, & ideò generationem vnam prætermisit. Nam & Matthæus à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis xiiij generationes ponere volens, prætermisit tres, vbi ait: Ioram autem genuit Oziam. Sicut ergo Ioram, tribus in medio positis Matt. 1. b genuisse dicitur Oziam: sic & Arphaxad vno Cainan interposito dicitur genuisse Sale. Quod autem pars annorum in scripturis sanctis aliquando ponatur, & pars omittatur, ostendit liber regum dicens, Filius vnius anni erat Saul 1. Reg. 13. a cum Regnare cœpisset, duobus autem annis regnauit super Israël. Nunquid enim vnum tantummodo ætatis annum habebat, qui ab humero & sursum altior cunctis erat? Et nunquid duobus solummodo annis regnauit, qui tam longo tempore regnum tenuit? Sicut igitur pars annorum Saul est prætermissa, sic & pars

Primi paralip. 3. c

annorum Arphaxad & Cainan. Itaq; veridicus eſt & Moyſes & noſter euangeliſta cum ſeptuaginta ſenioribus. Item qui fuit, inquit, Enoch. Et pulchrè generationum ordo à baptizato Dei filio vſque ad Deum patrem aſcendens, ſeptuageſimo gradu Enoch habet, qui dilata morte translatus eſt in paradiſum, vt ſignificet eos qui in gratia adoptionis filiorum ex aqua & ſpiritu ſancto regenerantur, interim poſt abſolutionem corporis, æternam ſuſcipiendos in requiem. ſeptuagenarius quippe numerus, propter ſeptimam ſabbati, ad requiem eorum ſignificādam, qui iuuante Chriſti gratia decalogum legis impleuerunt, aptiſsimè congruit, & in tempore reſurrectionis indemutabili Dei ſapientiæ contemplandę per ſecula monſtret eſſe iungendos. Ad vltimū verò dicitur. Qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei. Quia Chriſtus iuſtitiæ ſuæ patriſq; nos expiatos ab omni peccato purgatoſq; coniungit, vt fiat quod ait Apoſtolus.

1. Cor. 6. d

Qui autem adhæret domino, vnus ſpiritus eſt, propterea in hoc numero generationum, & ipſe Chriſtus à quo incipit enumeratio, & Deus ad quem peruenit, connumerantur, & fit numerus ſeptuaginta ſeptem, quo ſignificatur omnium prorſus remiſsio & abolitio peccatorum, quam etiā ipſe dominus per huius numeri myſterium euidenter expreſsit dicens, remittendum eſſe peccata non ſolum ſepties, ſed etiam vſque ſeptuagies ſepties.

Septuagenarij numeri ſignificatio.

Matt. 18. c

Nec fruſtra iſte numerus ad peccatorum omnium pertinet mundationem, ſi diligentiùs inquiratur. Cōſtat enim ex vndenario & ſeptenario: quia vel vndecies ſeptem, vel ſepties vndecim, faciunt ſeptuaginta ſeptem. Vndenarius verò tranſgreſsionem denarij ſignificat. Denarius quippè tāquam iuſtitiæ numerus, in decem præceptis legis oſtenditur. Porrò peccatum eſt legis trāſgreſsio, & vtique tranſgreſsio denarij numeri, congruenter vndenario figuratur. Vnde & vela cilicina iubētur in tabernaculo vndecim fieri. Quis autem dubitet ad peccati ſignificationem, ciliciū pertinere.

Vndenarius numerus.

Denarius numerus.

Vela templi cilicina ad peccatū pertinent.

Ac per hoc quia vniuerſum tēpus ſeptenario dierū numero voluitur, conuenienter vndenario ſepties multiplicato, ad numerum ſeptuageſimum & ſeptimum cuncta peccata quæ temporaliter geruntur perueniunt. In quo numero etiam fit plena remiſsio peccatorum, expiante nos carne ſacerdotis noſtri, à quo nunc iſte numerus incipit, & reconciliante nos Deo, ad quem nunc iſte numerus peruenit, per ſpiritumſanctum, qui in columbæ ſpecie in hoc baptiſmo vbi numerus ipſe commemoratur apparuit.

Matt. 3. d

At ſi in denario perfectio beatitudinis ſignificatur, vnde eſt etiam illud quod oēs conducti ad vineā denario remunerantur, quod fit cùm ſeptenaria creatura, id eſt, homo interior & exterior trinitati quæ Deus eſt, adiungitur, manifeſtum eſt quod tranſgreſsio denarij peccatum ſignificat, per ſuperbiam plus aliquid habere cupiētis & integritatem perfectionemq́ue amittentis. Vndenarius autem ideò ſepties dicitur, vt motu hominis fieri ſignificetur ipſa tranſgreſsio. Ternario enim numero incorporea pars hominis deſignatur, vbi Deum toto corde & tota anima & tota mente diligere iubetur. Quaternario autem corpus exprimitur, propter quatuor eius principalia membra, vel propter quatuor elementa quibus conſtat.

Ternarius numerus.

Deut. 6. a

Quaternarius.

Et ex his compoſitus homo, aptè deſignatur ſeptenario, Motus autem in numeris non exprimitur, cùm vnum, duo, tria, quatuor & cæt. ſed cùm dicimus ſemel, bis, ter, quater. Ideoq́ue non ſeptem & vndecim, ſed ſepties vndecim ſignificatur tranſgreſsio, quæ motu facta hominis peccantis, hoc eſt, perfectionis ſuæ ſtabilitatem tranſgredientis cupiditate amplius aliquid habendi. Itaque quia in ſeptuageſimo ſeptimo numero deſignatur, & primi hominis & cæterorum qui ex eo prodierunt, tranſgreſsio, apte Deus ſeptuageſima & ſeptima generatione venit, aboliturus omnia peccata ſuorum fidelium.

Septuageſima & ſeptima generatione venit Chriſtus.

Omnes enim qui more Chriſtiano accedunt ad lauacrum continentur in myſterio ſeptuaginta & ſeptem generationum, & ideò remiſsionem peccatorum conſequuntur ab eo qui tot generationes mundans in hoc numero remiſsionem culparum conſtituit, & in fine tot generationum venit tollere peccata mundi. Nō ſolùm enim eos qui in nouo teſtamento baptizantur purificat, ſed & illos qui ab exordio mūdi in eum venturum rectè crediderant. Vnde ſurſum redeundo numerat euangeliſta ſanctas has generationes, vt oſtendat & ad omnes eas pertingere purgatoriam & reconciliatricem Chriſti gratiam, omneſq; qui nunc baptiſmi ſacramentum rectè ſeruāt ad Deum redire.

Cur aſ… dat Lu… numer…

Nam gratia diuinæ incarnationis & purificationis in omnes retrò generationes aſcendit, vt intelligamus nullum tempus vnquā ſine electis Chriſti tranſiſſe, qui per eum ab originali culpa ſunt liberati. Propter quod & ipſe Adam quem Dei ſapientia quæ Chriſtus eſt, eduxit, vt ſcriptum eſt à delicto ſuo, in fine relationis generationum, filius Dei per hanc Chriſti gratiam oſtenditur.

Sap. 10. a

Ac inde pater Deus, Chriſtum Deū & hominem recipit, & per hunc omnes qui mēbra ſunt eius. Deinde nomina patrum retrò ſic interpretari ſtudeamus, vt aſcenſum in his atque prouectum ſemper intelligamus, ac ſeriem genealogiæ ipſorum veluti ſcalam vſq; ad Deū, per quam & omnes baptizati gradatim aſcendere debeant. Hæc enim genealogia quæ à Ieſu baptizato ad Deum tendit, videtur nobis eſſe ſcala illa, de qua legimus: quia Iacob lapidem ſupponens capiti ſuo dormiuit, & vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum, angelos quoq; Dei

Gene. 28.

aſcen-

aſcendentes & deſcendentes per eā, & dominū innixum ſcalæ. Lapis enim capiti ſuppoſitus, & velut fundamentum ſcalæ factus, Chriſtus eſt, qui ſeipſum humiliauit, vt omnes ſuos exaltaret, qui ſicut fundamentum omnes portat, & à nullo portatur. Et per hanc genealogiæ ſcalam, alij aſcendunt & alij deſcendunt. Aſcendunt qui proficiunt, deſcendunt qui deficiunt. Angeli autem, id eſt, nuncij Dei vocantur, quia Chriſtum loquuntur: Quiſquis igitur in Chriſto baptizatus eſt, apertum eſt ei cœlum, & Deus deſuper paratus eſt eum ſuſcipere, ſed ille per gradus ſcalæ, quæ à baptiſmo vſque ad Deum porrecta eſt, debet aſcendere: quia & ſicut Salomon ait, ſemita vitæ ſuper eruditum, qua ſcilicet eruditus ipſe tendat in cœlum. Nam & populus Iſraël tranſito mari rubro non ſtetit, ſed poſteà longis itineribus ac laboribus ad terram promiſsionis peruenit. Sic & qui baptizatus eſt, non ſit piger, ſed per viam mandatorum Dei tendat ad cœleſtem patriam ſibi promiſſam, & per gradus ſcalæ generationis conetur aſcendere, ſi ad Deum, qui in ſummitate eius eſt, deſiderat peruenire. Hæc autem genealogiæ ſcala via eſt ad cœlum & ad Deum ducens, quam quò veriùs quiſque aſcendit, eò potentiùs illuc peruenit. Alius enim alio fortius eam ſcandit, & alius adhuc fortius vel perfectius, ſicut vnicuique diuinitùs eſt datum. Væ autem illi, qui nullum eius gradum aſcenderit, quia in infimis remanebit. Veniamus igitur ad hos gradus, interpretando patrum nomina.

Act. 4. c

Humillimus omnium inuenitur Ieſus, vtpote fundamentum vniuerſorum, interpretatur ſaluator, quia ipſe ſolus humanum genus ſaluat, & non eſt in alio aliquo ſalus. Neque enim eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Huius itaq; ſalutis per baptiſmum quiſque fieri particeps inchoat. Sed ſi vult non amittere quod gratis accepit, oportet vt in eo creſcere ſtudeat per proprium laborem ſanctæ actionis. Vnde mox Ioſeph ponitur, qui augmentum interpretatur: quia ille augmentum, gratiæ poſt baptiſmum conſequitur, qui ad bene agendum piger non fuerit. Inde ſequitur Eli, qui aſcendens dicitur, vt aſcenſum proficientis de virtute in virtutem ſignificet. Deinde eſt Matath, qui donum interpretatur: quia qui virtutum gradibus ad alta nititur, maioris adhuc gratiæ donum conſequitur. Et inde ſequitur Leui: qui aſſumptus dicitur: quia Deus illum ſibi aſſumpſit ad iugem famulatum ſuum, confirmans in aſsiduitate bonorum operum. Sequitur & Melchi, qui rex meus interpretatur, quia ſæpè contingit, vt qui iam talis eſt, rector eccleſiæ efficiatur. Sed & Iannai ſequitur, qui præparatus dicitur: quia talis vir ad omne bonum opus eſt iam paratus. Ioſeph quoque ſubiungitur, qui ſicut ſuprà dictum eſt, augmentum interpretatur: quia proficit ſemper & religionis augmentum capit. Necnon & Mathatias, qui donum Dei dicitur: quia donum diuinæ gratiæ nouis adhuc in eum beneficijs infunditur. Et Amos, qui honorans vel fortis, vel populum auellens interpretatur: quia Deum honorat bene viuendo, & fortis eſt ad aduerſa toleranda, & doctrinis ac exemplis ſuis ab amore mundi cor auellit populi: Sed & Naum, qui conſolator vel conſolatio dicitur, quia illos, qui temporalia contempſerunt, promiſsione æternorum conſolatur. Eſeli quoque, qui vicinus meus dicitur: quia vicinus ei fit, quem conſolatione demulcet.

al. Hesli.

Et Nagge, qui ſolennitas interpretatur: quia ipſe ſolennitas lætitiæ fit ei, quem conſolatur. Atque Natat vel Manat, qui requieſcens dicitur: quia requieſcit iam in ſecreto diuinæ contemplationis ſequeſtratus à labore ſecularis cupiditatis, vel in eo requiem habet, quem ſuam conſolationem accepiſſe videt, & in tribulationibus pro Chriſto iam gloriari. Sed & Mathatias, qui donum Dei ſicut præmiſimus dicitur: quia maius adhuc donum ſupernæ gratiæ percipit, propter ſupradicta bona, quæ ſic agere ſtuduit. Neque enim de antiquis patribus, quorum nomina interpretamur iſta dicimus: licèt & de ipſis fortaſsè poſsint intelligi, ſed potiùs de vno quolibet iuſto viro, quem per hos virtutum gradus à baptiſmo aſcendentē ad Deum deſcribimus. Nam per hos aſcendit electorum eccleſia, de qua dicitur: Deus in gradibus eius cognoſcetur, cùm ſuſcipiet eam.

Pſal. 47. a

Per hos etiam ſanctus Iob aſcendebat, dicens: Per ſingulos gradus meos pronunciabo illum.

Iob. 31. d

Ad ordinem ergò graduum reuertamur, vt & cæteros videamus. Nam Semei ſequitur, qui audiens interpretatur: vt auditum obedientiæ in ſancto viro deſignet. Sequitur & Ioſeph, qui ſicut iam bis dictum eſt, augmentum interpretatur: quia nouum augmentum ſemper iuſtus adipiſci ſtudet. Sed & Iuda ſequitur, qui confeſsio vel laudatio dicitur: cōfeſsionem laudis ſemper Deo reddit. Et Ioanna, dicitur, cui eſt gratia vel dominus gratia eius: quoniam multa ineſt ei gratia, & ipſa gratia dominus eſt, vt domino Deo in ſe manente gratioſus ſit. Et Reſa, qui caput eius interpretatur: quia dominus, qui eſt gratia eius, ipſe eſt & caput eius. Talis enim dignus eſt habere Chriſtum caput. Sequitur & Zorobabel, qui interpretatur ortus in Babylone, vel ipſe magiſter Babylonis: quia talis vir inter iniquos primò naſcitur, poſtmodum docet eos quomodo poſſunt ad ſalutem pertingere. Et Salathiel, cuius interpretatio eſt petitio mea Deus: quia iſte iam nihil niſi Deum appetit, ſciens quia nihil ad beatitudinem ſibi, niſi Deus ſufficit. Et Neri, qui dicitur lucerna mea: quia talis Deo poteſt dicere: Lucerna pedibus meis verbum tuū, vel nos de illo: qui lucerna eius eſt agnus. Et Melchi, qui rex meus interpretatur: atque ſubauditur à ſuperioribus Deus, vt iſte

Pſal. 118.

Apo. 12. dicat rex meus Deus. Talis enim non vitium aliquod, sed solum Deum habet regem. Vel ecclesia de illo potest dicere, Neri & Melchi, id est, lucerna mea rex meus.: quia ipse eum illuminat & regit. Sequitur & Addai, qui robustus interpretatur: quia vir iste cordis robore est prævalidus. Et Cosam vel Cusam, qui dicitur Aethiopia eorum: quia illis qui tenebras putant lucem, & lucem tenebras, videtur huiusmodi vir nigredo eorum, qua multi tenebrescant, quoniam multos illuminat. Vel Aethiopia eorum, id est, denigratio eorum dicitur, quia comparatione luminis doctrinæ & sanctitatis suæ, nigredine vitiorum & errorum opertos esse eos declarat. Elmodath quoque sequitur, qui Dei mensura dicitur: quia iste tam regulariter & moderatè semper agit, vt mensuram regulæ diuinitùs sibi datæ non excedat. Et Her, qui vigilans interpretatur, quoniam iuxta præceptum Euangelij semper vigilat. Atque Iesus qui salutaris vel saluator dicitur: quia salutem multorum verbis & exemplis operatur. Nam qui Iaco. 5. d conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte. Sequitur & Heliezer, qui Dei auxilium, vel Deus meus adiutor interpretatur: quia ipse multis fit Dei auxilium, & multos per eum Deus adiuuat. Atque Iorim, qui dicitur dominus exaltans, vel est exaltans: quia per eum Dominus exaltat, & ipse quos valet exaltare, non cessat, dum eos ab infimis cupiditatibus eleuat, dicens, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in Coloss. 3. a dextera Dei sedens. Sed & Matath, qui donum interpretatur: quia in eo redundat donum gratiæ cœlestis, vt eum Deus multis in salutem dedit. Leui quoque, qui dicitur assumptus: Deus enim illum assumpsit, id est, sibi specialius seruientem, & constanter perseuerantem fecit. Sequitur & Simeon, qui dicitur exauditio: quia talis vir est exauditio precis multorum effusæ coram domino pro doctore salutifero. Interpretatur etiam Simeon audiens tristitiam: quia piè compatiens audit tristitiam luctus pœnitentium. Iuda quoq; sequitur, qui confidens dicitur: quia confessionem laudis Deo magis ac magis semper eò amplius reddit, quò amplius in virtutibus proficit. Vnde & Ioseph subditur, qui augmentum interpretatur, vt augmentum meritorum quotidiano profectu designet in eo fieri. Sequitur & Eliachim, qui Dei resurrectio dicitur. Ipse enim fit multorum cordibus resurrectio diuinæ gratiæ, quæ al. Melcha. per peccatum in eis ceciderat. Et Mælea, qui laudans interpretatur, laudat enim semper dominum. Sed & Enam, qui oculus eorum dicitur: al. Memna. quia talis vir prouidet alijs. Et Mathatha, qui donum eius, id est, donum Dei interpretatur: quia ipse est donum Dei, vel in eo est donum Dei. Atque Nathan, qui dicitur dedit vel dantis: quia prædictum Dei donum dedit ipse Deus, & illud donum est eius dantis. Vel ipse vir Dei dedit cæteris donum Dei quod acceperat. Hinc sequitur & Dauid, qui interpretatur manu fortis vel desiderabilis: quia in opere fortis est, & merito suæ sanctitatis desideratur à multis. Iesse quoque qui dicitur insulæ libamẽ: quia ipse quasi quoddam sacrificij libamen offertur Deo, ab ecclesia quæ velut insula tunditur vndique fluctibus seculi, nec mouetur. Necnon & Obed, qui seruiens interpretatur: quia Deo seruit in conscientia pura. Atque Booz, qui dicitur in fortitudine: quia in fortitudine magnanimitatis Deo seruit ex deuotione charitatis. Et Salmon, qui dicitur dependens siue perfectio: quia eleuatus à terrenis, quantum valet cœlestibus adhæret, & pro posse perfectus est. Sed & Naason, qui serpentinus interpretatur: quia serpentis astutiam habet, & serpentem æreum quem Moyses in heremo suspendit, hoc est, Christum, imitatur. Aminadab quoque, qui dicitur populus meus spontaneus: quia idem vir iustus fit populus Dei spontaneus atque voluntarius, dum per prædicationẽ facit multum fructum in multiplicatione fideliũ voluntariè Deo sacrificantium. Necnon & Aran, qui dicitur excelsus: quia completum est in eo propheticum illud: Sustollam te super altitudines terræ, vel Isaiæ 58. d constitui te super gentes & super regna. Esrom Iere. 1. b quoque sequitur, qui sagittam videns interpretatur: quia quò excelsius in arce mentis residet, eò liberiùs iacula tentationum hostis antiqui præuidet. Et Phares, qui diuisio vel dissipans dicitur: quia sagittas inimici quas præuidet, diuidit ac dissipat. Sed & Iudas, qui confitens vel glorificans interpretatur: quia confitetur humiliter si quid adhuc ei humanum accidit, vel confessionem gloriæ Deo reddit. Necnon & Iacob, qui supplantator dicitur: quia supplantat vitia in se vel in alijs. Solent enim & post multa virtutum exercitia, pulsare mentem aliqua vitiorum contamina. Sequitur & Isaac, qui risus vel gaudium dicitur: quia de supplantatis vitijs lætatur. Et Abraham, qui interpretatur pater videns populum: quia talis multorum fit pater, & spiritualium filiorum suorum videt ingentem populum, ac virtutum quas genuit exercitum. His quas describimus virtutum gradibus, & quas ostendunt interpretationes istorum nominum, vir iustus quotidie proficiendo fit semper cœlo vicinior, & his in cœlum psal. 82. ascensionem suam ædificat, ac cantica graduum cantans, ascensiones in corde suo disponit, & de virtute in virtutem assiduè proficit, vt tandem in Syon Deum Deorum videre possit. Vnde & vltra Abraham adhuc Euangelista patres referens ascendendo transit, & vsque ad ipsum Deũ peruenit, vt ei virum sanctum per hanc graduum scalam ascendentem ad vltimum iungat. Nam post Abraham qui pater videns populum dicitur

dicitur, est superiùs Thare qui pastura vel pascens interpretatur, vt significet illum eos pabulo verbi uutrire, quos spiritualiter genuit. Et inde sequitur Nachor, eius interpretatio est requiescẽs luce vel obsecratio nouissima: quia hoc solùm vir iste quærit, vt requiescat & placeat coram Deo in lumine viuentium, & pro al. Saruch. nouissimis obsecrat. Atque Serug qui perfectus dicitur, vt perfectionem virtutum adeptus esse monstretur. Sed & Ragau siue Reu, qui dicitur ægrotans vel pascens, siue pastio: quia ægrè fert moras vitæ præsentis, & corporale robur in eo spiritualium virtutum exercitijs emarcuit, ouesque dominicas pascit. Necnon & Phaleg, qui diuidens vel diuisit interpretatur: quia subtiliter discernens inter virtutes & vitia, separauit preciosum à vili. Et Eber, qui transitor dicitur: quia non fixit mentem in amore præsentis seculi, sed ad futurum seculum desiderijs & profectibus assiduè tendit. Sed & Sale, qui pax interpretatur: quia iam extinctis vitijs magna pace delectatur in virtutum actionibus. Atque Cainan, qui dicitur possessio eorum: quia iste iam à bonis, hoc est, à virtutibus possidetur, nec vllum in eo vitium aliquid dominationis habet. Et Arphaxad, qui sanans depopulationem interpretatur, quia virtutum deuastationem, quas hostis antiquus in multis læsit, ac barbaricè destruxit, ipse sanat & reparat. Necnon & Sem, cuius interpretatio est, nomen vel nominatus, quia qui talibus studet, clarum ac celebre nomen possidet. Sed & Noë, qui requies vel requiescit interpretatur, quoniam Dauitico labore debellatis vitiorum cuneis, requiescit in pace Salomonis. Post hæc sequitur Lamech, cuius interpretatio est humiliatus vel percussus, siue percutiens, & eum significare videtur, qui post diutina virtutum exercitia peruenit ad martyrij gloriam, & humiliatus ac percussus supplicijs, hostem suum spiritualiter grauius percutit. Et aptè subditur Mathusale, qui interpretatur mortuus est, & interrogauit, vel mortis emissio, quia talis quisque pro iustitia mortuus exemplo vel memoria suæ mortis interrogat, & conuenit singulorum conscientias, vtrùm iustitiam & vitam perennem diligant, an solis temporalibus delectentur & mortem à se funditus emisit, vt iam nullatenus à morte lædi vel tangi valeat, sed in perpetuum viuat. Pulchrè & Enoch adijcitur, qui dedicatio dicitur, quia taliter consummatus, in illius seculi al. Iareth. felicitate dedicatur. Et Iarez, qui descendens vel roborans interpretatur, quoniam pia condescensione de supernis inclinatur ad nos, vt nostram infirmitatem roboret. Atque Malaleël, cuius interpretatio est laudans Deum, quia diuinis laudibus in excelsis vacat. Necnon & Cainam, qui dicitur possessio eorum, quoniam pater & filius & spiritus sanctus, qui sunt vnus Deus, possidens illum in cœlestibus. Et Enos, qui violentus interpretatur, quoniam violentia nimiæ virtutis suæ regnum cœlorum rapuit, quod à diebus Ioannis Baptistæ vim pa- Matt. 12. b titur, & violenti diripiunt illud. Atque Seth, cuius interpretatio est positus vel positio, quia nunc in regno illo supernæ beatitudinis, à quo diu exulauerat, est positus. Interpretatur etiam semen vel resurrectio: quia seminatum est corpus eius animale, sed surget idem corpus ipsius spiritale. Ad vltimum in superiori 1. Co. 15. f ponitur Adam, qui interpretatur homo: quia his profectuum gradibus fidelis quilibet promotus, & corporis etiam resurrectione innouatus, summam perfectionem, illam consequitur, quam homo vel habuit, vel habere potest, vt tunc perfectus sit homo, & idoneus iam inseparabiliter adhærere Deo. Vnde & in summo cacumine super omnia Deus ipse ponitur, vsque ad quem gradus scalæ generationis describuntur, ibique finiuntur: quia ibi finis est nostræ perfectionis vsque ad quem tendimus, vt in ipso fine fine quiescamus. Ibi enim est sufficientia bonorum omnium: quia tunc Deus est omnia in omnibus, vt nulli sit opus vltrà quicquam quærere. Locus autem præmissus, quem de martyre nunc interpretati sumus, intelligi potest & de eo perfecto, qui non per martyrij passionem ex hac luce migrat, neque enim omnes perfecti ferro perimuntur. Nam Lamech interpretatur humilis vel humiliatus. Mathusale verò mortuus est, & interrogauit. Enoch autem dedicatio, & Iareth descendens. Soletque frequenter euenire, vt qui diu laudabilibus virtutum operibus insudauit, inanis gloriæ typo moueatur, vt exterius gloriari de virtutibus incipiat. Et ideò nunc iste post tot laudabiliter acta dicitur humilis: quia quantò magnus est, humiliat se in omnibus, & ab omni vitio iactantiæ vel superbiæ fit alienus. Et qui seculi gloriam sic abiecit, mortuum se mundo esse comprobauit. Exemploque talis suæ mortis cæteros interrogat, quis eorum sic mũdo mori appetat. Et hinc sequitur dedicatio: quia iam per contemplationem in supernis dedicatur. Et inde fit descendens, quia vt cæteros ad ea quæ sursum contemplari solitus est, eleuet, ad eorum ima piè descendit, iuxta illud Apostoli: Siue mente excedimus Deo, siue sobrij sumus, vobis. Duo nomina quæ sequuntur, id est, Malaleel, cuius interpretatio sonat laudans Deum, & Cainan, qui 1. Co. 5. e dicitur possessio eorum, indicant mysticè quid agatur in illa contemplationis dedicatione, & ad proximos descẽsione, quia videlicet ibi Deum laudat, & hic possidetur ab illis quorum vtilitatibus seruit. Sequitur & Enos, cuius interpretatio est desperatus, quia spem in temporalibus & caducis habere contempsit, iuxta illud beati Iob, Desperaui, nequaquã vltrà iam viuã. Iob. 7. c

Mortuus

Iob. 7. c Mortuus enim mundo, non habet iam spem in eo. Deinde venit Seth, qui dicitur positio vel resurrectio: quia nunc ponit corpus quod in fine resurget. Et tunc erit perfectus homo, reformatus in antiquum & meliorem statum, sicut consequens insinuat Adam, qui interpretatur homo, & primus fuit conditus, sicque iam sociabitur Deo, vt ei perpetualiter inhærens viuat in ipso. Ob hoc enim se Dei filius misericorditer humiliauit, vt vsque ad hanc celsitudinem suos qui lapsi fuerant exaltaret, & ex gradibus generationum per quos eciderant, fecit eis gradus virtutum, per quos ascenderent. Quos scilicet gradus in nominibus patrum, vt ostensum est designatos, vnusquisque proficientium iuxta modum suum ascendit, & aliquid de singulis virtutibus assequitur, sed tantò fortius & gloriosius ad Deum peruenit, quantò verius ac perfectius in his profecerit, tantoque rursum tardius ac difficilius ad eum pertingit, quantò remissius ac negligentius in his egerit. Posset autem de vnoquoque gradu vel nomine prolixa fieri loquutio, sed cauendum erat fastidium, & relinquendum eis qui sciunt ex paucis multa dicere, vnde possent & ipsi tractare. Nam & multas ipsorum nominum interpretationes, quas similiter proferre quiuissemus prætermisimus, multasque alias adhuc esse, quarum notitiam necdum attigimus non dubitamus, quæ suos habent mysticos sensus. Et ideò nihil perfectionis in obseruatione iustitiæ consequi possunt homines Dei, quod in hac genealogiæ scala figuraliter non sit expressum. Sed & brauium ad quod per eam tendunt, ipse Deus sursum in fine positus est. Principium verò profectus vel ascensionis huius de qua tractatum est, dominus in seipso statim nobis indicauit, de quo subiunctum est: Iesus autem plenus spiritu sancto, regressus est
Colo. 2. b ab Iordane. Non autem dicitur afflatus spiritu sancto, sed plenus, quia in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. non enim ad mensuram dat Deus spiritum ipsi, videlicet Christo. Nam cæteris sanctis dat eum
Ioan. 3. d ad mensuram, huic autem immensurabiliter, id est, totum ipsum immensum spiritum. Neque primùm impletus est spiriritu sancto, sed ex quo cœpit in vtero virginis concipi, semper in eo totus mansit spiritus sanctus. Sed idcircò nunc illo plenus fuisse dicitur, quia nunc cœpit operibus declarare plenitudinem eius in se manere. Et sic regressus est ab Iordane, quia regnum principis mundi aggressus est destruere à baptismo, regnumque suum in orbe nouum construere. Nam & quilibet fidelis eius acceptio in baptismate spiritu sancto regreditur ab Iordane, cùm à lauacro rediens, aduersum seculi vita, in quibus antè conuersabatur, pugnam inchoat. Ab Iordane enim regreditur, qui à baptismo ad certamen contra relictas mundi tentationes properat, vt his deuictis coronam vitæ mereatur per ipsum mediatorem Dei & hominum, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

Secundum Lucam. Cap. II.

IN illo tempore: Postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, vt sisterent eum domino, sicut scriptum est in lege domini: quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum domino vocabitur. Et reliqua.

Præclaram huius diei festiuitatem celebrantes, gratulemur super beneficijs in ea nobis diuinitùs concessis. Nam neque virgo quæ de sancto spiritu concipere digna fuit, neque filius quem ita genuit purgatione indiguit, sed in eorum purgatione nostram purgationem Deus præparauit, ac præfigurauit, qui multis sordibus infecti, multimoda purgatione indigemus. Quæ igitur de domino nunc historialiter in euangelica lectione narrantur, de nobis spiritualiter intelligantur: quia si membra vel corpus eius sumus, ipse in nobis est: & quæ de nobis fiunt, & de illo fieri rectè dicuntur. Nam & corpus Christi, quod est ecclesia, vocatur Christus,
1. Cor. 12 Apostolo dicente: Sicut corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis, cùm sint multa, vnum corpus sunt, ita & Christus. Vnde patet, quia simul & vniuersi fideles cum capite suo, sunt Christus. Quod & ex multis alijs scripturarum locis, probari potest. Cùm ergò de purgatione Christi loquimur, ad illam eius partem quæ purgatione indiget referamus, id est, ad corpus. Itaque vel ad corpus, vel ad quodlibet membrum eius mysticè referatur, quod nunc historialiter de capite legitur: quia postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino. Dies enim purgationis populi fidelium vel ecclesiæ, id est, corporis Christi implétur quidem quotidie, dum vnusquisq; eorum magis ac magis purgari atque mundari iugiter satagit, sed impleti non erunt ex toto, nisi in fine seculi. Finis tamen seculi est vnicuique hora obitus sui, & qui mundatus à peccatis omnibus in obitu suo repertus fuerit, impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysi. Nam quadraginta diebus secundum legem fiebat ista purgatio, & quadragenarius numerus, vel spacium quod est vsque ad finem seculi, vel tempus vitæ vniuscuiusq; nostrum significat. Expleto igitur tali quadragenario, impleti erũt dies purgationis vel ecclesiæ vel cuiuslibet iustorum. Ita enim lex loquitur: Mulier si susceptо semine pepererit masculũ, immunda erit septem diebus,
Leui. 12 iuxta

Dies purgationis quotidie impletur.

Quadragenarij numeri significatio.

iuxta dies separationis menstruæ, & die octauo circuncidetur infantulus. Ipsa verò triginta diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur sanctuarium, donec impleantur dies purgationis eius. Et quæ est ista mulier, nisi electorum ecclesia, vel prædicatorum persona? Hæc enim susceptо verbi Dei semine, parit ex eo masculum, id est, per prædicationem spiritualiter gignit fortem & nouum populum electorum. Dies quadraginta purgationis eius qui diuiduntur in septem, & triginta tres, si separatim exponantur, possunt ob confirmationem bis idipsum significare, quod coniuncti semel significant. Nam ista mater cum sua prole est immunda septem diebus: quoniam sancta ecclesia vel prædicantium persona, cùm his quos in fide genuit, non est absque aliqua sorde peccati, toto tempore præsentis vitę, quod septem diebus agitur.
Rom. 7. d Videt enim aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ. Et inde manet immunda, iuxta dies separationis menstruæ: quia sicut menstrua separatur à conuentu mundorum in diebus immunditiæ suæ, sic & ista separatur à conuentu angelorum in diebus mortalitatis suæ. Menstrua enim aliena carne non tangitur, sed fluxu immunditiæ suæ polluitur, & significat animam, quæ non actu, sed cogitatu sordido latenter inquinatur. Sic & sanctorum ecclesia vel electa anima dum in carne peccati viuit, quamuis non opere, tamen cogitatione peccati multotiens sordidatur, & ideò beatorum societate angelorum adhuc indigna iudicatur. Octauus autem dies in quo circunciditur infantulus, dies est baptismatis, in quo Neophytus quisque exuitur labe primæ generationis, & ascendens de lauacro fit particeps resurrectionis Christi, quæ die octauo mundum illustrauit. Nam propterea diem octauum quo paruulus circunciditur, non ad tempus externæ resurrectionis omnium, sed ad resurrectionem Christi, id est, ad baptismum cuiuslibet nostri retulimus, quia ipse paruulus postquam erat circuncisus non ingrediebatur sanctuarium, nisi impletis diebus triginta tribus, sicut & vnusquisque nostrum, licèt sit baptizatus, nõ tamen supernæ beatitudinis templum ingredi valet, nisi decurso mortalitatis vitæ spatio, quod per dies triginta tres designatur. Totus enim hic numerus ex ternarijs constat, & fidei tempus significat. Cum filio igitur circunciso manet triginta tribus diebus, mater in sanguine purificationis suæ, quia cum quolibet electo baptizato sancta mater Ecclesia, quandiu per fidem ambulat & non per speciem, non potest ex toto mundari à sanguine purificationis suæ, id est, à peccato, quo se iugiter purgare studet, & ad perfectum nequit, dum adhuc mortale corpus gerit.
Leui. 12 Psal. 142. Vnde Psalmista: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et Salomon: Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Et discipulus ille quem diligebat Iesus: Si
1. Iob. 1. d dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Sed & Iacobus: In multis offendimus omnes. Con-
Iac. 3. d stat ergo quia omnes qui in carne peccati viuunt, peccati sordem ad purum exuere nõ possunt. Vnde adhuc de ecclesia matre subditur:
Leui. 12. d quia omne sanctum non tanget, illud videlicèt perfectissimæ puritatis quod habent angeli, nec ingredietur sanctuarium, subauditur patriæ cælestis, donec impleantur dies purgationis eius, id est, donec peractum sit ei tempus vitæ mortalis, in quo purgatur assiduè, sed perfectionem purgationis in eo non assequitur. Tanta quippe est, & tam perseuerans inquinato quàm immundus spiritus humano generi per Euam infudit, vt ex toto purgari nequeat, nisi cùm vitæ mortalis aut seculi terminus aduenerit. Sed sicut
Per Mariã emũdatio. per Euam venit inquinatio, sic per Mariam reuertitur emundatio. Tunc autem erit purgationis & emundationis perfectio, cùm iusti in resurrectione triũphantes dixerint: Vbi est mors contentio tua? Vbi est mors aculeus tuus? Aculeus enim mortis, peccatum est. Talibus itaque
Ose. 13. d & 1. Cor. modis implentur dies purgationis populi Dei, 15. g. secundum legem Moysi. Sed cuius dies purgationis sic impleti fuerint, deferent eum angeli in supernam Ierusalem, vt sistant eum Domino mansurum ibi perenniter coram eo. Et hoc fiet *sicut scriptum est in lege Domini: quia omne masculinum adaperiens uuluam, sanctum Domino uocabitur.*)
Rom. 7. e Scimus enim quia lex spiritalis est, & spiritaliter loquens, spiritalẽ vuluam significat & spiritalem masculum. Hic nanq; masculus est fortis ac nouus, electorum Christianorum populus, vel vnusquisque eorum. Et quoniam ecclesia secundum Isaiam diu sterilis fuerat, iste populus ex ea spiritaliter nascens, aperuit vuluam eius, id est, genitale secretum ipsius, vnde nemo taliter antea natus fuerat. Omne verò significat vniuersalitatẽ quod hic ponitur, cùm dicitur ante masculinum: quia populus iste catholicus est, & omnes electos in se continet. Hic ergo spiritalem ecclesiæ vuluam, sicut diximus aperiens, vocabitur sanctus Domino, id est, vocabulum & laudem sanctitatis in regno supernæ beatitudinis obtinebit, vt in omni sanctitate beatis æquatus angelis, perenniter assistat conspectui gloriæ creatoris. Et ideò Christus Dominus, & sanctissima ipsius genitrix purgationem legis obseruauit, vt omnes quos membra sua nouerat futuros, ita purificaret, vt ad hanc gloriam peruenire dignos faceret. Ipse enim vt & supradictum est, aut virgo mater eius purgatione non eguit: quia spiritus sanctus eam ab initio iam purificauerat, & ille tam mundam eius vtero carnem sibi creauit, vt per eam efficiat suorum carnem ita mundam vt sunt angeli, sed & animam ibi tam sanctam assumpsit,

Masculus spiritualis & uulua. Isai. 54. d

vt per

vt per eam reddat animabus omnium ſuorum illam ſanctitatẽ quæ manet in angelis. Sed quoniam ipſe in ſuis eſt, quod agitur de ſuis vt & præmiſſum eſt dicitur agi de ſuo, quia ipſi ſunt corpus eius. De quo ſcilicet corpore, ſubiungitur. *Et ut darent hoſtiam ſecundum quod dictum eſt in lege domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.*) Nam tulerunt eum in Ieruſalem, vt ſiſterẽt eum Domino ſicut diſſeruimus, & vt darent hoſtiam pro eo, iuxta id quod dictum eſt in lege Domini, par turturum, id eſt, parem caſtitatem corporis & animæ eius, aut duos pullos columbarum, id eſt, carnis & cordis eius patientiam. Turtur enim caſtiſsima auis eſt, & viuo ac mortuo ſocio indiſſolubilem fidem conſeruans: columba verò felle & amaritudine caret. Ideoque par turturum deſignat caſtitatem interioris & exterioris hominis. ac duo columbarum pulli, patientiam foris oſtenſam, & intus in mente ſeruatam. Offerunt igitur angeli hoſtiam ſecundum legẽ, id eſt, par turturum, vel duos pullos columbarũ, pro ſanctorum populo, vel pro quolibet electo quem exhibent Deo, cùm merita caſtitatis eius quam corpore de corde ſeruauit, aut patientiæ quam intus & foris cuſtodiuit, repræſentãt Domino. Caſtitas verò magis ad confeſſores, & patientia plus pertinere videtur ad martyres. Et quia nullus electorũ eſt, qui aut in ordine cõfeſſorum, aut in ordine martyrum non computetur: ideò ad hoſtiam populi Dei ſufficit par turturum, aut duo pulli columbarum. Per pullos enim columbarum potiùs quàm per columbas hoc loco potentia deſignatur: quia qui ſicut oportet patientiam cuſtodiunt, hi apud ſe paruuli & infirmi ſunt, & maiores imitando iugiter creſcunt. Totum ergo ſimul populum electorum completa generali reſurrectione deferent angeli gaudentes in ſupernam Ieruſalem, cum hoſtijs bonorum operum, vt ſiſtant eum Domino, & ab aſcenſione redemptoris non ceſſauerunt eum in ſingulis qui migrant illud deferre, quando impleti ſunt dies purgationis cuiuſq;. *Et ecce homo erat in Ieruſalem, cui nomen Simeon. Et homo iſte iuſtus & timoratus, expectans conſolationem Iſrael, & ſpiritus ſanctus erat in eo. Et reſponſum acceperat à ſpiritu ſancto, non uiſurum ſe mortem, niſi prius uideret Chriſtum Domini. Et uenit in ſpiritu in templum*) Homo iſte ſanctum Iſraëliticæ gentis populum deſignat, qui aduentum redemptoris diutius expectauit, & ab eo de miſerijs exilij huius liberari ſperauit. Vnde & Simeon vocatur, quod eſt audiens triſtitiam: quia populus ille fidelis triſtitiam expulſionis ſuæ de paradiſo, & amiſſionis æternalium bonorum per ſcripturas audire conſueuerat, ideoque ſuper his conſolationem diuinitùs ſibi venturum expectabat. Alia interpretatio Simeonis eſt exauditio: quia populus Hebræorum exaudire ſolebat. Deum iubentẽ, vt Deus eum exaudiret orantem. non enim eſt nunc ſermo, niſi de electa parte eius. Propter quod & homo dicitur, quia vti ratione nouerat, in cognitione diuinorum & in exquiſitione euaſionis huius miſeriæ. Et hic erat in Ieruſalem, hoc eſt, in ciuitate magni regis per quam iurare prohibemur, in ciuitate Dei, quæ eſt Eccleſia. Ieruſalem enim, & ſupernæ beatitudinis regnũ vt ſuprà diximus ſignificat, & eccleſiã iuſtorum adhuc in terris peregrinantium. In hac ergo Ieruſalem, hoc eſt, in numero fidelium erat iam diu populus Hebræorum, quando puer ad templum portabatur, hoc eſt, in exordijs apoſtolicæ prædicationis, quando per Chriſtum patefacto cœlorum ingreſſu nouellus Chriſtianorum populus in ſuis qui de hoc ſeculo migrabant deferebatur iam illuc per angelos. Nam electus ille Hebræorum populus tam diu perſeuerauit, donec gratia noui teſtamenti per nouos doctores vbique prædicari cœpiſſet, & multi credentium patriam æternæ felicitatis tranſitu beato intrarent. Et homo iſte per quem myſticè populus ille ſanctus intelligitur, iuſtus erat, quia idẽ populus Deo ſeruiens quæ Dei erant, Deo reddebat. Iuſtitia enim dat vnicuiq; quod ſuum eſt, & Dei eſt humana natura, vt eius voluntati deſeruiat, ideoq; iuſtè agit omnis homo qui obtẽperat Deo. Et timoratus erat ipſe populus, quia vel timore legis, vel timore charitatis, Deũ metuebat. Sed & conſolationem Iſrael expectabat, quia ſollicitus præſtolabatur inter preſſuras huius exilij, quando populum ſuum Dominus aduentu ſuo conſolari dignaretur. Nam & ſpiritus ſanctus erat in eo quia iuſtificari per legem non valuiſſet, niſi occulta ſancti ſpiritus gratia per Chriſti fidem eum iuſtificaſſet. Et reſponſum acceperat à ſpiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini, quia hoc eius deſiderijs & orationibus cœleſtis inſpiratio reuelauerat, quòd in fide victurus eſſet, nec mortem perfidiæ ſubiturus, donec videret in carne præſentem Deum à Deo præ ſuis participibus vnctum, qui participationem ipſam & in vocabulo demonſtrarent, vt à Chriſto Chriſtiani vocarentur. Et venit in ſpiritu in templũ, quia quo omnes iuſti poſt reſurrectionẽ in ſuis corporibus venturi ſunt, illuc ipſe ſpiritu per cõtemplationem & propheticam viſionem frequẽter venit, intrans ſcilicet in ſanctuarium Dei & intelligens in nouiſsima. Et cùm adducerent puerum Ieſum parentes eius, vt facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo, & ipſe accepit eum in vlnas ſuas, & benedixit Deum & dixit: Nunc dimittis ſeruum tuum domine, ſecundum verbum tuum in pace: Quia viderũt oculi mei, ſalutare tuum, Quod paraſti antea faciem omnium populorum: Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël. Puerum Ieſum iuxta quod ſuperiùs tractatum eſt, intelligere debemus in nouo credentium populo: quoniam eccleſia eſt corpus eius, & omnes ſancti membra ipſius. Ideoq; quod de capite narratur,

Leu. 12. b

Turtur.

Columba.

Omnes electi aut confeſſores aut martyres.

Pulli columbarum.

Simeon homo dictus.

Ieruſalem.

Per legem nemo iuſtificatus

ratur, de corpore vel membris nũc intelligatur. Ad hoc enim ſpectat, & quod ipſe dicturus eſt. *Mat. 25. d.* Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Itaque puer Ieſus ſi nunc accipiatur, ac ſi diceretur nouellus Chriſtianorũ populus. Sed qui ſunt parentes eius niſi angeli? Nam & ipſi quandam ſpiritalis conſanguinitatis parẽtelam ſe demonſtrant habere nobiſcum, vbi nos fratres ſuos in Apocalipſi vocant, dicendo: *Apo. 12.* Proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri. Hi ergo parentes inducunt noſtrum puerum, ſicut & ſuperiùs declaratum eſt, in cœleſtis ſanctuarij templum, vel in obitu ſingulorum, vel in reſurrectione omnium. Et hoc, vt faciant ſecundum conſuetudinem legis pro eo: quia ritu legis, expleta purgatione præſentant eum domino cum bonorum oblationibus meritorum. Vel iſti parentes intelligi poſſunt ſancti prædicatores. Qui quoniam in Petro claues regni cœlorum acceperũt, aperiunt illud nouo fidelium populo, & in templum eiuſdem regni cœleſtis eum inducunt, dũ abſoluunt eum & benedicunt, atque rogant vt hinc migrans illuc ſuſcipiatur. Et hoc agunt, vt ritum legis expleant, quia taliter eum ſuis orationibus in illud beatitudinis ſanctuarium inducunt, vt ſicut lex decreuerat expletis in fine diebus purgationis, ſiſtãt eum domino cum oblatione meritorum eius. Poteſt etiam puer iſte qui in templum inducitur, illos nunc ſignificare, qui ad fidem veniẽtes in eccleſiam inducuntur. Nam & hanc inductionem ſic agunt ſancti patres: vt conſuetudinem legis obſeruent: quia expleta in baptiſmo purgatione introducũt eos ad ſanctum altare conſecrandos victima diuinæ euchariſtiæ. Itaque dum à ſuis parentibus, id eſt, ab angelis vel à prædicatoribus tempore fulgentis Euangelij nouellus fidelium populus, quaſi puer cœpiſſet in ſuis qui de hac luce migrabant, ſicut diſſeruimus, in ſuperne ſanctitatis ac beatitudinis templum induci, vel in his qui ad fidem veniebant in eccleſiã adduci. Accepit eum & ipſe Simon in vlnas ſuas, hoc eſt, & ipſe religioſus Hebræorum populus vlnis charitatis amplexus eſt eum ſicut dilectiſsimum. Amplexio quippe charitatem, & vlnæ fortia deſignant opera: ideoque in vlnas ſuſcipere, eſt robuſtis operibus dilectionis amplecti. Taliter ergo ſuſcepit eum in vlnas ſuas, hoc eſt, in brachia portans eum in fortibus magnæ charitatis operibus, & benedixit Deum, qui ſibi præſentem oſtenderat nouæ gratiæ populum, ingredientem iugiter regni cœleſtis habitaculum, & ait: Nunc, id eſt, poſt datam gratiam, dimittis Domine ſeruum tuum in pace, id eſt, relaxas de ergaſtulo præſentis exilij me, qui ſub legis ſeruitute premebar, vt iam ad cœleſtis habitationis patriam in pace tranſeam, ligato per Chriſti trophæum mortis principe, ſecundum verbum quod mihi dixeras de aduentu gratiæ. Quia ecce iam vel in ſe, vel in ſuis, viderunt oculi mei ſalutare tuum, id eſt, Ieſum tuum, qui ſalutaris ſiue ſaluator interpretatur, & qui miſſus eſt à te mundum ſaluare. Quod ſcilicet ſalutare, paraſti ante faciem omnium populorum, vt ab omnibus populis qui ſunt in orbe videri facias oculis fidei ſaluatorem mundi. Paraſti, inquam, eum lumẽ ad reuelationem gentium, vt ſplendore claritatis eius fugentur tenebræ, quibus velabantur corda gentilium, ne illuſtrarentur diuina cognitione, & gloriam plebis tuæ Iſraël, vt ipſe ſit gloria plebis Iſraëliticæ credentis quę ſemper tua fuit. Magna enim gloria eſt Hebræis credentibus, quod ex eorum genere carnem aſſumpſerit Deus. Qui & gentes per fidem ſuam illuminauit, dicens: Ego lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Vnde pulcher eccleſiæ mos inoleuit, vt fideles in hac celebritate cereos ſiue candelas offerant. Nam quia Chriſtus hodie in templo eſt oblatus, ipſi myſtica oblatione ſua hoc ipſum repræſentant, dum ſingulis recurrentibus annis ad domum Dei cereos in hac die portant. Cereus enim vel candela, Chriſtum ſignificat. Et quia vnuſquiſque deuotus ad hanc ſolennitatem veniens, Chriſtum lumen verum affert in pectore, ideò conuenienter cereum præſentat in oblatione. In cereo quippe tria offeruntur, cera, lichnus, & flamma: cera quam apis virgo confecit, ſignificat Chriſti carnem quam virgo Maria genuit, interior autem lichnus animam, flamma verò ſuperiorem diuinitatem. Nec inueniri aliquid in creatura poteſt, quo congruentius ſignificaretur Chriſtus. Sed & hoc auget decus feſtiuitatis huius, quòd ad eam prout decuit verſa eſt gloria magnæ proceſsionis illius, quam in iſto menſe qui Februarius, id eſt, purgatorius dicitur, agere ſolebant Romani veteres, anno quinto ciuitatem luſtrantes, id eſt, circumeuntes, & vt putabant à peccatis, quæ per quinquennium illud commiſerant purgantes. Luſtrare enim, & circuire ſignificat & purgare. Et hæc noſtra feſtiuitas eſt purgationis, ideoque competenter ad eam translata eſt proceſsio purgationis, quãuis longè diſsimiliter fiat à nobis, quàm fiebat ab Ethnicis. Et lectio igitur euangelica & feſtiuitas & tempus eius, purgationem ſignificant, vt per hæc omnia nos qui purgatione indigemus purgari mereamur, cooperante Chriſti gratia, cui cum patre & ſpiritu ſancto omnis honor & gloria, & antequam mundus eſſet & nunc & in omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Vlnæ Simeonis.

Cereus Chriſtus.

In cereo tria.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Ioannem. CAP. X.

IN illo tempore: Dixit dominus Ieſus: Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis. Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt

oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit: & lupus rapit & dispergit oues. Mercenarius fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Et reliqua.

Quia plerique sibijpsis non attendentes, nec sua vitia considerantes, gaudent in huius lectionis tractatulo audire laceratione vitæ pastorum ecclesiæ. nos aliam eius fecimus expositiunculam, quæ nos ad intima nostra reuocet, vt nullus mordere vitam præpositorum, quam
Ioan.9.g Christus per seipsum discussurus est audeat, sed magis vnusquisq; talis esse studeat, qualem approbando lectio demonstrat, & mala quæ reprehendit caueat. Loquitur autem Dominus Pharisæis, qui se cæcos non esse iactabant, & in eorum typo cæcitatem omnium pseudo religiosorum denotat. Ea verò quæ loquitur: sic nunc intelligamus, vt non ad ipsum caput, sed ad aliquod eius membrum referantur. Nam sæpissimè in scripturis verba Domini primò ad ipsum dominum referuntur: & deinde ad ecclesiam,
Psal.34. quæ est corpus eius, vel ad aliquem electorum, qui est membrum eius, velut cùm dicit: Iudica domine nocétes me, expugna impugnãtes me. & his similia. Nunc igitur ista quæ loquitur, sic intelligi volumus, tanquã si ea quis sanctorum eius loqueretur. Ait enim: Ego sum pastor bonus Et vnusquisque nostrum debet esse pastor, non qualiscunque, sed bonus: quia gregem ouium, id est, mundarum & innoxiarum cogitationum atque virtutum habet, quem pascuis scripturarum pascens nutriat, & quem velut de eo
1.Reg.16. c. rationem redditurus domino, custodiat. Taliũ ouium idoneus pastor erat sanctus Dauid, quãdo in regem vnctus est, vt qui bene suos mores, & seipsum regere nouerat, rector aliorũ fieret.
Iob.1.d Talium ouium sanctus Iob septem millia possidebat: quia perfectè virtutibus septiformis gratiæ ditatus erat. Sunt verò nonnulli, qui bona quæ faciunt, nequaquam sensibus & regulis eloquiorum Dei pascunt, sed iuxta quod eis rectum videtur nutriunt. Et hi profectò boni pastores non sunt: quia greges actionum suarum
Esaiæ.1.c non bene pascunt, cùm scriptum sit, discite benefacere. Bonus verò pastor animam suam ponit pro ouibus suis: quia præsentem vitam suam quæ appellatione animæ designatur, in afflictionibus ponit, hoc est, spontanea voluntate cruciat, pro vtilitate spiritualium suarum virtutum & bonarum actionum. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit. Et lupus rapit & dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Dictum erat de eo qui laudabiliter agit, dicitur & de illo, qui segniter viuit, dictum inquam fuerat de pastore, qui nõ recusat pro ouibus animã ponere, dicitur & de mercenario qui non audet lupo resistere. Nam mercenarius est, qui pro mercede temporalium rerum agit bona, qui nõ gratis Deum colit, qui pro his quæ religiosè videtur operari, quærit in hoc seculo præmium vel laudis vel muneris. Et iste non est pastor: quia oues actionum suarum non pascit scripturarum pascuis, vt eo modo vel studio quo sacra eloquia docét, agat illas. Cuius non sunt oues propriæ: quia virtutes quas in seipso custodire videtur ab eo sunt alienæ, dũ eas ob transitoriã retributionem seruat, & non quasi proprias amat. Hic ergo qui in prosperis sic agebat, audiamus in aduersis quid faciat. Videt lupum venientem, & dimittit oues: quia vel in homine peruerso, vel in tribulationum procella surgente, sentit adesse bestiam, quæ bonorum operum oues quærit deuorare, id est, diabolum, qui tẽtationibus aduersitatum nititur ouile virtutum extinguere. Et qui prius ideò bona faciebat, vt mercedes pro his in præsenti reciperet, nunc autem pro ipsis imminere sibi aduersa cõsiderat, dimittit oues, relinquit virtutes quas seruabat, deserit bona quæ faciebat, ne pro ipsis mala sustineat & fugit, hoc est, aduersitati se subducit. Non enim tam loco, quàm operũ immutatione fugit. Et lupus rapit, quoniam diabolus ea meritorum bona, quæ videbatur habere, tollit. Et dispergit oues, quia dissipat eius actiões, vt omnia quę iam fecerit, sint incomposita & incongrua & dissidentia. Mercenarius autem nõ resistit lupo, gregem suum ita deuoranti sed fugit: quia ille qui virtutum aut religiosarum actionum ouile non propter ipsas virtutes, sed propter lucra temporalia seruabat, recedit ab earũ tutela, & relinquit eas in ore deuoratoris, ne periculũ sentiat aduersitatis. Qui propterea sic fugit, quia mercenarius est, id est, quia virtutum opera propter emolumentorum carnalium mercedes seruare consueuerat, & non pertinet ad eum de ouibus, quia nõ sunt eius virtutes vel actiões quas custodit, sed lucra quæ pro his appetit, nec earum perditio mentem eius dolore tangit, quia non eas, sed mercedes diligit. Hucusque sermo diuinus peruersitatem eorum qui ficto corde sicut Pharisæi bona gerunt, sub vnius typo denotauit, & post hæc denuò puritatem eorum qui perfecto corde bona faciunt describere incipit, dum voce cuiuslibet talium dicit: Ego sum pastor bonus. Ac si dicat: Ego bene pasco, & germana solicitudine custodiens nutrio, oues bonarum cogitationum atque virtutum mihi diuinitùs traditarum. Et cognosco meas oues, id est, non negligo, sed diligo meas virtutes: & cognoscunt me meæ, id est, velut dilecto mihi adhærent, nec à me vel in aduersis separantur. Eum namque cognoscunt virtutes, qui non fit eis incognitus per aliquas vitiorum perpetrationes. Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem, quia sicut cælestis ille pater dilexit me propter me, id est, propter meam salutẽ, & non

Mercenarius passim

& non propter aliud, ita & ego diligo eum propter eum, & non propter aliud. Nam nec ille aliud quæsiuit pro hac dilectione nisi me, nec ego aliud quæro pro hac dilectione nisi illum.
1.Ioan.4.d Hinc est quod & in epistola sua Ioãnes ait: Quia sicut ille est, ita & nos sumus in hoc mundo. Sicut enim non æqualitatem nunc significat, sed similitudinem: quia non loquimur de redemptore, qui secundum diuinitatem æqualis est patri, sed de redempto, qui membrum est redẽptoris. Qui scilicet redemptus, subiungit: Et animam meam pono pro ouibus meis. Id est, tẽporalem vitam humilio in laboribus, & expendo, vt oues virtutum & actionum mearum non amittam, sed multiplicem & foueam. Quia verò post actiuæ vitæ labores, iustus ad contemplatiuę suauitatem proficere solet, aptè subijcit:
1.Tim.2.b Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili. Id est, virtutes theoricæ dulcedinis, quæ non sunt ex grege virtutum practicæ exercitationis. Alias enim virtutes habet iustus in actiua vita, & alias in contemplatiua. Et illas, inquit, quæ sunt contemplationis, oportet me adducere ad ima meæ posibilitatis, vt in conuersatione mea
Triplex ferculum cœnæ dominicæ. fociem illas his quæ sunt actionis. Et vocem meam audient, quia sermonem voluntatis meæ facient, hoc est, nutum cordis mei sequentur. Nam & cor habet suam vocem, suamque loquutionem. Et fiet vnum ouile de virtutibus vtriusque vitæ, & vnus pastor fiet vtrarumque, meus scilicet animus, qui in vtrarumque custostodia sit solicitus. Hæc itaque si quis diligenter attendat, & vtrùm ipse sic egerit vel non egerit inspiciat, desistet lacerare vitam pastorum ecclesiæ.

Lectio sancti Euangelij secundum Lucam. Cap. XIIII.

IN illo tempore: Dixit dominus Iesus: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Et misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent: quia iam parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Et reliqua.

Homo iste est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Magna eius cœna est, nouа spiritalis scientia, quam ad vltimum per se & per Apostolos, ac per expositores scripturarum nobis copiosè dignatus est dare, vt animas nostras spiritualibus delitijs saginaret. Addit & aliud ferculum, dum mentes nostras amore suo delectabiliter pascit. Addit & tertium, dum nobis suæ diuinitatis visionẽ inter angelos perenniter tribuit. Hæc est eius cœna quam suis parauit, & ad quam multos vocauit, Iudæos scilicet & gentiles de toto orbe, sed primo Iudæos, deinde gentiles. Hæc enim cœna per conuiuiũ illud designata est, quod Assuerus tertio anno regni sui fecit optimatibus & amicis suis, ac dehinc ad illud omnem populum qui in suis repertus est, inuitauit. Nã assuerus mysticè Christus est, tertius annus tertium tempus est. Primum enim tempus fuit ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia. In hoc rex regum exhibuit conuiuium suum. Optimates & amici sunt Apostoli, & qui de Iudæis primò crediderunt. Populus de tota vrbe inuitatus est, multitudo gentium de toto orbe vocata: quoniam ciuitas, vel mundum, vel gentilitatem designat. Misit itaque Dominus iste seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent: quia iam parata sunt omnia. Seruus est ordo prædicatorum. Hora cœnæ, extrema ætas seculi, de qua
1.Ioan.2.c beatus Ioannes loquitur: Filioli, nouissima hora est. Hæc enim hora est, spatium temporis ab aduentu Domini vsque ad finem seculi, in quo scientia spiritalis est reuelata, & gratia sancti spiritus effusa, & regna cœlorum aperta. Ideoque dicitur, quia iam parata sunt omnia. Nihil enim restat, nisi vt quisque dignum se præparet & veniat, & his omnibus perfruatur. Tunc autem primò seruum suum Dominus misit vt inuitatos vocaret, quando suis discipulis ait: In viam
Mat.10.a gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed potiùs ite ad oues quæ perierunt domus Israël. Israëlitas enim iam inuitauerant ad hanc cœnam, & Patriarchæ & Moyses & Prophetæ. Illi autem, nec tunc, nec modò voluerunt venire, sed cœperunt omnes simul excusare. Primus dixit: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam. Rogo te, habe me excusatum. Iste primus gerit personam potentum seculi, qui villas & castella sibi vendicant, vt super cæteros potestatem exerceant, & honorabiliores atque ditiores sint cæteris. Et hi sua intima deferentes, exeunt animo foras ad exteriores curas, & quibusdam necessitatum vinculis retinentur, ne ad interiora redeant, sed villas & possessiones suas semper videant, & de his cogitent, ac in his delectabiliter teneantur, ideoque cœnam Dei negligant. Talibus autem si quando prædicatores persuadent meliora, promittunt se facturos quod eis præcipitur, sed impedimento obijciunt, excusationem opponunt, & vt ipsi pro eis Deum præcentur exorant. Hoc autem quid est aliud dicere, nisi rogo, te habe me excusatum? Et multi tales erant in Iudæa quando Dominus hæc loquebatur, sed hi qui nunc sunt Iudæi, quia villas non possunt, pecunias acquirunt. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa. Rogo te habe me excusatum. Iste significat illos Iudæorum, qui magis dediti sunt carnali studio legis. Quinque enim iuga boum, quinque sunt libri Moysi, deprimente graui seruitute illos, qui sub se carnaliter sunt positi. Hos autem libros Iudæi emerunt, quia pro his circuncisi, pro his decimas & primitias & sacrificia offerunt. Hos tamen nondum probatos ha-

bent, quia nondum eos intelligunt. Si enim eos intellexissent, nullam excusationem prætendissent, sed ad cœnam iam venissent. Sed quia eos non intelligunt, dum eos venerari se simulant, suam iustitiam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideò non possum venire. Per hunc designantur illi, qui se luxuriæ, carnisque voluptatibus per omnia subijciunt. Qui excusari non quærunt, quia solam hanc vitam diligentes, aliam paruipendunt. In his autem tribus qui venire ad cœnam noluerunt, designati sunt omnes qui ad eam venire negligunt. Et in horum typo, Iudæi cœnam hanc adire noluerunt. Et reuersus seruus nunciauit hæc domino suo. Vnde Isaias: Domine, quis credidit auditui nostro? Tūc iratus pater familiâs, dixit seruo suo: Exi citò in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, cæcos & claudos introduc huc. Iudæis venire nolentibus, iratus est dominus, quia non vltrà per suos prædicatores monuit eos vt conuerterentur, sed ex toto reliquit eos in sua malitia, mundans nubibus, ne super infructuosam vineam pluerent, id est, præcipiens Apostolis, ne Iudææ prædicarent. Magna enim ira Dei est, peccatores ad pœnitentiam non vocare, sed in peccatis vsque ad mortem relinquere. Sic iratus est Iudæis ad cœnam venire & credere nolentibus, & gentes intuitu misericordiæ respexit. Vnde ipsis Iudæis Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quia repulistis illud, & indignos vos iudicastis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Ciuitas autem in hoc loco gentilitas intelligitur, muris disputationum & argumentorum atque potestatum secularium munita. Vnde & per Psalmistam dominus ait: Quis deducet me vsque in ciuitatem munitam? Quis deducet vsq; in idumeam? Christum enim ad peccatores ducit, qui eum peccatoribus prædicat. Qui quia rarus est, ideò dominus ait: quis deducet me? Messis enim multa, operarij autem pauci. Ciuitas verò sicut diximus est gentilitas, & ipsa est idumea, id est, terrena. Plateas autem & vicos ciuitatis, latitudines & angustias gētilitatis intelligamus. Ait itaque prædicatorum ordini: Exi citò in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, cęcos & claudos introduc huc. Ac si diceret: Festinanter ad exteras nationes perge, & quos ibi vel amplitudine possessionum dilatatos, vel angustia facultatum arctatos repereris, ad vitam introducere non moreris. Pauperes enim ac debiles, & cæci, & claudi erāt gentiles, quia nec legis diuitias, nec virtutum fortitudinem, qua resistere possent diabolo, nec scientiæ lumen, vel illuminatos cordis oculos habebant, nec in via iustitiæ rectis pedibus incedebant. Qui tamen inuitati ad conuiuium Christi, diuites spiritaliter & fortes facti sunt, & interius illuminati iam in via Dei non errant, sed recto tramite gradiuntur. Et ait seruus: Domine, factum est vt imperasti, & adhuc locus est. Vocauimus, inquit, iuxta præceptum tuum Iudæos & gentiles, & adhuc locus est, vbi suscipiantur qui venire voluerint. Iste locus tunc complebitur, quando seculum hoc criminabitur. Adhuc enim quotidie mittuntur serui, adhuc ad cœnam veniunt fideles, alijs per baptismum, alijs per pœnitentiam festinantibus. Ait nanque dominus seruo: Exi in vias & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Iam enim neque viæ, neque sepes, neque locus vllus, siue peruius, siue septus, siue manifestus, siue abditus relictus est, ad quem serui Christi scrutandum non peruenerint. Qui igitur huic cœnæ defuerunt aut desunt, non seruorum negligentiæ, sed suæ hoc inobedientiæ deputent. Hæc autem tertia inuitatio, magis ad nostrum tempus pertinet, in quo crebrescunt aduersitates seculi, & ob hoc in ea dicitur: compelle intrare. Aliquando enim nos mundus retraxit à Deo, sed nunc tot tantisque malis plenus est, vt ipse nos iam mittat ad Deum. Vnde & scriptum est de aquis diluuij. Vehementer inundauerunt, & leuauerunt archam in sublime à terra. Quid enim per aquas nisi tribulationes, & quid per archam nisi ecclesia figuratur? Aquis ergò inundantibus leuatur archa in sublime à terra: quoniam aduersis irruentibus separatur à terrenis cupiditatibus ecclesia vel fidelis anima, & cœlo fit proxima. Sunt enim nonnulli, qui in hoc mundo prospera quærunt, sed aduersa reperiunt, & apprehendere temporalem gloriam conantur & nequeunt, & quò magis voluptates & opes vel honores appetunt, eò punctiones & ærumnas & abiectiones sentiunt. Hos igitur aduersa compellunt, vt ad Dei cœnam veniant. Sed quia in ipsis aduersis mens eorum stupore sic obduruit, vt intelligere nequeat mala quæ patitur, dum prædicator eis mala seculi, quibus affliguntur declarat, & quadam vi rationum & adhortationum cogit eos, vt cœlestia bona appetant, agit quod dictum est, compelle intrare. Sicque numerus electorum perficitur, & superna domus impletur. De illis autem qui venire contempserāt, subditur: Dico vobis, quòd nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. Nemo eorum qui vocati sunt, & venire noluerunt, gustabit internæ dulcedinis cœnam, nemo eorum simul cum sanctis ad æterni conuiuij epulas intrabit. Vnde & per Prophetam illis Dominus ait: Ecce serui mei comedent, & vos esurietis. Ecce serui mei bibent, & vos sitietis. Ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini. Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis. Sed & in euangelio loquitur ipse Dominus: Qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet vnquam. Simili sensu dictum

Rom. 10. a — *Isa. 53. a* — *Isaiæ 5 b.* — *Magna Dei ira.* — *Act. 13. g* — *Psal. 50.* — *Luc. 10. a* — *Gen. 7. d* — *Archa ecclesia.* — *Isa. 50. e* — *Ioan. 6. f*

dictum est, & in Exodo: Viderunt Deum Israël, & comederunt ac biberunt. Quæ omnia nos vel terrere debent, vel accendere. Terrere, ne contingat esurire & dolere cum reprobis: accendere, vt mereamur epulari & gaudere cum electis. Quicunque enim huic conuiuio defuerit, tabescet in æternum fame & miseria & omnium bonorum inopia. Et quicunque interfuerit, satiabitur perenniter omnium bonorum plenitudine immensa. Nam esca iustorum est, præsens vultus Dei, qui dum sine defectu cernitur, sine fine mens cibo vitæ satiatur. Vnde & dictum est: Iusti epulentur & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia. Ibi de æternitatis societate lætantur, quique iam laqueos voluptuosæ temporalitatis euaserunt. Ibi hymnidici angelorum chori, ibi societas supernorum ciuium. Ibi dulcis solennitas, à peregrinationis huius tristi labore redeuntium. Festinemus igitur hoc intrare conuiuium, vbi cum electorum omnium societate festiuis gaudijs perpetim exultemus, eo largiēte qui viuit & regnat Deus in secula seculorum. Amen.

Ex. 24. c — *Esca iustorum.* — *Psal. 67.*

Lectio sancti Euangelij secundum Lucam. Cap. XVI.

IN illo tempore: Dixit dominus Iesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam erat diues, qui habebat villicum, & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius. Et vocauit illum, & ait illi: Et reliqua.

Hæc sacra lectio sub figura villici prius dissipantis bona Domini sui, & posteà de bonis ipsis vt ab eo laudaretur, prudenter agentis, ostendit prauitatem & correctionem cuiuslibet præpositi ecclesiæ, qui in principijs quidem non solùm in se, sed & in subiectis disciplinam ac religionē debilitat, posteà verò tam se, quàm subditos nobiliter emendat. Homo, inquit, erat diues, & cætera. Homo enim iste, intelligitur mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, Qui & diues est, vtpote creator & dominus omnium. Villicus autem, à villæ custodia nomen accepit, eum significans, cuius officium est in custodia & regimine ecclesiæ vigilare, sicut scriptum est: Nisi dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilat, qui custodit eam. Villicus ergo gubernatorem ecclesiæ designat. Sed plerumque contingit, vt is qui ecclesiam ad gubernandum suscepit, terrenis commodis inhians lucra spiritualia negligat, ac malè viuendo prauis exemplis regionē in subiectis destruat. Sed talis quisque diffamatur apud dominum suum, quasi dissipator bonorum eius: quoniam ab angelis coram Deo recitātur opera ipsius, per quæ disciplinam in eis quos ad regendum susceperat, mala de se exempla præbendo dissipat. Annunciant enim Deo angeli nostra opera cuncta, necnon & orationes, non vt ipse discat quæ nesciebat, nihil enim quòd ignoret, sed quia necesse habet rationalis creatura obtēperans Deo temporales causas ad æternam veritatem referre, siue petendo quid erga se vel erga nos fiat, siue consulendo quid faciat. Qui pius mentis affectus est, vt ipsa construatur, nō vt Deus instruatur. Nam & hæc quædam contestatio est rationalis creaturæ, quòd nō sibi ipsa sit bonum quo beata fiat, sed illud incommutabile: cuius participatione etiam sapiens efficitur. Hoc itaque modo diffamatus est apud dominum iste villicus. Quem vocauit dominus, vt ei rationē redderet: quia ipse in nouissimo per semetipsum facta præpositorum examinat, qui quotidie per præpositos actiones subditorum iudicat. Vocauit eum, quia per ægritudinis molestiā ad mortem hunc vrgens, præsentari sibi per angelos fecit, eique dixit: Quid hoc audio de te? scilicet quia de meis bonis non mea lucra quæris, sed tua, & quibus prodesse debueras, obes? Redde rationem villicationis tuæ. Iam enim post mortem, non poteris villicare. Considerans autem villicus tanta se districtionis angustia coartari, cœpit huiusmodi cogitationes anxius in corde suo voluere. Quid faciam, quia dominus meus aufert à me villicationem? id est, à prælatione quam habui in ecclesia, velut indignum me per mortem deponit. Fodere iam post hanc vitam non valeo, id est, terram cordis mei ligone compunctionis & exercitio disciplinæ innouare, vt semen verbi suscipiens, segetem bonorum proferat. Mendicare erubesco, id est, cibum vitæ quem hîc non præparaui, confundor in illo seculo quærere, sicut ille piger, qui iuxta Salomonem propter frigus arare noluit, ideoq; mendicabit æstate, & non dabitur ei. Videns verò temporis spacium adhuc sibi aliquod ad emendationē indulgeri, accepto iam rationabili consilio subiunxit: Scio quid faciam, id est, excogitaui quid facere debeam, vt cùm amotus fuero à villicatione, recipiant me, & cohabitatorem habere dignentur electi Dei, qui nunc in mea sunt villicatione, in domos suas, id est, in mansiones æternas, quæ illis diuinitùs sunt paratæ. In his ergò cogitationibus dimissus ac sospitati redditus, quod mente conceperat opere cœpit implere, conuocans debitores domini sui, hoc est, mortales omnes quoscunque potuit ad auditum suæ prædicationis accersens. Nam omnis homo, debitor Dei est. Cumque sint debitores innumerabiles, duo tantùm referuntur: quia omnis hic Christianorum populus in duas partes diuiditur, peccatorum videlicet atq; iustorum. Primus enim debitor, illa pars est fidelium, quæ peccatis adhuc & vitijs seruit, quoniam peccata propriè solent vocari debita, velut cùm oramus, dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Qui scilicet debitor centum cados olei se debere fate-

1. Ti. 2. b — *Psal. 126. a* — *Angeli cur nostra opera Deo deferant.* — *Vocatio Dei.* — *Pro. 20. a* — *Matth. 6. b*

tur, quia vt indulgentiam mereatur mensuras ac quantitates vitiorum suorum ecclesiastico villico cõfitetur. Centenarius enim numerus, perfectionem designat. Cadi verò mensuras peccatorum. Oleum autem fauorem eorundem peccatorum, quando quis sibijpsi placet in vitijs suis, vel alios peccantes malè dulci adulatione demulcet. De euiusmodi oleo dicitur: Oleum autem peccatoris nõ impinguet caput meum. Impinguat enim caput oleum peccatoris, cùm demulcet mentem fauor adulantis. Quia ergo fauor & laudatio vitiorum, quę nunc olei nomine designatur, maximè damnabilis est, idcircò debitor iste medullas culparum suarum confitẽs, centum cados olei se debere testatur, intelligẽs multas valdè esse mensuras malè dulcis fauoris, quo placebat sibi in nequitijs suis, & aliorum vitia mulcebat. Huic itaq; iubet villicus, vt accepta cautione, id est, retenta & refrenata priorum operum impressione, sedeat, id est, humilietur & pœniteat. Nam quòd cautio formam & impressionem, vel numerum operum designet, iudicant figuraliter cælaturæ, quas Salomon in tẽplo fecisse refertur. Quòd autem sessio humiliationem significet, sanctus Dauid operibus & verbis ostendit, qui cùm se multum humiliaret, ingressus est, vt scriptura loquitur, & sedit corã domino, dixitq; : Quis ego sum domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me huc vsq;. Et rex Niniues pœnitens, indutus est sacco, & sedit in cinere. Sedere ergo debitor iste præcipitur, vt ad pœnitentiam humilietur. Et quia incertum est qua hora mors veniat, citò sedere, dum adhuc vacat, iubetur. Scribere, id est, operibus annotare quinquaginta, id est, pœnitentiam, imperatur. Quicquid enim operamur, quasi in libro scribimus, vt in die iudicij coram Christo recitetur. Vnde Daniel: Iudicium sedit & libri aperti sunt. Quinquagenarius autem numerus pœnitentiam & remissionem peccatorum designat, quia & Dauid in quinquagesimo Psalmo pœnitẽtiam agens, veniam peccatorum obtinuit. Et quinquagesimus annus in lege iubileus est institutus: in quo fiebat remissio. Pro centum ergo scribit quinquaginta, qui pro consummata vitiorum multiplicitate, euidentẽ suis operibus memoria dignam ostendit pœnitentiam, in qua & remissionis gratiam cõsequatur. Sicut autem primus debitor vel eam partem fidelium, quæ peccatis est subdita, vel vnumquenque peccatorem insinuat, ita secundus vel eam partem eorum, vt dictum est, quæ iustitiam sectatur, vel vnumquenq; iustum significat. Nam & iustus quisque debitor Dei est, quoniam omnia bona quę ab eo percepit debet illi, vt eadem vel paria si potest reddat, si autem nõ potest, vel debitorem se esse humiliter agnoscat, & gratias agens, dicat: Quid retribuam domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Centum quippe cori tritici, quos se debere testatur, perfectionem

Psa. 140. b

2. Reg. 7.

Ionæ 3. c

Operari est scribere.

Dani. 7. c

Quinquagenarij significatio.

Leui. 25. b

iustitiæ, cæterarum q́ue virtutum, quę illi secundum mensuram donationis Christi datæ sunt, insinuant. Cor i namque tritici, mensuras donorum gratiæ significant. Quòd verò triticum virtutes & spirituali charismata quibus anima pascitur designet, scriptura docet dicens: Et valles abundabunt frumento. Itemque: Frumentum desiderat nubes. Valles quippe, id est, humiles frumento, id est, virtutum gratia replentur, qua spiritualiter viuant & saginentur. Quę scilicet virtutes desiderãt nubes, id est, sanctos prædicatores, vt imbre verborum cœlestiũ per eos rigentur. Centum itaque coros trititi debebat iste, quia secundum mensuras sibi diuinitùs cõcessas, perfectionem virtutum acceperat. Cui à villico iussum est vt in literis suis, id est, in operibus suis p cẽtum scriberet octoginta, id est, pro omnibus quæ debebat Deo dignum se futura resurrectione iustis actibus exhiberet. Literæ enim quas scribimus, actiones nostrę sunt, quas diuinæ memoriæ assignamus, siue bonas siue malas. Vnde & ipse de omni opere quod egerũt homines, dicit: Ecce scriptum est, coram me. Octogenarius autem numerus sicut & octonarius, mysterio resurrectionis congruit, quia & domini resurrectio facta est octaua die, & nostra quoque post septem dies quibus omne tempus voluitur, id est, in die iudicij, quæ erit octaua, prouenit. Vnde & nõnulli Psalmi, pro octaua, prouenit. Vnde & nõnulli Psalmi, pro octaua scribuntur. Suis ergo literis inscribit octoginta, qui suis operibus dignum se illa resurrectione & electorum societate demonstrat. Hæc sunt itaq; in quibus prudens villicus tã se quàm habitatores villę suæ, id est, filios ecclesiæ quam regebat, corrigere & meliorare studuit, pro quibus & laudari à domino meruit. Et nos ergo laudemus eum, qui diuino laudatur iudicio, nec eũ in aliquo, priusquam correctus est, audeamus reprehendere, vt hæc putemus in his quæ erga debitores egit, domino fraudem fecisse: sed potiùs credamus eum in his lucra domini sui, prudenti consilio quæsisse, & eius voluntatem implesse. Qui tantum adhuc iniquitatis villicus appellatur, quia priùs villicatum suum, iniquè tractabat, sicut & Matthæus, quia publicanus fuerat, etiam in Apostolorum catalogo publicanus dicitur. Sed in his omnibus est maximè prædicanda, pijssimi iudicis nostri misericordia, qui cùm hunc antea vocasset, & iusto iudicio damnare potuisset, maluit eum indulto rursus viuendi spacio à morte reuocare, vt postmodum hunc emendatum posset inter amicos computare. Compleuit enim quod loquutus fuerat, quia nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat. Ad hoc autem quod dixerat villicum iniquitatis prudenter fecisse, subiungit sententiam in qua significat multos simliia facere. Quia filij, inquit, huius seculi, prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt. Filij enim seculi vocantur,

Psal. 115.

Psal. 64.

Esa. 65. a

Octogenarius & octonarius numerus.

Eze. 18. c

Eiusd. 33. d

Filij seculi

Filij lucis.

tur, qui secularem vitam ducunt. Filij autem lucis, iusti dicuntur. Sed sunt aliqui iusti, qui licet iustè viuant & ab illicitis se contineant, magna tamen bona nunquam operantur. Et sunt alij qui priùs seculariter & criminosè vixerunt, sed postmodum redeuntes ad cor suum quia se illicita egisse considerant: ex ipso suo dolore

Luc. 19. b

compuncti in ardescunt ad amorem Dei, seseq; in magnis virtutibus exercent. Cuncta etiam difficilia sancti certaminis appetũt: omnia mũdi blandimenta derelinquunt. Flagrant desiderio, ad cœlestem patriam anhelant. Et quia se errasse à Deo conspiciunt, damna præcedentia lucris sequentibus recompensant. Isti ergo in generatione sua, id est, in tempore suo quo præsentem vitam transcurrunt, prudentiores sunt illis filijs lucis, qui à luce matre nunquam recedunt, sed tamen opera lucis remissius agũt, & ad patriam æternæ lucis anxiè non anhelant. Post sententiam verò, subijcit dominus exhortationem, vt qui malè priùs egerunt, exemplo villici conuertantur ad bonum, & clementer agere studeant. Ac si dicat: Iste quidem villicus qui antea villicatum suum malè tractauerat, post de bonis eiusdem villicatus, erga subditos spiritalia beneficia clementer operatus est, pro quibus & supernæ felicitatis habitacula cum electis intrare meruit, & ego quoque vobis dico & suadeo, qui mammonam, id est, diuitias habetis iniquitatis, id est, quas per iniquitatem adquisistis & inique dispensastis hactenùs, vel possedistis, iam bene dispẽsando eas sanctis qui indigentiam patiuntur, facite eos vobis inde amicos, vt cum defeceritis, id est, cum obieritis recipiant vos libenter secum in æterna habitacula, id est, in perpetuas mansiones, vbi perenniter cum eis gaudeatis quoniam qui recipit iustum in nomine iusti mercedem

Matt. 10. d

iusti accipiet. Quidam verò sententiam istam malè intelligentes, rapiunt res alienas, & aliquid inde pauperibus largiuntur, & putant se facere quod præceptum est. Dicunt enim, Rapere res alienas, mammona iniquitatis est. Erogare aliquid inde maximè egentibus sanctis, hoc est facere amicos de mammona iniquitatit. Intellectus iste, corrigendus est. Non ex rapinis & vsuris vel fraudibus, adquirere debemus, vnde eleemosynas faciamus, sed si contigerit nos ante conuersionem nostram, talibus modis opes adquisisse, iam post conuersionem rapinas & fraudes non faciamus, sed tamen ex opibus large tribuamus. Sic enim Zachęus fecisse laudatur, qui princeps erat publicanorum & diuitijs abundabat, sed recepto in domum suam Christo medietatem earum pauperibus dedit, & cuicunque fecerat fraudem ex alia medietate quadruplum reddidit. Sicut ergo villicus dicitur iniquitatis, etiam post correctionem suam quia villicatum inique priùs tractauerat, ita diuitiæ quas ante conuersionem quis inique conquisiuit siue possedit aut dispensauit, etiam post conuersionem eius vocantur diuitiæ iniquitatis. Sed sicut villicus ex eodem villicatu postquam correctus est adquisiuit amicos: ita quisque de suis facultatibus quanuis antea ex licitis & illicitis adquisisset eas, amicos sibi facere studeat, ita duntaxat vt nihil vltrà per iniquitatem adquirat. Tota itaque lectio ista correctionem & emendationem docet & hortatur, vt quicunque malè viuebat & res quas dispensandas susceperat peruersè tractabat, mutet suos mores & mala præcedentia bonis sequentibus vincat & deleat. Possunt tamen omnes diuitiæ seculi diuitiæ iniquitatis appellari, quia cum à Deo pro omnibus sint creatæ, has sibi nonnulli quamuis iusto labore iniqua tamen cupiditate congregant, & quas nulli tribuunt, has indigentibus quodammodo tollunt, dum eas in vsum eorum venire non sinunt. Licèt ergo iustis vt dictum est, laboribus adquisitæ vel in patrimonio à religiosis parentibus acceptæ, tamẽ diuitiæ iniquitatis sunt, quia iniquum est, id est, ab æquitatis regula discordans, vt alius diuitijs superabundet alius autem egeat. De quibuscunque igitur diuitijs seculi fiant eleemosinæ, de diuitijs iniquitatis fiunt, Itaque non iam inique sed iustè conquiramus diuitias ex quibus iustas faciẽdo eleemosynas, sanctos pauperes adquiramus nobis amicos, vt ipsi nos secum recipere dignentur in æterna tabernacula: per Iesum Christum dominum nostrum qui cum patre & spiritusancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum, AMEN.

Lectio sancti Euangelij secundum Matthæum. Cap. XVII.

IN illo tempore: Post dies sex, assumpsit dominus Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Et reliqua.

Quia Saluator noster electos suos per huius vitæ labores ad illam quæ laborem nescit vitam futuræ beatitudinis introducere disposuit, modò per euangelium suum sudores certaminum temporalium, modò palmam præmiorum describit æternorum, vt scilicet auditis agonum necessitatibus meminerint sibi requiem in hac vita non esse petendam: audita rursum dulcedine futuræ beatitudinis, leuius ferant mala transeuntia quę bonis sperauerunt remuneranda perpetuis. Cùm enim suas suorumq́ue passiones paulò superiùs prænunciasset, ait: Filius enim hominis venturus est in gloria patris sui cum angelis suis: & tunc reddet vnicuique secundum opus eius. Vbi poterant discipuli, in suis cogitationibus dicere: Occisionem & mor-

Matt. 16. d

tem nunc dicis esse venturam, quod autem promittis affuturum te in gloria patris cum angelorum ministerijs & potestate iudicis, hoc in tempora longa differetur. Præuidens igitur occultorum cognitor quid possent obijcere, præsentem timorem præsenti compensauit præ-
Matt. 16. d mio. Subiunxit enim: Amen dico vobis, sunt quidam de hîc stantibus qui non gustabũt mortem donec videant filium hominis venientem in regno suo. Ac si diceret: Qualis venturus est in fine, talis ob incredulitatem vestram præsenti tempore demonstrabitur, viuentibus his qui hîc assistunt. Nam quia incertum est omnibus tempus vniuersalis iudicij, incertaque singulis hora sui exitus, & poterat longa videri præsens afflictio nescientibus quando requies promissa veniret: voluit pius magister aliquibus discipulorum suorum adhuc in terra degentibus æternæ promissionis gaudia præmonstrare, quatenùs & ipsi qui vidissent & omnes qui audire possent, legis aduersa præsentia tolerarent, reducto sæpiùs ad mentem futuræ retributionis munere quod expectarent. Sunt, inquit, aliqui hîc stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo. Venientem quippe in regno suo viderunt eum discipuli sui, qui in ea claritate viderunt fulgentem in monte, in qua peracto iudicio ab omnibus sanctis in regno suo videbitur. Sequitur enim in euãgelica narratione, id de quo loqui volumus: Et post dies sex, assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius & duxit illos in mõtem excelsum seorsum. Quod post dies sex ex quo promisit discipulis claritatem suæ visionis dominus ostendit, significat sanctos in die iudicij regnum percepturos, quod eis promisit qui non mentitur Deus ante
Tit. 1. d tempora secularia. Tempora quippe secularia, sex ætatibus constant. Quibus completis, audi-
Matt. 25. ent à domino. Venite benedicti patris mei, possidere paratum vobis regnum à constitutione mundi. Possunt etiam sex dies promissæ dominicæ visionis & gloriæ, perfectionem bonorum operum designare: sine quibus ad cõtemplandam conditoris sui maiestatem quisque non valet peruenire. Quia enim dominus sex diebus rerum creaturam formauit, & septima requieuit ab operibus suis, rectè per sex dies opera bona quibus ad requiem peruenire debemus exprimuntur. Et quia qui Deum videre & ad gloriam beatæ resurrectionis pertingere concupiscit, debet agere bona quæ nouit: rectè post dies sex gloriam sui regni quam spopondit discipulis saluator ostendit. Lucas tamen
Luc. 9. d sic scripsit: Factum est autem post hæc verba ferè dies octo, & assumpsit Petrum & Ioannem & Iacobum, & ascendit in montem vt oraret. Secundum quem Lucam octaua die dominus promissam futuræ beatitudinis gloriam discipulis ideò manifestauit, vt ostensa cœlestis vitæ dulcedine cunctorum qui hanc audire possent corda refouerat, & octonario dierum numero verum gaudium tempore resurrectionis doceret esse venturum. Nam & ipse octaua die, hoc est, post sextam sabbati qua crucem ascendit, ac septimam sabbati qua in sepulchro quieuit, à mortuis resurrexit, & nos post sex huius seculi, ætates in quibus pro domino labores toleramus, ac septimam sabbatismi animarũ quæ interim in alia vita geritur, octaua profectò ætate resurgemus. Nam quod Matthæus vel etiam Marcus dominum post sex dies transfiguratum dicit nec ordine temporis nec ratione mysterij discrepat à Luca qui octo dies ponit. Quia Matthæus narrat medios tantum dies, vnde & absolute post sex dies factum commemorat, hic autem primum quo hæc dominus promisit, & vltimum quo sua promissa compleuit adiungit ideoque temperatius loquens ferè dies octo ponit. Et in ratione mystica, ille post sex mundi ætates sanctis ab omni labore quiescendum, hic autem octauo tempore designat esse resurgendum. Tres autem discipulos dominus assumpsit quibus glorificationem suam ostenderet: vel quia qui nunc fidem sanctæ trinitatis in charitate operantem seruant integram, tunc de eius reuelata visione perenniter lætantur, vel quia tres sunt ordines fidelium in ecclesia qui soli ad hanc visionem peruenire mereantur, videlicet præpositi & continentes atque coniugati. Quisquis enim in aliquo trium istorum graduum inuentus non fuerit, ad gaudium visionis huius non pertinebit. Petrus nanque propter primatum suum prælatos ecclesiæ designat, Ioannes autem qui permansisse virgo perhibetur cœlibes ac mundi contemptores præmonstrat. Iacobus verò qui supplantator dicitur coniugatos & mundo licite vtentes significat. His
Luc 9. d ergo tribus discipulis per quos vniuersi designantur electi, dominus gloriam suam ostensurus, in montem eos ducit excelsum, vt doceat omnes qui hanc videre desiderant, non in infimis iacere voluptatibus, non illecebris seruire carnalibus, non terrenis adhærere cupiditatibus sed æternorum amore ad superna semper erigi & angelicæ munditiæ pietatis & pacis & dilectionis & bonitatis & iustitiæ vitam quãtum mortalibus possibile est semper imitari debere iuxta illud apostoli: Nostra autem conuersatio, in cœlis est. Vnde etiam saluatorem expectamus dominũ nostrum Iesum Christũ, qui formabit corpus humilitatis nostræ, configuratũ corpori claritatis suæ. Ostensurus gloriam suæ maiestatis, in montem discipulos ducit, vt discant ipsi, discant omnes qui hanc videre
Philip. 3. fitiunt non eam sibi in huius seculi profundo, sed in regno supernæ beatitudinis esse quærendam & studeant fieri digni ascendere in montẽ domini & stare in loco sancto eius, & bene euãgelista cum dixisset quia duxit illos in montem excel-

Sex dierum significatio.

Trium discipulorum qui transfigurationi adfuerunt mystica significatio.

excelsum, addit seorsum, quia iusti & nunc eum prauorum vicinia premuntur, animo tamen toto ac mentis intentione & operum exequutione separati sunt ab illis, & in futuro prorsus etiam corpore & loco segregabuntur ab eis, quando abscondet eos dominus in abdito vultus sui à conturbatione hominum & protegetin tabernaculo suo. Qui iuxta Lucam ascendit in montem oraturus & sic transformandus, quia in cœli secretam altitudinem vt verus pontifex ascẽdit pro suis interpellaturus suamque gloriam eis ibi manifestaturus, & ostenderet, quia qui beatam resurrectionem expectant & regem in decore suo videre desiderant, mente in excelsis habitare ac continuis præcibus insistere debeant. Sequitur & transfiguratus est, ante eos.
Luce 9. d Et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix. Lucas verò dicit: & facta est dum oraret species vultus eius altera, & vestitus eius albus refulgens. Transfiguratus autem dominus ante discipulos, & in altera specie vultus apparens, non formam humani corporis amisit, sed suam suorumq; glorificationem præmonstrauit. Facta est enim species vultus eius altera, id est, alterius gloriæ, quando resplenduit sicut Sol. Cuius scilicet splendoris & gloriæ claritas, ad naturam susceptæ humanitatis specialiter pertinebat. Nam illam ipsius diuinitatis ineffabilem & inaccessibilem visionem, qua in æternam vitam beatis mundo corde seruatur, nullo modo discipuli mortali adhuc carne circundati poterant intueri. In hac ergo transfiguratione dominus & sui corporis gloriam qua per resurrectionem erat illustrandum præmonstrauit, & electorum omnium quantæ claritatis post resurrectionem, futura sint corpora præmonuit: Nam & de illis, aliâs ait: Tũc iusti fulgebunt si-
Matt. 13. f cut sol, in regno patris eorum. Et hic in exemplum futuræ clarificationis ipsius, resplenduit facies eius sicut Sol. Non quia domini & sanctorum eius, æqualis possit esse claritas & gloria, sed qui nihil sole clariùs videre nouimus, non solum domini, sed & sanctorum in resurrectione gloria solis aspectui comparatur, quia clariùs sole aliquid vnde exemplum daretur hominibus minimè potuit inueniri. Possumus etiam per faciem eius intelligere, præsentem & manifestam cognitionem humanitatis ipsius. Resplenduit ergo sicut sol facies eius: quia in illo supernæ beatitudinis regno, sanctis omnibus ita resplendebit vnico ac singulari splendore clarissima etiam humanitatis eius contemplatio, sicut sol vnica & singulari claritate superat omnia quæ corporeis oculis lucida videntur. Vestimenta autem eius quæ sicut nix albedine refulsere, non incongruè sancti eius figuraliter intelliguntur Apostolo dicente, Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis,
Galat. 3. d Quæ scilicet vestimenta, ipso inter homines in terris conuersante despecta, aliorumque similia videbantur, sed eo montem petente nouo candore refulsere, quia sicut Ioannes loquitur, nunc quidem filij Dei sumus sed nondum apparuit quid erimus: scimus autem quia cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus
1. Ioan. 3. d eum sicuti est. Vnde bene Marcus de eisdem
Marc. 3. d vestimentis ait, quia facta sunt splendentia candidaque nimis velut nix, qualia fullo super terram non potest candida facere. Quia quod omnibus patet, nemo est, qui sine corruptione & dolore viuere possit super terram, nemo est qui sine attactu alicuius peccati viuere queat super terram. Sed quod fullo, id est, doctor animarum siue mundator aliquis sui corporis eximius super terram non potest, dominus faciet in cœlo, emundans ecclesiam vestem, videlicet suam ab omni inquinamento carnis & spiritus, insuper & æterna carnis & spiritus beatitudine ac luce reficiens. Sequitur: Et ecce apparuit illis Moyses & Helias, cum eo loquentes Lucas hæc pleniùs exposuit, & ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses & Helias visi in maiestate, & dicebant excessum eius quem completurus erat in Hierusalem. Moyses & Helias qui loquuti sunt in monte cum domino, & dicebant excessum eius quem completurus erat in Hierusalem, id est, passionem ac resurrectionem eius, oracula legis ac prophetarum designant, quæ in domino completa & nunc doctis quibusque patent & in futuro manifestius patebunt electis omnibus. Qui bene visi in maiestate dicuntur, quia tunc apertiùs videbitur, quanta veritatis dignitate, omnis diuinorum eloquiorum non solùm sensus, sed & sermo fuerit prolatus. Possumus excessum eius intelligere specialiter, exaltationem humanitatis eius qua excesit omnia, sicut docet apostolus dicens de patre: Vt sciatis quę sit supereminens magnitudo virtutis eius, quam operatur in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexte-
Ephe. 2. d ram suam in cœlestibus, supra omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc seculo, sed & in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius. Hic est excessus mediatoris Dei & hominum hominis Iesu Christi. Quem excessum, licet pater
Ioan 5. d operatus sit, ipse tamen secundum diuinitatis potentiam, nihilominus operatus est, atque compleuit. Quæcunque enim pater fecerit, hæc & filius similiter facit. Et compleuit illum in superna Hierusalem, vbi semper videtur pax Dei quæ exuperat omnem sensum. Sed & in sanctis suis magnis excessum complebit, quando post iudicium vos vsque ad celsitudinem paternæ visionis eleuabit. Hunc itaque excessum capitis & membrum in ciuitate magni regis, complendum Moyses & Helias

Fullo doctor.

Philip. 4. Helias dicebãt, quia gloriam exaltationis, Christi & ecclesiæ, prædixerunt iugiter lex & prophetæ. Subiungit autem hoc loco Lucas solus, & dicit: Petrus verò & qui cum illo erant, grauati erant somno, & euigilantes viderunt maiestatem eius, & duos viros qui stabant cum illo. Nam iste solus qui octaui diei mensionem præmisit, nunc speciem resurrectionis describit. Nam in Petro & socijs eius, vt supra dictum est omnes designantur electi, Qui grauantur somno, dum corpora eorum in tumulis vsque ad finem seculi dormiunt. Sed in die resurrectionis euigilabunt, & ad videndam perpetuo gloriam maiestatis eius sublimabunt. Sed & duos viros stantes cum eo videbuntur, id est, veritatem sensus legis & prophetarum, qui istam clarificationem prænunciauerunt. Vel somno erãt grauati: quia splendor incomprehensibilis diuinitatis, premit quodam velut graui pondere sensus corporis nostri. Et euigilantes viderunt maiestatem eius, quia qui somnum corporis à suo corde excutiunt & mente vigiles fiunt, ad lucem supernæ visionis eleuantur. Sequitur, Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum: Domine, bonum est nos hîc esse. Si vis, faciamus hîc tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Lucæ 9. d Heliæ vnum: & hæc etiam Lucas cum duobus viris loqueretur, sic ait: Et factũ est: cum discederent ab illo, ait Petrus ad Iesum, præceptor, bonum est nos hic esse, faciamus tria tabernacula, vnum tibi, & vnum Moysi, & vnum Heliæ, nesciens quid diceret. Discessio Moysi & Heliæ à Christo, secundum illud intelligenda est, quod ait apostolus, quia cum venerit quod
1. Cor. 13. c perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Recedet enim doctrina legis & prophetarum, vbi manifestatio diuinæ visionis sanctis apparuerit. Petrus verò ad ea quæ cernebat respondit, bonum est, nos hîc esse, virosq; iam discedentes cupiebat ibi retinere noua tabernaculorum constructione. Nam quia quo amplius quisque vitæ cælestis dulcedinem degustat, eo amplius fastidit omnia quæ placebant in infimis, meritò ipse nunc visa domini & sanctorum eius maiestate, repente cuncta quæ nouerat terrena obliuiscitur, & solis his quæ videbat delectatur adhærere, ibiq́ue cum Iesu optat habitare, vbi manifestata eius gloria lætatur dicens: Domine, bonum est nos hic esse. Quia re vera solum hominis bonum est, intrare in gaudium domini sui, & huic contemplando in æternum assistere. Vnde meritò nihil vnquam veri boni habuisse putandus est, cui reatu suo exigente contingit nunquam sui faciem videre creatoris. Quod si beatus Petrus glorificatam Christi humanitatem contemplatus tanto afficitur gaudio, vt nullatenus ab eius intuitu velit secerni, quid putamus esse beatitudinis, qui diuinitatis eius altitudinem videre meruerint? Et, si cum duobus tantùm sanctis Moyse scilicet & Helia, transfiguratam in monte hominis Christi speciem videre, bonum maximum duxit, qui sermo explicare, & quis sensus valet comprehendere, quanta sint gaudia iustorum, cum accesserint ad Syon montem & ad Hebr. 12. f ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cœlestem, & multorum millium angelorum frequentiam, ipsumq́ue ciuitatis eiusdem artificem & conditorem Deum, non per speculum & in enigmate sicut nunc, sed facie ad faciem conspexerint? 1. Cor. 13. d Tamen beatus Petrus, in eo quod cœlesti conuersationi tabernacula facienda putauit, nesciebat quid diceret. In illa nanque cœlestis vitæ gloria, domus necessaria non erit, vbi diuinæ contemplationis luce omnia pacificante, aura aduersitatis alicuius timenda nulla remanebit, testante apostolo Ioanne, qui eiusdem supernæ ciuitatis claritatem describens, ait inter alia, & templum non vidi in ea, dominus enim omnipotens templum illius est, & Apoc. 21. f agnus. Nesciebat ergo quid diceret, qui mente excesserat, quia in domo patris quæ in cœlis est domus manu facta necessaria non sit. Nesciebat quid diceret, qui Christum in illa claritate semper ibi retinere volens, non cogitabat quia saluari mundus nisi morte Christi non poterat. Nesciebat quid diceret, qui oblitus est, regnum sanctis à domino nõ alicubi terrarum, sed in cœlis esse promissum: nec recordatus est se suosq́ue coapostolos mortali adhuc carne circunseptos, immortalis vitæ statum subire non posse. Sequitur: Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos, & ecce vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Lucas etiam ita: Hæc autem illo loquente: facta est nubes & obumbrauit eos, & timuerunt, intrantibus illis in nubem. Et vox facta de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Quia Petrus tabernacula facere quærebat: obtectu lucidæ nubis est admonitus, in illa vitæ cœlestis habitatione domos non fore necessarias, vbi omnia dominus æterna suæ lucis obumbratione protegit, qui lucem habitat inaccesibilem. Hæc enim nubes lucida, quæ 1. Ti. 6. e nunc super discipulos facta est, & obumbrauit eos, est illa lux inaccesibilis, in qua Deus habitat. Quæ inaccesibilis est viribus nostris, sed acceditur ad eam muneribus diuinis. Moyses Exo. 20. d enim accesit ad caliginem in qua erat Deus. Nam illa caligo & ista nubes atq; illa lux, idem sunt. Quia & omnis etiam corporea lux, quæ præ nimietate claritatis non potest aspici, rectè caligo & inaccesibilis dici potest, sicut & oculorum nostrorum reuerberatio probat in aspectu solis. De hac nube & luce, dictum est in exodo mysticè. Operuit nubes tabernaculum Exo. 40. testimonij, & gloria domini impleuit illud, nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis, nube operiẽte omnia, & maiestate domini coruscãte.

De

3. Reg. 8. b De hac similiter & in tertio regum libro scriptum est. Nebula impleuit domum domini, & non poterãt sacerdotes stare & ministrare propter nebulam: impleuerat enim gloria domini, domum domini. Tunc ait Salomon: Dominus dixit, vt habitaret in nebula. De hac & venerãdus pater Dionysius ait, sicut & alibi meminimus. Diuina caligo est inaccesibile lumen in quo habitare Deus dicitur, & inuisibili eo existente propter supereminentem claritatem, & inaccesibili eodem per superexcellentiam supersessentialis luminum manationis. In hoc fit omnis Deum scire & videre dignus, eum non videndo neque cognoscendo, verè super visio-
Psal. 138. nem & cognitionem factus. Hoc ipsum cognoscens, quia post omnia est sensibilia & intelligibilia, & prophetiæ videns, mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est & non
Psal. 17. b potero ad eam. His beati Dionysij tam pondero sis verbis, consonat & Dauid dicens de domino: Caligo sub pedibus eius, & ascendit super cherubim & volauit, volauit super pennas ventorum. Et posuit tenebras latibulum suum. Caligo nanque est ei sub pedibus, quia non ea claritate ab inferioribus cernitur, qua in superioribus dominatur. Ascendit enim super cherubim & volauit. Cherubim quippe, plenitudo scientiæ dicitur. Proinde super plenitudinem scientiæ ascendisse perhibetur & volasse, quia maiestatis eius celsitudinẽ scientia nulla comprehendit. Volauit ergo, quia longe in altum ab intellectu nostro se rapuit. Volauit super pennas ventorum, quia scientiam transcendit animarum. Et posuit tenebras latibulum suum, quia dum caligine nostræ infirmitatis obscuraramur, per ignorantiam nostram nobis absconditur, ne à nobis modò in æterna & intima claritate videatur. Posuit tenebras latibulum suum, quia in eius cognitione caligat acies mẽtis vniuersæ rationalis creaturæ, parumq́ue videt esse quicquid de eo valet agnoscere ad com-
A creatura non cognoscitur Deus, nisi quantum vult se reuelare. parationem eorum quæ de ipso se sentit ignorare. Nubes & caligo incircuitu eius, quia latet in quadam obscuritate incomprehensibilitatis suæ, nec agnosci potest à creatura nisi quãtum vult reuelare. In hanc itaque nubem intrantes apostoli timuerunt, quia quicunque ad Dei contemplationem sic proficiunt, vt eum in huiusmodi nube obscuritatis archanorum eius videant, cum magno metu reuerentiæ id faciunt. Vnde & Seraphim qui eum primi cognoscunt, faciem eius & pedes velant, & medijs alis volant, vt intelligamus quia & tam sublimis ordo beatissimorum spirituum timidus est circa celsiora & profundiora diuinarum visionum, & mediocriter ad deificas scientias attollitur.

De prædicta verò nube venit vox patris, dicens de Christo: Hic est filius meus, quia de immensa obscuritate diuinæ incomprehensibilitatis, procedit ad nos alta notitia generationis sempiterni filiæ Dei, in qua nec genitor est genito prior, nec genitus genitore posterior, quia constat & patrem sempiternè genuisse, & filium sempiternè natum esse. Sed cuius fulgorem mentis acies nondum capit, generationem eius quis enarrabit? Quia verò resplendentem filij hominis faciem apostoli cernere desiderabant, affuit pater in voce, docens eundem esse filium suum dilectum, vt discerent ab humanitatis eius gloria quam videbant, ad diuinitatis ipsius quæ æqualis & consubstantialis est illi contemplandam suspirare præsentiam. Quod autem ait de filio, in quo mihi bene complacui, hoc est, quod idem filius alibi testatur: Qui me Ioan. 8. d misit mecum est & non relinquit me solum, quia ego quæ placita sunt ei facio semper. Nam quando de hominibus dixit, pœnitet me feci- Gene. 6. b se eos, quasi sibimetipsi displicuit in peccatoribus quos creauerat. In solo autem vnigenito sibi complacuit: quia hunc inter homines hominem creasse eum non pœnituit omni modo, in quo peccatum nullum inuenit propter quod se reprehenderet, quasi per pœnitentiam, sed plenitudinem totius sanctitatis quæ sibi valde complacuit, & quod adiunxit ipsum audire, admonuit eum esse de quo supra dictus Moyses populum cui legem dedit præmone- Deut. 18. bat, quia prophetam vobis suscitabit dominus c. & d Deus vester de fratribus vestris tanquam me, ipsum audietis iuxta omnia quæcunque loquutus fuerit vobis. Neque enim Moysen & Heliam, id est, legem & prophetias audiri vetat, sed omnibus his auditionem filij qui legem & prophetas venit adimplere præferendam insinuat, cunctisq́ue veteris instrumenti typis & ænigmatibus lucem euangelicæ veritatis anteponendam intimat. Sequitur solus Matthæus, dicens: & audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam & timuerunt valde. Humana fragilitas, conspectum maioris gloriæ ferre non sustinet, totoq́ue animo ac corpore contremiscens ad terram decidit. Omnesq́ue sancti cum in Dei visione proficiunt, quanto magis diuinitatis interna conspiciunt, tanto magis se nihil esse cognoscent. Audita ergo Dei voce: Petrus & socij eius in faciem suam ceciderunt, quia quanuis homo ad intelligẽda sublimia leuetur, ex contemplatione tamen maiestatis Dei infirmitatem suæ conditionis intelligit. Et quasi statum non habet, qui se ante Dei ocu- Dei descriptio. los esse puluerem & cinerem videt. Audierunt enim vocem patris, quia ex eius reuelatione cognouerunt filium ei prorsus æqualem, omnia tenentem, omnia implentem, omnia circumplectentem, omnia superexcedentem, omnia sustinentem, vbique totum, incircunscriptum & incomprehensibilem, & ceciderunt in faciem, quia tanto apud se in suis cogitationibus consternati sunt, quanto eis illud altum erat quod audiebant. Ac naturam & excellen-

cellentiam vnigeniti Dei cogitantes expauerunt,& vilia de se senserunt in eo quodcompræhendebant, dum supernis intenderent,quæ ab
Ezech.1.f eis compræhendi non poterant. Hinc & Hiezechiel de pennatis animalibus ait: Cum fieret vox super firmamentum quod erat super caput eorum,stabant & submittebant alas suas. Ani-
Firmamentum. malia nanq; sanctos designant. Et firmamenti nomine,exprimitur incarnatus vnigenitus, per hoc quod in eo natura nostra ad æternitatem firmata est. Fit ergo vox super firmamentum,
Alæ sanctorum. cùm pater de Christo dicit:Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. Et tunc animalia stant alasq; submittunt,quia sancti intenta mente supernis intendunt,& virtutes suas humiliant. Stant enim, quando eum qui super caput,id est,super mentes eorum est, intenta contemplatione considerant, & alas demittunt, quia suæ virtutes eis vilescunt, dum alta supernæ incompræhensibilitatis aspiciunt. Sed & in eo quod dicitur,hic est filius in quo mihi bene complacui,alas submittunt, quia in eius innocentia & sanctitate vident , in quantis ipsi quotidie delinquant & quàm parum de perfectione sanctitatis habeant,& omnem de suis viribus præsumptionem deponunt. Sequitur adhuc Matthæus, dicens: Et accessit Iesus & tetigit eos,dixitq; eis: Surgite & nolite timere. Ad discipulos in infirmitatis suæ confusione iacẽtes,accessit per gratiam & tetigit eos per virtutem, iussitq; vt ad opera fortia surgerent & ti-
Quãdo tãgit Deus creaturam suam. morem quem charitas eijcit abijcerent. Accessit & tetigit,quia illuminauit & adiuuit. Accedit sed non tangit,quando quidem per eius gratiam illuminamur,sed exigentibus nostris meritis non adiuuamur. Plerumq; enim videmus quæ agenda sunt, sed hæc opere non valemus implere.Nitimur & infirmamur. Mentis iudicium rectitudinem conspicit, sed ad hanc operis fortitudo succumbit. Quia nimirum iam de pœna peccati est,vt ex dono quidem possit bonum conspici, sed tamen ab eo quod conspicitur contingat per meritum repelli. Sed ad prostratos accessit dominus eosq; tetigit & vt surgerent imperauit, quia cum nos infirmitatem nostram subtiliter agnoscentes humiliter iacemus,tunc virtute spiritussancti tangimus & ad robusta opera tangere præcipimur quæ non per timorem, sed per charitatem faciamus. Sequitur Matthæus:Leuantes autem oculos suos, neminem viderunt nisi solum Iesum. Quod & Lucas dum de patris voce loqueretur, sic ait: Et dum fieret vox,inuentus est Iesus solus.Vox patris facta est de nube dicens,hic est filius meus, & dum illa fieret euanuerunt serui & inuentus est Iesus solus, vt indubitanter agnoscerem quia solus Iesus est naturalis & vnicus Dei filius,non Moyses aut Helias. Qui igitur in consideratione suæ infirmitatis oculos mentis dum iacerent, defixerant, ipsi surgentes leuauerunt eosdem spiritales oculos ad altiores diuinæ cõtemplationis. Et tunc neminem viderunt nisi solum Iesum: quia nullus est gloria Dei patris nisi dominus Iesus Christus,& ad eius comparationem nullus sanctorum est aliquid,cessantque voces legis & prophetarum vbi pater voce propria declarat vnigenitum suum.Sequitur:& descendentibus illis de monte præcepit Iesus dicens: Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat. Lucas autem obseruantiam huius præcepti refert dicens: Et ipsi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quicquid ex his quæ viderant.Dominus verò visionem ostensæ suæ maiestatis ad tempus taceri iussit, ne si palàm vulgaretur in populos, aut dispensationem passionis illius idem populi principibus repugnando impedirent & sic humanæ salutis effectus qui per sanguinem eius erat venturus retardaretur:aut certè hi qui eandem visionem audientes credidissent viso crucis opprobrio scandalizarentur. Opportunius autem completa passione ac resurrectione & ascensione eius in cœlum, repletisque spiritu sancto apostolis,prædicata est, quatinùs omnes qui sacramentis eius initiari voluissent, non solùm effectum resurrectionis credere, sed etiam modum resurrectionis eiusdem ab his qui viderant potuissent edisscere,nec non & æternitatem diuinæ natiuitatis quam à patre audierant cunctis pariter credendam & amãdam ipsi prædicarent. His verò de lectione euangelica dictis,addendum videtur: quia sicut in ea Moyses & Helias legem & prophetiam, sic dominus Iesus euangelium designare potest, & tamen si ea quæ sunt in lectione potuerint alicubi minus aperte de verbo euangelicæ prædicationis intelligi,referenda sunt ad verbum quod caro factum est & habitauit in nobis. Ait ergo: Sunt Matt.16.d quidam de hic stantibus,qui non gustabũt mortem,donec videant filium hominis venientem in regno suo. Filius hominis non absurdè intelligitur euangelicus sermo, quia mediator Dei & hominum homo Christus Iesus eum genuit hoc est ex se protulit. Qui scilicet sermo videtur in regno suo, dum clarus & potens apparet, vt & per claritatem illuminet mentes audientium & per potentiam virtutis sanctispiritus eas corroboret quatinus ab eis & intelligatur & opere compleatur. Nec gustant mortem donec eum talem videant, qui priusquam mortis debitum soluant, ad magnam eius prouehuntur intelligentiam, & magna eum virtute operum adimplent. Nec omnibus Christo assistentibus hoc est in fide Christi manentibus, id promissum est & datum, sed quibusdam. Huic autem sententiæ verborum domini, subdit euangelista:& post dies sex, assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem,& duxit illos in mõtem excelsum seorsum. Vel factum est post hæc verba dies octo,& assumpsit Petrum & Ioannem & Iacobum,

Iacob.1.e cobum, & ascendit in montem vt oraret. Iesus
1.Cor.15. verò,id est, saluator& salutaris, est sermo euangelicus, de quo dicitur, suscipite insitum verbũ quod potest saluare animas vestras,&,notũ vobis facio euangeliũ quod prædicaui vobis, qd & accepistis,in quo & statis, per quod & saluamini. Hic ergo salutaris & saluator sermo gratiam in se sanctispiritus cõtinens,assumpsit Petrũ qui dicitur agnoscens,& Ioannẽ cuius interpretatio sonat,in quo est gratia,& Iacobũ qui interpretatur supplantator,& assumpsit eos post dies sex vel octo.Nam quia sex diebus opera mundi sunt creata,per sex dies mundũ & opera eius intelligimus,& quia octauo die facta est resurrectio,per octo dies gratia resurrectiõis exprimitur. Qui ergo supra mundũ ascẽderint, & huius seculi opera transcenderint,ac fortunæ resurrectionis immortalem fructum bona conscientia expectauerint, hi potuerunt à verbo euangelij in montem sublimis intelligentiæ duci,& seorsum vt à tumultu terrenarum cogitationum sint remoti, ibiq; claritatem ipsius verbi in gloriosum aspectũ transformati videre.In quem scilicet montem ascendit orare, quia ipsum gratiæ verbum dum coram oculis nostræ mentis in altum celsioris & clarioris intelligẽtiæ progreditur,interpellat quodammodo pro nobis, quoniam spiritales nos facit,& Deo cõmendabiles. Ascendamus ergo cum verbo in montem: vt in specie & pulchritudine sua nobis appareat, & prospere procedat & regnet. Nam iuxta modũ nostræ capacitatis, verbum ipsum nobis & minuitur & crescit,& nisi celsioris prudentię cacumen ascendamus,non nobis apparet sapientia, non nobis apparet mysteriorum cognitio, non nobis apparet quanta sit gloria, quantus decor in euangelico verbo, sed quædam vilitas & contemptibilitas nobis in eo videtur. Transfiguratus est ante eos,inquit,& facta est species vultus eius altera,quia ipse Dei sermo in aliã speciem admirandæ pulchritudinis trãsformatur in oculis eorũ quos assumit,id est,docet,&in montem sublimis intelligentiæ ducit, quàm videtur eis quos in infimo sensu deorsum relinquit. Et facies eius sicut Sol resplenduit,id est,nitor aspectu pulchritudinis eius incomparabili ac singulari claritate refulsit.Nihil enim sunt in eius cõ-
Vestimẽta Christi. parationeeloquia singularis doctrinæ. Vestimenta verò eius facta sunt alba sicut nix, & vestitus eius albus refulgens. Vestimenta Christi, verba sunt scripturarum,in oculis alta petentium:albescunt vt nix,& refulgent sermones diuinarum lectionum. Cùm autem nix ceciderit,
Scriptura sancta niui cõparata. aues cœli non habent vbi inhabitent, & lætior solito tritici prouentus exuberat. Cui rei verba scripturarum aptè comparantur, quæ de cœlo missa sunt in terram, & ieiuna nostrorũ pectorũ arua fœcundauerunt,ac spiritibus aërijs tanquã auibus immundis locum non reliquerunt. Sequitur,& ecce apparuit illis Moyses & Helias, cum eo loquentes. Vel ecce duo viri loquebantur cum illo,erant autem Moyses & Helias visi in maiestate,& dicebãt excessum eius quẽ completurus erat in Hierusalem. Moyses & Helias apparuerunt in monte cum domino loquentes cum eo,quia lex & prophetę in alto celsioris intelligentiæ cernuntur cum euãgelio,ac concordant in dictis suis cũ eo. Sed & in maiestate cum eo visi sunt: quia sapientibus & spiritualibus effulgent cum illo in gloria diuinæ excellentiæ,& dicebãt excessum eius quem cõpleturus erat in Hierusalem,quia prænunciauerũt futuram celsitudinem ipsius euãgelici sermonis, quo scilicet dignitate &potentia foret excessurus omnia in vrbe pacis æternę,ac mãsurus absq; fine. Hinc Psal. 118.
& Psalmista cecinit.In æternum domine, verbũ tuum permanet in cœlo. Dominus quoq; dixit. Cœlum & terra transibunt, verba autẽ mea non Luc.21.f transibũt. Petrus verò & qui cum illo erant, gra uati erant somno: quia corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inha- Sap.9.d bitatio sensum multa cogitantem,ac velut somno quodam corporis pigrum reddit. & euigilantes viderunt maiestatem eius, & duos viros qui stabant cum eo, quia cùm mens fortiter eluctata torporem negligentiæ & somnum imperitię superauerit,potest videre maiestatem sensuum sacri eloquij,& legem ac prophetiam persistentes cum verbo gratiæ euangelij. Aliter, Petrus & socij eius, erant somno grauati. Somno *Somnus* grauantur sancti , dum ab actione terrena & ab *sanctorũ.* amore temporalium rerum quiescunt,& ab appetitu visibiliũ mentis oculos claudunt. Qui idcirco non simpliciter dormire, sed somno grauari dicuntur,quia nõ sine pondere laboris agitur huiusmodi dormitio. Sancti enim viri qui à mundi operibus non torpore sed virtute sopiũtur, laboriosiùs dormiunt quàm vigilare potu- *Sancti labo* erũt,quia in eo quod actiones huius seculi de- *rioſius dor* ferentes superant, robusto conflictu quotidiè *miunt, quã* contra semetipsos pugnant,ne mens per negli- *uigilant.* gentiam torpeat,&ne concupiscentia carnis aduersus eam,in aliquo prævaleat, & ne ipsi à bono opere & à cœlesti desiderio pigri fiant. Et euigilantes, inquit, viderunt maiestatem eius, quia qui exterioribus vt dictũ est obdormiunt, & interioribus euigilant, interna mysteriorum penetrant. Hinc est quod sponsa dicit:Ego dor- Cantic.5.
mio & cor meũ vigilat. Ac si dicat: Dum,exteriores sensus ab huius vitæ sollicitudinib⁹ sopio, vacante mente viuacius interna cognosco. Agit enim talis anima,vt huius mundi inquietã concupiscentiam à se penitus eijciat & terrenarum cogitationum strepitum deserat, ac per quietis studium virtutibus intẽta vigilans dormit. Neque enim ad cõtemplanda interna perducitur, nisi ab his quæ exteriùs implicant,studiose subtrahatur.Itaq; qui somno grauabantur euigilauerũt,ac maiestatem eius viderunt: quia qui ab huius mundi curis obdormiunt,& supernis stu-

dijs euigilant, maiestatem sacri eloquij contẽplantur & spiritales visiones aspiciunt. Domine, inquit Petrus, bonum est nos hîc esse, id est, in contemplatione maiestatis euangelici sermonis immorari, & legẽ simul ac prophetias in claritate spiritalis intelligentiæ cõtueri. Quem scilicet sermonẽ, vocabat dominũ & præceptorẽ: quia præceptis eius ex charitate seruire paratus erat, & eius doctrinis erudiri volebat. Sed in eo quod tria tabernacula facere tribus quæsiuit, nesciebat quid diceret: cùm vnũ sit tabernaculum euãgelij, in quo lex & prophetæ morantur. Nam & vsq; nunc imperitiæ notatur, quisquis euangelio & legi ac prophetis tria tabernacula facere cupit, cùm hæc abinuicem nullatenùs valeant separari, vnum habentia tabernaculum, id est, ecclesiam Dei. Sequitur: Adhuc eo loquente: ecce nubes lucida obũbrauit eos, & ecce vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Quia imprudenter tribus quasi paribus ac diuisis tria tabernacula offerebat, venit nubes lucida, id est, mysteriorũ incõprehensibilitas, qua & splẽdet & obumbrat, quia & mentẽ illuminat ostensione diuinorũ, & ex toto Deum nõ manifestat, sed de eo plura tegit quàm reuelat. Venit, inquam, huiusmodi nubes lucida, & obumbrauit mentes eorum obscura luce sua. In quã intrantes, timuerũt, propter incõprehensibilia Dei iudicia, & propter cætera quæ in scripturis mente nequiuerunt comprehendere. Et de tanta mysteriorum incõprehensibilitate, venit vox Dei dicentis de sermone euangelij, quia hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Processit enim ex Deo & per Deũ incarnatum, datus est idem gratiq; sermo, omnẽq; perfectionem iustitiæ quam mortales capere possunt cõtinet, & omne Dei beneplacitum declarat. Propter quod & de eo dicit, in quo mihi bene complacui. Quod nequaquam de veteri Testamento dici potuit. Vnde & Apostolus ait: Reprobatio quidem fit præcedentis mãdati, propter infirmitatem eius & inutilitatẽ. nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio verò fit melioris spei, per quam proximamus ad Deum. Et item: Nam si illud priùs culpa vacasset, non vtiq; secundi locus inquireretur. Et ideò testamentũ vetus quod datum est per seruum, retinet in se vtilitatem seruitutis, nouum verò quod datum est per filium posidet honorem filiationis, de quo dicitur hic est filius meus dilectus, & additur de eo, ipsum audite, quia quicquid lex iustitiæ & prophetę promulgauerunt, in eo continetur, & multo amplius: Ait enim dominus ibi: Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis, hæc est enim lex & prophetæ. Et de maiore iustitia quæ est in nouo, quàm in veteri. Audistis, inquit, quia dictũ est antiquis, nõ periurabis, reddes aũt domino iuramenta tua. Ego aũt dico vobis, nõ iurare omnino. Itemq; audistis quia dictum est, diliges amicum tuũ, & odio habebis inimicũ tuũ. Ego aũt dico vobis, diligite inimicos vestros, bene facite his qui oderunt vos, & alia multa huiusmodi. Quia ergo nouum testamẽtum continet omnia quæ vetus iusserat, & alia multa adhuc sacratiora, ideò solum nouũ iubemur audire, id est, præceptis eius obedire. Sequitur: Et audiẽtes discipuli ceciderunt in faciem suam & timuerũt valde. Quia videlicet nos audita diuini sermonis excellentia, quę in nouo Testamento est, cadimus in faciem, id est, humiliamur & erubescimus, quod non vt decuit eum honorauimus obediendo illi reuerenter in omnibus, ideoq; nimis timemus ne ob id damnemur. Et accessit Iesus & tetigit eos, dixitq; eis, surgite, nolite timere. Quia nimirum ipse sermo euãgelicus nobis per cognitionem nostri reatus in pœnitentia iacentibus fit quodammodo propinquior, ac tangit nos manu sententiarum suarum, & ad bene operandum surgere præcipit, ac de cætero timorem excutit. Cur enim iam timeat, qui ex pœnitentia erigitur ad fortia virtutum opera? Nam & perfecta charitas, foras mittit timorem. Leuantes autem oculos suos, neminem viderũt nisi solum Iesum. Leuatis spiritalibus oculis ad alta sublimioris intelligentiæ non viderunt nisi Iesum, id est, nouum testamẽtum. Ablata enim nube, & euanescentibus Moyse & Helia, Christus solus cernitur, quia legis & prophetarũ vmbra discedente verum lumen, coruscante gratia euangelij splendet. Vbi enim legis & prophetię vmbra recedit, quæ suo velamine mentes hominum tegebat, vtraq; reperitur in euãgelio. Nam cùm tres essent, vnus est factus. Tres in principio visi sunt, vnus in fide. Quia lex & prophetia & euangelium, quando secundum litterę superficiem attenduntur, tres videntur: quando secũdum interiorem sensum inspiciuntur, vnus apparet. Lex enim & prophetiæ, iuxta spiritalem intellectũ, nihil aliud sunt quàm doctrina euãgelica. Hinc iam de monte descendentibus, id est, de altitudine sublimioris intelligẽtię & cõtemplationis ad ima cõmunis cõuersationis redeũtibus præcipitur, visionem hanc nulli dicere, nisi post Domini resurrectionem. Nemini enim narranda est claritas sacri eloquij, quæ sapientibus in alto contemplationis ostensa est, nisi qui Christũ resurrexisse iam credidit, quia nec ipse nisi post resurrectionis suę triumphum discipulis, vt scripturas intelligerẽt, sensum aperuit. Vnde & Apostolus, hanc speciosæ claritatis gloriam, qua diuinus sermo interiùs refulget, quibusdam celabat dicens: Nihil me iudicaui scire inter vos, nisi Iesum Christum & hunc crucifixum. Alijs verò iam prouectis aperiebat, de quibus ait. Sapientiam autem loquimur, inter perfectos. Minoribus enim minora prædicari debent & maioribus maiora: vt vnusquisque iuxta modum capacitatis suæ doceatur. Eis ergo

Vnũ euangelij tabernaculum, in quo lex & prophetæ morantur.

Nubes lucida.

Matt. 5. g

Lex, prophetia & euangelium vnum sunt, licet tria in superficie uisa.

ergo qui magnum sensum habent & in nouitate vitæ ambulant, dicenda est celsa visio clarificationis diuini sermonis. Vnde & nunc sicut & superiùs potest ipse sermo filius hominis intelligi. Qui scilicet sermo, quasi perimitur & velut inter mortuos computatur, ab illis qui grauiter in eum peccant, & quasi non sit, eum transgredi & conculcare non verentur. Quibus, dum tales sunt, dicere non debemus eiusdem diuini sermonis clarificationem, ne sanctum canibus & margaritas porcis dedisse culpemur. Sed si idẽ sermo resurrexerit in eis per pœnitẽtiam ipsorum & vitę melioratione̅m, tunc iam dici potest eis visio claritatis eius, quæ rursum apparet ad alta tendentibus. Sed hanc lectionem prout cœlitus nobis datum est exposuimus & eius mysteria patefecimus, quatenùs omnes qui hæc agnouerunt, adiuuante domino sic viuere studeant & supernis intendant, vt de his quæ dicta sunt gaudere & in præsenti seculo mereantur & in futuro, per Iesum Christum saluatorem nostrum, qui cum patre & spiritusancto viuit & regnat Deus, ante omnia secula & nunc, & in omnia secula, Amen.

Matt. 7. b

Ecc. 24. a
1. Cor. 1. d

IN omnibus requiem quæsiui, & in hæreditate eius morabor, tunc præcepit & dixit mihi creator omnium, & qui creauit me requieuit in tabernaculo meo.

Sapientia nunc loquitur, quã apostolus Christum esse testatur, dicens Christum Dei virtutẽ & Dei sapientiam. Sapientia ergo quæ Christus est, id est, incarnata Dei sapientia dicit: In omnibus requiem quæsiui. Post laborem verò, requies solet quæri. Dominus autẽ in se quidem quietus & incommutabilis est, sed tamen laborare se testatur, cùm duras hominum prauitates tolerat, dicens cuilibet talium: Præbuisti mihi laborem, in iniquitatibus tuis. Sed & dum apparuit in mortali carne, laborauit ex nostra infirmitate. Ideò post resurrectionem suam in omnibus quæsiuit requiẽ, vt in omniũ fide & bona actione requiesceret. Nã in quibus omnibus requiẽ quæsiuerit, docet prę̅mittẽdo: In omni terra steti, & in omni populo & in omni gente primatum habui, & omnium excellentiũ & sublimium corda, virtute calcaui. Moxq; subiungit: & in his omnibus requiem quæsiui. In omnibus ergo populis & gentibus totius orbis, & in cunctis regibus ac principibus quorũ sibi corda tandem subegit, requiem quæsiuit. Inuenit autem in his requiem, qui peccare desierunt, & sanctè ac iustè viuunt. Qui in eo quod in omnibus populis & nationibus atq; sublimibus, id est, in sublimitate dignitatum positis, requiem se dicit quæsisse, significat, in vna quaque sub cœlo gente multos palàm cerni qui peruerse viuant, & paucos velut grana sub paleis inueniri qui bene agant. Hoc enim quæritur, quod latet nec habetur. Sed & in quolibet ad vitam præ-

Isaiæ 43. d

In iustis requies domini.

destinato, quærit Christus sibi requiem, dum adhuc peccantem eum expectat, & vel præceptis seu monitis & miraculis & prosperis & aduersis, ipsum conuertere & talem facere studet, vt in eo requiescere possit. Negat autem illi in se requiem: qui non vult à malis operibus & desiderijs cessare, vt in se locum quietis Deo queat præbere, & in hæreditate, inquit, eius morabor. Eius respicit & ad requiem, & ad hoc quod suprà dixerat: ego ex ore altissimi prodij, vt intelligatur hæc hæreditas & requiei & altissimi, videlicet electorũ multitudo quos ipse altissimus ad videndam suæ celsitudinis gloriam eleuatos in superno regno possidebit, sicq; perpetualiter requiescere faciet. Ait itaq;: In hæreditate eius morabor. Ac si dicat: In omnibus quidem quæsiui requiẽ, licet non in omnibus perseuerantem eam inuenerim, sed in his qui præsciti sunt hæreditas Dei, morabor, id est, perseueranter & non ad horam manebo. In illis enim non moratur Dei sapientia, qui ad tempus credunt & in tempore tentationis recedunt. Sed in eis moratur, quos in bonitate facit vsq; in finem perseuerare. Hinc est quod de quolibet talium dicit: Veniemus & mansionem apud eum faciemus. Sequitur. Tũc præcepit & dixit mihi creator omnium, & qui creauit me requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi. In Iacob inhabita & in Israël hæreditare, & in electis meis mitte radices, tunc, inquit, cũ ego requiem in omnibus quærerẽ, ille qui creauit omnes & ius habet in omnibus, ac neminẽ vult perire, præcepit mihi, quid in his agerem, & qui me quoq; pro eorum salute creauit secundum humanitatem, ipse requieuit in tabernaculo meo. Creatum se dicit: quia homo factus est, qui superiùs asseuerat se ante secula genitũ à patre, dicens: Ego sapientia ex ore altissimi prodij, primogenita autẽ ante oẽm creaturã. Tabernaculum verò huius sapiẽtiæ est corpus assumptũ, de quo alias dicitur, in sole posuit tabernaculum suũ, id est, manifestissima visione corpus suũ. In hoc tabernaculo requieuit pater, quia nullum in eo peccatũ inuenit quod eum offenderet, sed oẽm iustitiæ plenitudinem in qua dilectabiliter quiesceret. Vnde & ait: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Atq; propheta: Requiescet super eum spiritus domini. Loquitur itaq; sicut & suprà dictũ est, incarnata Dei sapientia, & patris gloriam in omnibus quærens, asserit eũ sibi dixisse. In Iacob, &c. Iacob qui supplantator interpretatur designat luctatores, qui vitia cum labore supplantant & deijciunt. Israël aũt qui rectissimus Dei, siue vir videns Deum dicitur, illos qui subactis vitijs perfectam prout fas est rectitudinem vitæ seruant & contemplationi studẽt. In Iacob ergo, id est, in luctatoribus habitat, vt eis ait Apostolus habitare Christũ per fidem in cordibus vestris, quatenùs scilicet eius virtute cõfortati possint victores fieri, in Israël

Ioan. 14.

Psal. 18.

Matt. 17. b
Isaiæ 11.

Ephe. 3. c

verò hæreditatur,id est,perfectos iam nó amissurus,hæreditario iure possidet,qui iam sopitis vitijs optimã sibi partem elegerũt,quæ non auferetur ab eis. Hoc & per Isaiã ipse ficait: Opus manuum mearũ Assyrius,hæreditas aũt mea Israël. Assyrius enim dirigens interpretatur,significans eum qui prauitatẽ vitiorũ luctando conatur supplodere & se dirigere,& huic est opus manuũ Christi,id est,adiutoriũ eius in se manẽtis,Israël verò iam quietus, hæreditate possidetur. Radices quoq; saluator in electis mittit, ne ab eorũ cordibus vnquam auelli possit,iuxta illud Apostoli: Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio,angustia,an persequutio,an fames,an nuditas,an periculum,an gladius? Qui enim separari valet à charitate Christi, in eius mente Christus radices non misit. Sequitur: Ab initio &ante secula creata sum,& vsq; ad futurũ seculum non desinã, & in habitatione sancta coram ipso ministraui. Et sic in Syon firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui, & in Hierusalem potestas mea,& radicaui in populo honorificato. Et in partes Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine sanctorũ detentio mea. Ab initio mundi & ante secula prædestinando secundũ humanitatem creata est hæc sapientia, quoniam Deus ab exordio rerum & ante tempora secularia prædestinatum habuit in secreto cõsilij sui, vt verbũ eius caro fieret,id est,vt omnium dominus formã serui pro seruis redimẽdis misericorditer assumeret, & quod his qui fecit quæ futura sunt certissimè faciendum dispo suit,iam in eius cõspectu factum fuit. Sic igitur ante secula creauit eum secundũ humanitatem, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionẽ. Ab initio,id est,ex quo creatꝰ est primus homo,& ante seculum,id est,ex quo factus est primus angelus,creata est, vt diximus,hęc sapiẽtia: quia & quando plasmatus est homo, & quando creatus est angelus, præuisum est, vt vnigenitus Dei clemẽter homo fieret, qui genus humanũ quod grauiter deiectũ erat reuelaret: Et vsq; ad futurũ seculum non desinã: quia nullis diaboli tentationibus,nullis q; tyrannorum persequutionibus fieri poterit. vt Christiana religio non perduret vsq; ad mundi terminũ,propter quam creata sum ante mundi principiũ. Hoc est enim, quod & infrà dicitur: Non desinam in progenies illorum,vsq; in æuum sanctum. Sed & in euãgelio: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad cõsummationẽ seculi, & in habitatione sancta,corã ipso ministraui. Habitationem sanctam dicit, habitaculum sanctũ cœli, vbi ministrat coram Deo pontifex factus in æternũ. Vnde & Apostolus ait: Non enim in manufacta sancta Iesus introiuit exemplaria verorũ, sed in ipsum cœlũ, vt appareat nũc vultu Dei pro nobis. Et rursum, Talem habemus pontificem, qui cõsidet in dextera sedis magnitudinis in cœlis, sanctorum minister,& tabernaculi veri quod fixit Deus & nõ homo. Nã quod hîc dicitur, in habitatione sancta coram ipso, hoc est quod Apostolus ait, in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis: & quod hic subditur ministraui, Apostolus dicitur sanctorũ minister tabernacu- *Hebr. 9. f*
li veri. Et ne talis ministratio putaretur aliquid abiectionis habere, sedet in eadẽ sede cũ eo, coram quo & cui ministrat, & sedet in dextera parte ad honoris cumulum. Qui & subdit, Et sic in Syon firmata sum. Syon dicitur specula & speculatio, & significat illam beatorũ patriam, cuius habitatores nõ cessant manifeste speculari gloriam Dei. Vbi secundum humanitatẽ sic firmatus est Christus, vt supra dictũ est, id est, sedens *Ministeriũ*
patris ad dexterã, & agens ministeriũ pontificis, *pontificis*
quod est ostẽdere patri pro nobis cicatrices vul *Christi.*
nerũ suæ passionis. De qua eius in supernis sine
fine manenti firmatione, dictũ est patri: Fiat ma
nus tua super virũ dexteræ tuæ, & super filiũ ho-
minis quem confirmasti tibi, & eius voce, Con- *Psal. 79. c*
firmasti me in conspectu tuo in æternũ. Sequi- *Psal. 40. c*
tur, & in ciuitate sanctificata, similiter requieui.
Quia in ecclesia quæ est ciuitas Dei ex cõuersis
peccatoribus sanctificata, similem vt in angelis
requiem Christus inuenit. Vnde & orare nos *Matth. 6. b*
docuit, fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra,
id est, sicut in angelis, ita & in hominibus. Et in
Hierusalem, inquit, potestas mea. In superna
Hierusalem, quæ non frustra dicitur visio pacis,
quia semper ibi vera pax cernitur, est potestas
redemptoris nostri, quia potens est & ibi facere
quicquid voluerit. Hinc enim ait: Data est mihi *Matt. vlt. d*
omnis potestas, in cœlo & in terra. Sequitur, &
radicaui in populo honorificato. Radix sapientiæ est timere Deũ. Populus honorificatus, est
multitudo fidelium, quibus ait Petrus, vobis igi- *1. Pet. 2. b*
tur honor credẽtibus. Radicauit ergo sapientia
quæ Christus est in hoc populo, quia Dei timorem credẽtibus dedit, per quẽ peccare desistãt,
quoniã timor domini expellit peccatum: nam *Eccle. 1. e*
qui sine timore est, non poterit iustificari. Item *Cœtus re-*
populus honorificatus, est cœtus religiosorum. *ligiosorum*
Et in hoc Christus ita radicauit, vt euelli inde *populus ho-*
nullatenùs possit. Fecit enim quod superiùs à *norificatus.*
patre dictum ei fuerat, in electis meis mitte radices. Qui & subiũgit: Et in partes Dei mei hæreditas illius. Partes Dei sunt electorũ ecclesiæ,
diuersi q; sanctorum ordines, & bene viuentiũ
variæ actiones. Qui & Christi Deus est, quia &
Christus homo. In omnes ergo Dei partes tenditur hæreditas illius, quia & omnes ecclesiæ
iustorum, & quicunque ei laudabiliter in varijs
professionis & actionibus seruiunt, in æterna
eius hæreditate erunt. Et in plenitudine, inquit,
sanctorum erit, vbi nullus eorum defuerit, sed
completo ipsorum numero omnis eorum cœtus adunatus erit. Ibiq; erit incarnatæ sapientiæ detentio, quia sine fine detinebitur in eis
delectata eorum meritis: nec ad reprobos qui
damnati erunt iam exibit, quia vlterius vt con-
uertantur,

uertantur, eos nõ monebit. Sequitur: Quasi cedrus exaltata sum in libano, & quasi cypressus in monte Syon. Sicut cedrus sua celsitudine superans omniũ aliarum arborũ altitudines, excelsa est, in monte libano qui est altior omnibus alijs montibus terræ promissionis & interpretatur candidatio, sic mediator Dei & hominum homo Christus Iesus super omnem primorũ celsitudinem angelorũ sublimatus est, qui propter clariorem luminis quo fulgent candorem libanus, id est, candidatio rectè vocantur, & cæteris altiores sunt. Hanc illius exaltationem declarat apostolus, asserens: quia pater eum constituit, ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem primatum & potestatem & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur nõ solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibꝰ eius. Ita velut cedrus est exaltatus. Cui rei congruit & quod cedrus est imputribilis ac mirabiliter redolet, quia Christus carne iam est immortalis, & suauitatem ex se miri spargit odoris, quo delectantur & ipsi angeli & spiritus. Vel sicut cedrus est exaltatus in libano, id est, in candidatione sanctificationis, hoc est, omnes sanctos in sanctitate sic superauit, sicut cedrus arbores vniuersas in libano, quoniam ea quæ gessit inter homines ita sunt præclara & sublimia, vt omnia iustorum sic transcendant cacumina, quatenùs hi qui multum in Deo profecerunt, operum eius vestigia vix tangere valeant, admirantes ex vertice cogitationis, &
quasi cypressus in monte Syon. Mons Syon, ec- *Mons Syon est ecclesia*
clesia sanctorum est in altitudine virtutũ & spe-
culatione contemplationis, & sollicitæ circunspectionis: cypressus autẽ omni tempore virentibus vernat folijs vt pinus, & fructũ semper habet, ac bene redolet. Christus ergo sicut cypressus in monte Syon est exaltatus, quia Deus ipsum dedit vt scriptum est, supra omnia ecclesię, viriditate semper immarcesibili vernantem, &
perpetuis fructibus abundantem, ac redolenti-
am bonæ famæ spargentẽ. Sequitur: Quasi palma exaltata sum in Cades. Cades interpretatur *Palma.*
sanctitudo: Palma verò inferiùs tactu aspera est, & velut aridis corticibus obuoluta: superiùs autem & visu & fructibus pulchra. Inferiùs corticum suarum inuolutionibus angustatur: sed superiùs amplitudine pulchræ viriditatis dilatatur. Sic nimirum Christi & membrorum eius vita inferiùs despecta & superiùs pulchra, in imis quasi multis corticibus obuoluitur, dũ innumeris tribulatiõibus angustatur, in summis verò quasi pulchræ viriditatis folijs amplitudine beatitudinis expanditur. Palma enim, minoris amplitudinis contra naturam cæterarum arborum ab imis inchoat, & iuxta ramos ac fructus ampliori robore exurgit, & quæ tenuis ab imis proficit, vastior ad summa succresit. Quia electorum cõuersatio, qui membra Christi sunt, plus finiendo peragit, quàm inchoando proponit, & ipsi plerumq; tepidius prima inchoant, feruentius extrema consummant. Christus ergo vel in se & in suis quasi palma exaltatus est in Cades, id est, in sanctitate, quia sancti semper ad alta proficiendo dilatantur in virtutibus, & qui tenues à radice inchoationis exeunt, fortes in culminis perfectione conualescũt. Quod in ipso capite principaliter apparuit, quia in nouissimis tribus annis maiora & plura gessit, quàm in omni transacto tẽpore suo. Sequitur: Et quasi plantatio rosæ in Hierico. Plantatio rosæ, & ipsa inferiùs est spinosa, superiùs autem florida. Sic & Christus est inferiùs tribulationum spinis circundatus, atq; superiùs gloria & honore coronatus. Hierico autem quæ luna dicitur, & huius mundi & nostræ mortalitatis defectum exprimere solet. Dominus ergo quia missus è cœlo nostram in hoc mundo mortalitatem induit, quasi aliunde est assumptus, & in Hierico plantatus. Et in hoc rosæ est assimilatus: videlicet humilis, & pũctionibus passionum obsitus, sed tandem superiùs flore purpureo dignitatis regiæ decoratus. Sequitur: Quasi oliua speciosa in campis. Oliuam speciosam in campis, videre potest, & in eius aspectu delectari, quisquis per gyrum & longè & propè fuerit. Ita & Christum vndiq; mundo expositum videre potest, & in eius visu delectari, quisquis ad eum fideliter & piè aspexerit, in qualibet orbis parte sit. Oliua, pacis est nũcia: & Isaias miratur pedes Christi an- *Esaiæ 52. b*
nunciantis & prædicantis pacem. Cuius etiã misericordia per Oliuã quæ gignit oleũ designari
potest, quia & Græcè eleos misericordia voca-
tur, & oleũ cunctis quibus immiscetur liquoribus excellit, sicut & psalmista de ipsius domini
miserationibus testatur, Suauis dominus vniuer- *Psal. 144.*
sis miserationes eius super omnia opera eius: &
ideò congrue cernitur in campis huius Oliuæ
speciositas, quia qui cãpestrem, id est, latam & agrestem & imam conuersationem habent, hi
præcipue misericordia saluatoris indigẽt, & ad
eam respicere solent. Oleo ad repellendas no- *Olei descri-*
ctiũ tenebras lumen alitur, infirmitates soluun- *ptio.*
tur, & requies lassis tribuitur. Sic gratia misericordiæ saluatoris nostri, lucem fidei & charitatis ac scientiæ in nobis alendo, tenebras nostras illuminat, & animarum nostrarũ morbos sanat, ac seculi concupiscentijs fatigatos requiescere nos mente facit in contemptu seculi. Grandis enim labor est, terrenis desiderijs ęstuare, & grãdis requies, terrena nõ desiderare. Sequitur: Et quasi platanus exaltata sum iuxta aquam in plateis. Cùm platanus per se ipsam sit sublimis & amœna, respectu tamẽ proximę inferioris aquę sublimior apparet & iocundior. Sic & dominus Iesus cum per seipsum incõparabiliter fit excelsus & speciosus, respectu tamen subiecti Christianorum populi, qui per aquã designatur, excelsior & gloriosior apparet, in plateis, id est, in latitudinibus & mundi, & amplę cõuersationis.

Si enim vitæ noſtræ conſideremus humilitatẽ, & ad excellentiam conuerſationis quam Chriſtus inter homines duxit, reſpiciam⁹ quàm ſublimis erit in oculis noſtris illa eius conuerſatio? Nã vt platanus iuxta ſubteriorem aquã eſt exaltatus, id eſt, ſubiectæ fideliũ plebi proximus & ſuperpoſitus. Hinc & Pſalmiſta de illo dixerat. Pſal.1. Et erit tanquã lignũ quod plantatũ eſt ſecus decurſus aquarum. Id eſt, per myſteriũ incarnationis erit poſitus, iuxta lapſus defluentiũ populorum. Plateæ verò, latitudines deſignare ſolent, id eſt, & amplas conuerſationes, in quibus ſpatiãtur qui vita ſunt inferiores & labiles, vt aqua & mundi latas religiones: quia Græcè platos dicitur latitudo. Sequitur: Sicut cinnamonum & balſamũ aromatizãs, odorẽ dedi. Cinnamomũ dicitur, eo quod cortex eius in modũ cannæ ſit rotundus & gracilis. Eſt enim breuiſſima arbuſcula, virgas proferẽs graciliſſimas ac præciolas. Nam id eius quod in craſſitudine, id eſt, groſſitudine extenditur deſpectui eſt, quod verò gracilius prouenerit eximiũ eſt. Cinnamomũ ergo ſignificare videtur humilitatem Chriſti, quam prædicant ſcripturæ: canna, id eſt, calamo factę, quæ virgas gignit graciliſſimas & precioſas, id eſt, ſanctos diſciplinis ſpiritalibus extenuatos qui membra ſunt eius. Nam ſpiritales viri in eo ſunt precioſi, carnales aũt habentur cõtemptui. Balſamũ quoq; precioſiſſimũ eſt, & conſecratũ 1.Ioan.2.c ſit Chriſma quo oẽs Chriſtiani vngimur, & ſignificat & Chriſtũ & vnctionẽ ſpiritus eius, de qua Ioãnes ait: vos vnctionem habetis à ſancto & noſtis omnia. Vtrunq; verò, id eſt, & cynnamomũ & balſamũ, mirabiliter redolet, & maximè dum quis eo aromatizatur. Vnde nunc odori vtriuſq; aromatizantis odorem ſuũ Chriſtus ſimilatur: quia dũ in omni gente & natione credentes dono ſui ſpiritus vngit, eiuſdem vnctionis odor validi⁹, in toto orbe fragrat, & ipſe dulcius odorẽ notitiæ ſuæ per ſuos vnctos in omni loco manifeſtat, vt vbiq; ei dicatur, poſt te curremus in odorem vnguentorũ tuorũ. Sequitur: Quaſi myrrha electa, dedi ſuauitatem odoris. Myrrha mortem redemptoris noſtri cuius caro corruptionẽ nõ vidit, ſignificat, quia caro mortua quæ myrrhæ cõditur vnctione, nõ poteſt putreſcere. Vnde & hæc myrrha dicitur electa qui mors domini ſingulariter ex omniũ ſanctorum mortibus electa fuit, per quam omnes viuerẽt. Ideoq; talem mors iſta ſuauitem odoris prębet, qualem nemo aliũ ſentire potuit ita vt eius fragratia reuiuiſcãt mortui. Sequitur: Et quaſi ſtorax & galbanus & vngula & gutta, & quaſi libanus non inciſus, vaporaui habitationẽ meam, & quaſi balſamum non miſtũ odor meus. Storax eſſe fertur arbor odorifera quæ ſicut harũdo caua eſt intus, & ſucco plena, & in Chriſto qui eſt lignũ vitæ odoriferum, habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Galbanum dicunt, Coloſ.2.b confectũ ex aromatibus. Et in Chriſto eſt omnium ſpiritalium virtutum omnimoda plenitudo. Vngula quoque dicitur ab vnguendo quia præcipua eſt ad vnguendũ, & deſignat ſpiritalem ſaluatoris vnctionẽ de qua Ioãnes ait, ſicut vnctio eius docet vos de omnibus. Gutta verò ſpecies eſſe medicorũ perhibetur ad tumorẽ ſanandũ idonea, & ad deprimendũ & extinguen- 1.Ioan.2.b dum venenũ, & ſignificat humilitatem domini quę medicinaliter ſanat tumorem elationis noſtræ & omnia vitiorũ venena perimit. Libanus eſt thus & potiùs arbor thuris, Chriſtum deſignans, qui lignum eſt vitæ & fructũ gignit odoriferum qui Deo cremetur in ſacrificium. Libanus non inciſus, ſponte profert ex ſe thus odoratius, inciſus verò cõpellitur proferre thus non tanti odoris, & Chriſtus vt libanus inciſus ſponte edidit omnia quæ in carne geſſit, ideoq; melius redolẽt. Nos aũt, vt inciſus libanus ſæpe cogimus innuiti bonũ facere, quod vile eſt & pagimus innuiti bonũ facere, quod vile eſt & parũ redolens. Hæc omnia quæ nunc dicta ſunt, id eſt, ſtorax, galbanus ac vngula & gutta nec nõ & libanus, optimũ dant odorem & locum in quo ſunt inde replent. Sic & Chriſtus odore ac calore ſuo vaporat habitationẽ ſuam: quia mentem quam inhabitat, calore ſuæ dilectionis & odore ſuæ ſanctitatis replet. Mens enim quæ nõ ſentit odorẽ iſtum & calorem, nec dũ Chriſti eſt habitaculum. Balſamũ verò cui liquor alius non eſt immiſtus, magis redolet: quia Chriſti ſanctitas cui nullũ vnquã peccatũ immiſceri potuit, ſuauiorem quẽ cæteri ſancti præbet odorẽ. Sequitur: Ego quaſi terebinthus extẽdi ramos meos, & rami mei honoris & gratię. Terebinth⁹ eſt arbor magna, & ingentes multosq; ramos vndiq; protendẽs, quę reſinam gignit aromaticã & medicinalem omnibusq; reſinis alijs præſtantioré: & Chriſtus velut arbor immẽſa, diſcipulos ſuos quaſi ramos extendit in oẽs mundi partes. Thomam & Bartholomæum in indiam, Matthæũ in Ethiopiam, & Ioannẽ in Aſiam, Andream & Philippum in Scythiam, Petrũ in Italiam, Paulũ in Hiſpaniã, & cæteros in cæteras orbis plagas. Vel rami quos extẽdit opera ſunt, quæ in carne geſſit. Et ex his, & operibus vel diſcipulis, profert ipſe reſinam ſpiritalis gratiæ, quæ medeatur omnibus & præſtantior ſit vniuerſis prædicationibus & geſtis teſtamenti veteris, & rami eius ſunt honoris & gratiæ, quia & diſcipuli eius & actus ipſius, valde ſunt honorabiles & gratioſi: quoniã & laude digni ſunt & noui Teſtamẽti gratiã hominibus afferunt. Sequitur: Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatẽ odoris, & flores mei, fructus honoris & honeſtatis. Vitis in terra plantata, ꝓducit ex ſe palmites & ex his fructũ, & Chriſtus reſurgendo & aſcendendo, platanus in terra viuentium, ſanctos qui ſunt membra eius velut palmites ex ſe gignit, & ex his in ſe manentibus, fructum operis boni producit. Vnde & Ioan.15.a ait illis. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo niſi manſerit in vite, ſic nec vos niſi in me

in me manſeritis. Fructificat ergo in eis, quia quicquid illi benè agũt, ipſe facit, & ex eius radice ſurgit fructus operis illorũ. Et fructificat ſuauitatem odoris, quia fructus operũ quæ facit in eis, ſuauis odor eſt bonæ opinionis, dum videntes hæc homines glorificãt inde patrem qui eſt in cœlis. Et flores eius ſunt fruct⁹ honoris & honeſtatis, quia opera quæ in his proponendo inchoat, honorabiliter & honeſtè cõſummat, honoremq; per hæc & honeſtatẽ illis grandẽ præſtat. Flores enim ſunt vota & promiſſa, fructus aũt impletiones promiſſorũ per exhibitionem operum. Flores ergo ſanctorũ ſunt fructus, quia membra Chriſti quod vouent reddunt, quod promittũt, faciũt. Sequitur: Ego mater pulchræ dilectióis & timoris, & agnitionis & ſanctę ſpei. d. Hie. In me gratia omnis vitę & veritatis, in me omnis ſpes vitæ & virtutis. Sapientia quæ eſt Chriſtus, eſt mater pulchrę dilectionis, quia dilectionem gignit, non turpem, ſed pulchram: non indecentem, ſed honeſtam, nõ libidinoſam, ſed caſtam. Pſal 110.b Et mater timoris & ſeruilis vel caſti, quia prin- Eccle. 1. b cipium ſapientiæ timor domini, & caſtum Dei timorem gignit pulchra dilectio, cuius genitrix eſt ſapientia. Et agnitionis, quia patrem nemo Mat. 11. d nouit niſi filius, & cui voluerit filius reuelare. Qui item dixit. Palàm de patre annunciabo vobis. Sic enim ſapientia, quæ eſt filius, mater eſt agnitionis. Et ſanctæ ſpei, quia ſpem de ſanctis Ioan.17. f rebus non niſi Chriſtus gignit. Sancta enim ſpes eſt, adipiſcendi regnum Dei & iuſtitiam eius, & hanc vera dat ſapientia. In qua eſt & gratia omnis vitæ & veritatis, quia niſi per gratiã quæ eſt in hac ſapientia, id eſt, in Chriſto, nullus vitam perpetuam ſeu veritatem incommutabilis eius beatitudinis valet conſequi, cùm ipſe Chriſtus ſit veritas & vita. Ideoq; & omnis ſpes vitę & virtutis eſt in eo, quia non niſi per eum quis rectè ſperat vitam beatam & immortalitatis eius virtutem inuenire, & virtutem aliquam bonæ conuerſationis habere poteſt. Sequitur: Trãſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini. Nonnulli ſapientiã, quæ Chriſtus eſt, concupiſcunt: ſed quibuſdam ſeculariũ rerum obſtaculis retinentur, ne ad eam veniant, eamq; per religioſam cõuerſationem apprehendãt. Sæpè enim fit, vt dum quis ad religioſam vitã ſe conuertere cogitat & Chriſtũ ſequi, obſiſtat ei & praua cõſuetudo vitiorum, quibus delectari ſolet, & amor parentũ aut cõiugis, ſeu filiorum & poſſeſſionũ, ſiue blandimenta carnalium amicorum, & aliqua huiuſmodi. Ideò nũc vera ſapientia iubet, vt oẽs qui eam mente concupiſcunt, tranſeant cunctos huiuſmodi obices, & ad ipſam dũ licet venire feſtinẽt, & poſtquam ad eã venerint, nõ remaneãt vacui, ſed impleantur generationibus eius, id eſt, ſenſibus intelligentiæ & prudẽtiæ ac virtutibus, quas generare ſolet in his qui ad ſe venerũt. Sequitur: ſpiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauũ. Memoria mea, in generatiões ſeculorũ. Ideò tranſeundum eſt ad diuinam ſapientiam, calcatis difficultatum obſtaculis, quia ſpiritus eius quam inſpirat tranſeuntibus ad ſe, eſt melle dulcior, & hæreditas ſempiternæ beatitudinis quam eis præparauit, ſuperat dulcedine mel & fauum. Mel dicit propter animas iuſtorum, quæ corporibus ſolutæ iam aſſiſtunt conſpectui gloriæ conditoris, & datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ, fauũ verò propter electos poſt Apo.6.c reſurrectionem tam in corporibus, quàm in animabus in ſuperno regno: beatos, quãdo iam in Iſaiæ 67.c terra ſua duplicia poſſidebunt. Fauus enim eſt mel in cera, ſignificans animam in corpore, ſicut mel ſine cera, animam ſine corpore. Sed & memoria ſapientiæ iſtius erit in generationes ſeculorũ, quia laus eius perenniter ab electis decantabitur, & adhęrentes ſibi faciet eiuſdem laudis eſſe participes. Sequitur: Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitiẽt. Qui cordis ore dulcedinẽ veræ ſapientiæ guſtant, quantò eius ſaporem ſentiunt, tantò magis in deſiderio eius ardeſcunt, & quantò plùs de hoc potu bibunt, tantò auidius eum ſitiunt. Nam ſpirituales deliciæ cùm habentur, in deſiderio ſunt, tantoq; à comedente ampliùs eſuriũtur, quantò & ab eſuriente ampliùs comedũtur. Sequitur: Qui audit me non cõfundetur, & qui operãtur in me non peccabunt. Qui Chriſtũ obedienter audit, non confundetur, id eſt, non erubeſcet, quia cũ honore magno erit ad dexterã eius in iudicio. Et qui operantur in eo, non peccabunt, quia omne opus quod ſecundum eum fit, caret peccato. Sequitur: Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Elucidãt ſapientiam, qui ob ſalubriter declarandam Chriſti notitiam ſcripturas explanant, qui ipſum Chriſtum piè prædicant, qui eũ luce ſuorum operum glorificant, & ideò vitam ęternam habebunt, id eſt, ipſum Chriſtum, quia hic eſt verus Deus, & vita æterna.

Lectio Euangelij ſecundum Lucam. CAP. XVII.

IN illo tempore: Dum iret Ieſus in Hieruſalem tranſibat per mediam Samariã & Galilæam. Et reliqua.

Præſens lectio ſecundum hiſtoriam quidem ſemel opere completa eſt, ſed ſecundum ſpiritalem ſenſum quotidie impletur. Nos enim in Adam à viſione pacis quod Hieruſalẽ interpretatur, receſſeramus, ac in huius exilij rixoſas inquietudines deſideramus, & ad inferni ſupplicia nihil pacificum vltrà viſuri properabamus. Verbum aũt per quod facta ſunt omnia, nos miſericorditer ad ſuæ pacis viſionẽ, in qua perenniter quieſceremus reducere volens, deſcendit ad nos qui ad ipſum nequibamus aſcendere, & ſuſcepta in ſe noſtra humanitate, tetendit ad ſupernam Hieruſalem, vbi ſemper vera pax cernitur, & illuc nobis via aperuit, & quia electos

hominesſua membra fecit, in ipſis mēbris ſuis adhuc quotidie vadit in Hieruſalem, dum electos ſuos ab hoc exilio reducit ad patriā, in qua pax regnat ſine vlla inquietudine carnis aut ſpiritus. *[Pro. 4.d]* Quæ ſcilicet patria, nomine Hieruſalem hîc deſignatur, quæ viſio pacis, vt dictum eſt, interpretatur. Ad quam pergens, trāſibat per mediam Samariam & Galilęam. Samaria nanq; interpretatur cuſtodia, & ſignificat iuſtorum diligentiam, qui cuſtodiunt mandata Dei, qui omni cuſtodia cor ſuum ſeruant, qui actus ſuos omni hora cuſtodiunt. Galilæa verò quæ dicitur tranſmigratio facta, deſignat eorum vitam, qui à malis operibus ad religioſam conuerſationem per anguſtam pœnitentiæ viam migrauerunt. Vadens ergo in Hieruſalem, tranſibat per mediam Samariā & Galilęā, quia quotidie quoſdā ſibi vnitos, tranſire facit ad æternæ pacis beatam viſionem, & ex his qui non errauerunt, & ex his qui ab errore ad veritatem redierunt. In eis enim tranſit in Hieruſalē, quos ſua membra factos, de præſenti ſeculo nequam eripit, & ad ſupernæ maieſtatis perpetuam contemplationem perducit. Tranſit per mediam Samariam & Galilæam, id eſt, diuidit per medium tali tranſitu Samariam & Galilæam, per quas, vt dictum eſt, intelligimus iuſtos & pœnitentes, quia videlicet & ex iuſtis, & ex conuerſis quoſdam eligens ad terram viuentium ſecum ducit, quoſdam autem ex eis hîc adhuc agonizari permittit. Verbo aūt præteriti imperfecti dicitur, quia trāſibat, vt detur nobis intelligi, quia tranſitus ipſe nondum peractus eſt, ſed adhuc agitur. Illa verò pars electorum, quæ retinetur in huius vitæ laboribus, deſignatur nō incongruè per caſtellum, de quo ſubditur, quia dum ingrederetur Ieſus quoddā caſtellum, occurrerunt ei decē viri leproſi. Nam ſancti, inter pericula tentationum huius ſeculi inſtar caſtelli ſeipſos intra vallum diſciplinę cauta circumpectione cuſtodiunt. Caſtellum enim munitur aduerſus hoſtes, & ſollicitè cuſtoditur, ſignificans eccleſiam inter huius vitæ diſcrimina fortiter vndique clauſam atque munitā contra malignos ſpiritus, & peruigili ſolicitudine ſeruatam. Quod caſtellum dicitur quoddam, vt iuxta literam neſciatur, & iuxta ſpiritalem ſenſum cognoſcatur. In quo ſcilicet ſpiritali caſtello, id eſt, in eccleſia ſemper eſt dominus ſicut ait ſuis diſcipulis, *[Matth. ult.]* ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi: ſed tamen deeſſe videtur aliquotiens, vbi permittit iniquos multiplicari, & ſuum electis ſuis palàm non præſtat auxiliū, ſed tribulationibus & aduerſis eos affligi, velut à ſe derelictos ſinit. *[Pſal. 9.c]* Vnde & illa vox eſt: Vt quid domine receſsiſti lōgè, deſpicis in opportunitatibus in tribulatione. Cùm aūt deeſſe dominus videtur, tunc foras *[Qui leproſi.]* tendunt illi, qui per decem leproſos figurantur. Multi enim, & aduerſitatibus fracti volunt à fide recedere, & infidelibus ſe iungere, quaſi dicendo, eamus & diſponamus teſtamentū cum gentibus, quæ circa nos ſunt: *[1. Machab. 1.d.]* vel tentationibus vitiorum ſuperati, mala tot & tanta faciunt, vt gentilibus in actione ſimiles fiant, dum ab eccleſiæ viſceribus ad res ſeculi per deſideria foras tendunt. Hi ſunt enim ſpiritaliter leproſi. Qui proptereà dicuntur decem, quia contra Dei præcepta faciunt, quæ propter decalogū legis per denarium numerū intelligi ſolent: Sicut enim obſeruatores mandatorum cœleſtium, aſſequuntur inde mundationem & ſanitatem animæ, ſic contraria mandatis ipſis agentes, ſpiritalem contrahunt inquinationem & infirmitatem, adeò vt tales in anima fiant, quales in corpore cernūtur, qui lepram carnis patiuntur. Qui tantò magis foras tendunt, quantò peruerſius agunt, & ita fiunt hæc, dum Ieſus abeſſe videtur. Fit autē plerunque per reſpectū diuinæ gratiæ, vt dominus ipſe Ieſus ad hoc eccleſię caſtellum palàm venire & ingredi videatur, ſubitò ſcilicet tribulationes ſedans, populumque ſuum à prauitatibus conuertens, & magnum religionis incremētum ei largiens. Et tunc ſpiritaliter agitur quod dictum eſt, qui dum ipſe caſtellum hoc ingrederetur, occurrerunt ei decem viri leproſi. Nam inuenit eos contra ſe tendentes, id eſt, via ſibi contraria gradientes, dum illi foras, & ipſe tendit intus, atque ſiſtit eos, & ſtare facit atque ceſſare, ne pergant vlterius in via peruerſa. Steterunt enim, & ſteterunt à longe, quia non ſtatim potuerunt ei propinquare, ſed procul ſtantes verſi ſunt ad preces, & magno cordis clamore dixerunt: Ieſu præceptor, miſerere noſtri. Nam intellexerunt eum eſſe ſaluatorem, qui peccatorum morbos omnes ſanare poſsit, & ſe miſeros ob hoc eſſe factos agnouerunt: quia præceptis contraria fecerant, ideoque Ieſum, id eſt, ſaluatorem vocabant eum & præceptorem, quem vt ſui miſereretur orabant. Quos vt intuitu clementiæ vidit, dixit: Ite oſtendite vos ſacerdotibus, id eſt, per humilem oris cōfeſsionem, ſacerdotibus veraciter manifeſtate, omnes interioris lepræ veſtræ maculas, vt mundari poſsitis, & quod rogabant, factum eſt eis dum irent ad ſacerdotes, quia ſcilicet mūdati ſunt, quoniam peccatores licèt graui criminum lepra ſint fœdati, euntes tamen ad confitendum purgantur in ipſa confeſsione propter pœnitentiā, quā acturi ſunt. *[Confeſsionis ſacramentalis efficacia.]* Dum irent mundati ſunt, quia ex quo iter hoc intrant incipiūt operari iuſtitiam, & iuſtitiæ operatio eſt eorum mundatio. Dum irent mundati ſunt, quia ex quo tendentes ad confeſsionem & pœnitentiam, tota deliberatione mētis peccata ſua dānant, & deſerunt, liberantur ab eis in conſpectu interni inſpectoris. *[Eze. 33.c]* Vnde & per Prophetam dominus ipſe teſtatur, quia impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuerſus fuerit ab impietate ſua. *[Sacerdotibus confitendum.]* Perueniendū tamēeſt ad ſacerdotes, & ab eis quærenda ſolutio, vt qui iam coram Deo ſunt mundati,

dati,

dati, ſacerdotum iudicio etiā hominibus oſtendantur mundi. Sequitur: Vnus autem ex illis, vt vidit quia mundatus eſt, regreſſus eſt cum magna voce magnificans Deum. Vnus iſte deſignat vnum in bono perſeuerātem affectum eorum, qui poſtquam pœnitendo veniam adepti ſunt, permanent in humilitate, & gratiarum actione. Quod enim dicitur vnus, intelligēdum eſt, non diuerſis iam ſe voluntatibus vacans, ſed in Deo placendi voluntate perdurans. Nam & omnes electi propter hanc bonitatis vnanimitatem, non ſolùm vnum ſe etiam vnus rectè dici poſſunt, ſicut indicat Apoſtolus, vbi de omnibus qui ſunt in eccleſia bonis & malis, myſticè loquitur. *[1. Co. 9. d]* Omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium. Omnes enim Chriſtiani & boni & mali pro modo ſuo quiſque currunt ad brauium, ſed vnus qui legitimè currit, id eſt, vnitas electorum percipit illud, ſicut & omnes hi leproſi mundati ſunt, ſed vnus egit gratias. Vnus itaque cùm vidiſſet quòd à criminū lepra mundatus eſſet, redijt ad mundatorem, grates ei referens, & ſe magis illi humilians, & deuotior exiſtēs, ac ſemper ei placere ſtudēs. Nam hic vnus, vt dictum eſt, eos qui ſic agunt deſignat. Noluit ingratus iam eſſe, ſed regreſſus eſt cum magna voce magnificans Deum. Rectè cum magna voce, quia magna Dei beneficia ſe percepiſſe gratulabatur. Magna voce, deuota potiùs quàm clamoſa debemus intelligere. Non enim exigua vocis deuotione Deum magnificare cupiebat, qui ſe de tantis malis magnificè liberatum gaudebat. Interioris lepræ ſanitatem à Chriſto conſequutus magnificabat Deum, vt glorificaretur pater in filio. Et cecidit in faciē ante pedes eius, quia de prioribus actibus erubeſcens, ſibi vilis apparuit, & deuota ſe Chriſto humilitate proſtrauit. Statum iam rigiditatis & ſuperbiæ non habuit, ſed tota mentis conſternatione ſub pedibus ſaluatoris benè iacuit, gratias agēs, quòd de tanta miſeria liberatus eſſet: & hic erat Samaritanus, id eſt, cuſtos: quia ne percepta beneficia poſſet amittere, ſeruabat ea per humilitatis cuſtodiam, & ſeipſum cautè iam cuſtodiebat, ne plagā vlterius lepræ ſpiritalis incurreret, & cor ſuum, actusq; ſuos à malo cuſtodiebat. Reſpondens autem Ieſus, dixit: Nónne decem mundati ſunt, & nouē vbi ſunt? Operibus huius qui gratias retulit, & aliorum qui ingrati fuerunt, reſpondit dominus. Nónne, inquit, decem mundati ſunt, & omnes pariter ad reddendas gratias redire debuiſſent? Decem mundati ſunt, quia *[Nouem neſciuntur à domino.]* legitimus numerus eſt purgatus. Sed nouem quaſi neſciuntur à domino, quia maluerunt elōgari ab eo per peccata, quàm ꝓpinquare ei per bona opera. De quibus ait: Vbi ſunt? Quod eſt dicere: Qui in humilitate & gratiarum actione deberent adeſſe, vbi ſunt? Qui mihi per meritū deuotionis & operis propinquare deberent, vbi ſunt? Qui in obſeruātia mandatorum meorum eſſe deberent, vbi ſunt? Quia verò nouenarius numerus habet ter tria, & ad fidem trinitatis pertinet, hi nouem deſignāt illos, qui poſtquam pœnitendo mundati ſunt, à præcedentibus culpis exiſtūt deſides & ſecuri, nec ſe in bonis operibus exercent, ſed ſolam ſibi fidem ſufficere putant. Non eſt inuentus qui rediret & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena, quia non inuenitur, qui poſt acceptam veniam recordetur diuinę pietatis, & ei gratias deuoto corde referens, *[In ſolius fidei iactatores.]* perſeueret in bonis actibus, niſi qui non ſit ex filijs terrenæ babylonis, ſed ex filijs Hieruſalem cœleſtis, & ait illa: Surge, vade, quia fides tua te ſaluum fecit. Humiliter adhuc iacenti pro peccatis pœnitendo deletis, præcipitur vt ſurgat ad bene agendum, & vadat, id eſt, promoueatur ac proficiat in bonis operibus. Qui enim infirmitatem ſuæ conditionis humiliter agnouit, ac puluerem & cinerem ſe eſſe perpendit: iubetur ad robuſta opera ſurgere, ac ꝓmoueri in profectu iuſtitiæ. Cui & dicitur: Fides tua te ſaluum fecit. Credidit enim grates eſſe referēdas, vt Deo ei, qui ſe mundauerat, & opere Deus innotuerat, & fidem quæ per dilectionē operatur habebat, ac per eam à prioribus malis ſaluus erat, in quibus antè perierat, quia non ſine operibus fidem ſibi ſolam ſufficere, ſicut illi nouem, æſtimauit.

Lectio Euangelij ſecundum Lucam, Cap. XIIII.

IN illo tempore: Cùm intraret Ieſus in domum cuiuſdam principis Phariſæorū ſabbato manducare panem, & ipſi obſeruabant eum. Et reliqua. *[Luc. 14.]*

Hæc quę nunc ſecundum hiſtoriam mira referuntur, ſecundum ſpiritalem ſenſum plus admiranda noſcuntur. Nam Phariſæi, qui interpretantur diuiſi, ſignificāt Iudæos ab omnibus alijs gentibus circuncisione & lege diuiſos. Princeps Phariſæorum, myſticè eſt Pōtifex olim Iudæorum. Dominus principis huius, ſynagoga. In quam ſcilicet domum, intrauit dominus, quando *[Pſal. 18.]* tanquā ſponſus procedēs de thalamo, natus eſt in plebe Iudęorū ex intemeratę virginis vtero, & hoc fecit ſabbato, id eſt, cùm iam ceſſarent iuxta Dei voluntatem carnalia legis opera, & operum edicta: quia lex & prophetæ vſq; ad Ioannem. Nam ſecundùm legem ſabbato ceſſabatur ab exteriori actione, & ideò ſabbati nomine deſignatur ceſſatio carnaliū legis ipſius actionum. *[Mat. 11. b]* In huiuſmodi ſabbato dominus in domū prædictam intrauit, & intrauit māducare panem, id eſt, vt caperet cibum, hoc eſt, vt faceret patris voluntatem. *[Ioan. 4. e]* Ait enim: Meus cibus eſt, vt faciā voluntatem eius qui me miſit, & ipſi obſeruabant eum, id eſt, etiam ipſi, ad quos venerat, inſidiabantur ei. Significauerunt autē eam Iudæorum partem, in qua & ipſi erant, quæ ei ſemper inuidens inſidiabatur, & quærebat occaſiōes reprehendēdi vel accuſandi eū. Et ecce homo quidā

hydro.

Auarus & Hydropicus.

hydropicus erat ante illum. Hydropicus iſte qui erat in domo principis Phariſęorũ, typus fuit populi qui erat in ſynagoga Iudæorum, auaritiæ morbo laborans. Hydropicus enim, quò ampliùs bibit, eò ampliùs ſitit. Sic & auarus quò magis pecuniam auget, eò magis pecuniæ ſiti ardet, & ei creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit. Talemq; dominus ſynagogæ populũ inuenit, qui ſolam legis literam occidentem ſectabatur, & ſpiritum viuificantem neſciebat, atque promiſsiones quæ ſecundum litteram ibi non niſi carnales inueniuntur, expectabat à Deo pro remuneratione laborum ſuorum velut maxima bona, & ideò ſe totum in appetitu talium effuderat, ſolaq; præſentis vitæ bona ſitiebat, quæ in ſola Dei lege promitti putabant, & ſic eum litera malè intellecta perimebat, & propter huius languorẽ ſpiritualem, dominus inſidiatoribus ſuis reſpondens, dixit ad legis peritos & Phariſæos, qui ſe volebant reprehendere. Si licet ſabbato curare, id eſt, ſi iuſtè poteſt fieri, vt ceſſantibus legis operibus, quorum ocium appellatione ſabbati deſignatur, iſte populus ſanetur ab hoc auaritiæ morbo, quo turgidus æſtuat, & re vera nó niſi ſabbato curari poterat, quia niſi ceſſaſſet actio carnalium obſeruantiarum, non exinanirẽtur carnalium bonorũ in lege promiſsiones, nec eorum cupiditas extingueretur in corde Iudaici populi. At illi, qui de hac re fuerunt interrogati tacuerunt, quia de abolitione carnalium obſeruationum loqui noluerunt, quas iam debere ſecundum rationem ſtare nequibant oſtendere. Nam ex illo tempore iam à confeſsione verita tis ora clauſerant, ex quo de ſaluatore conſpirationem fecerant, vt ſi quis illum confiteretur Chriſtum, extra ſynagogã fieret. Quo-
Ioan. 9. c rum taciturnitas, ſilentio Zachariæ non credentis eſt deſignata: ægrotum autem apprehendit
Luc. 1. b & ſanauit, quia populum Iudæorũ morbo auaritiæ ſicut dictum eſt laborantẽ, apprehendit in his quos elegit: & ab omni terrena cupiditate liberauit, quando venditis omnibus quæ poſſederant, & poſitis eorum precijs ad pedes Apo-
Acto. 2. g ſtolorum pauperem vitam communemq́ue ducebant vnanimes in charitate. Sic ergo per gratiam ſuam Chriſtus eos ab omni illa peſte inſatiabilis auaritiæ ſanauit, & ita dimiſit, id eſt, à iugo legis ſoluit, & in libertate charitatis arbitrio ſuo relaxauit, vt non iam coacti, ſed ſpontanei bona facerent. Quiſquis enim charitate
Amanti nihil præcipiendum. flagrat, non neceſſe eſt, vt ei præcipiatur, niſi vt faciat quicquid voluerit. Dehinc æmulorum inuidiam confutans ſaluator, ait illis: Cuius veſtrũm aſinus aut bos in puteum cadet, & non cõtinuò extrahet illum die ſabbati? Quæ ſcilicet ſententia, & inſidiatores conuincit, & ad ipſum noſtræ liberationis auctorem ſpecialiter reſpicit. Ipſe enim ſecundum carnis materiam vnus Iudæorum erat, qui carnem ex eorum gente ſuſceperat. Cuius aſinus & bos in puteum cecidit, quia gentilis & Iudaicus populus, quem vtrumque ipſe creauerat in ima vitiorum corruit. Aſi-
Aſinus gentilis populus, bos Iudaicus. nus enim gentilem deſignat populum, brutum nimis & oneribus cunctis errorum ſubſtratum: bos verò Iudaicum iugo legis ſubditum. Non ſolùm enim aſinus, id eſt, gentilis populus, ſed & bos, id eſt, Iudaicus, eſt in profunditatem peccatorum delapſus: quia nec ipſe iuſtificari potuit ex legis operibus. Sed vtrunque dominus extraxit, quia per fidem ſuam vtrunque iuſtificans ad libertatem charitatis eduxit. Et hoc fecit continuò, id eſt, ſine dilatione: quia in baptiſmo deleuit abſq; mora culpas eorum, & dedit eis innocentiam. Die ſabbati, id eſt, clara luce fidei & ſcientiæ, in operum legis ceſſatione.
1. Co. 1. c Et non poterant ad hæc reſpondere illi: quia eductis de profundo malorum duobus populis, & ad lucem fidei cõuocatis, ſic ſtultã fecit Deus ſapientiam mundi, vt eius ſapientes, qui eccleſiæ ſaluatoris inuident, non inueniant quid reſpondeant econtra & rationabiliter dicant, ſed clauſo ore ſilentium teneant, & interno liuore tabeſcant.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Ioannem. Cap. VI.

IN illo tempore: Erat quidã regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Et reliqua.

Quod in lectione euangelica de vno regulo, & eius filio ſingulariter factum audiuimus, humano generi generaliter conſonare videbimus, ſi adhibita diligentia myſticum intellectum ſuperficiei literæ coaptemus. Regulum aũt à rege nomen deductum, & literarum cõſonantia demonſtrat, & ſignificatio deductionis approbat. Scimus etiam quia fuere reguli, id eſt, minores reges. Hominem igitur ad excellẽtiſsimi regis imaginem & ſimilitudinẽ factum, dum bene ſe rexit, dum ſibi temperanter imperault, regẽ fuiſſe quis dubitet? Regnum verò iſtius regis, pa-
Regulus quis. radiſus Dei fuit, in quo fœlix homo colonus, in quo operarius poſitus, in quo rex dominus vt dominaretur ac præeſſet beſtijs & piſcibus, atq; reptilibus & auibus, tanquam rex in ſolio collocatus eſt. Sed proh dolor qui hoc modo magnus
Adam rex. rex ſublimatus præſidebat, per inobedientiæ tumorem à regno illo depulſus eſt, & ærumnis ac triſtitiæ expoſitus eſt. Tamen miſerante Deo,
Pſal. 144. b cuius miſerationes ſuper omnia opera eius, non ex toto miſer homo in perditionis abyſſum redactus eſt: quoniam neque liberum amiſit arbitrium, neq; à rationis capacitate alienatus eſt. Perdidit ergo per ſeipſum magnum quid, reliquit autem ei miſericordia conditoris parum quid. In eo itaque quod amiſit, rex eſſe deſijt, in
Adam ex regergue lus. eo autem quod præ cæteris animalibus ſibi relictum eſt, quaſi regulus victitauit. Quod ipſa Euangelij verba videntur innuere, dicendo quia erat quidã regulus. Per hoc enim quod dicitur

citur erat, quod imperfectæ ſignificationis verbum eſt, quod ſic ex parte iã præterijt, vt ex parte videatur adhuc non præterijſſe, & ſenſum habet ſubſtantiuum, eſſentia hominis iudicatur, quæ iam ex parte tranſierat mortua, & ex parte ægrotabat ſaucius, vt penè nihil eſſet homo qui erat: quoniam infirmabatur, & mori incipiebat, cuius proprium nomen tacetur, & dicitur: erat quidam, quia non erat dignus audire, noui te ex nomine, neque erat nomen eius ſcriptum in
Exo. 33. c cœlis, vt Deus illud dignaretur nominare. Nam & nos plerunq; quorundam vocabula, quæ tamen bene meminimus, propter dedignationem prætermiſimus, cùm eorum recordationem faſtidimus. Idcircò autem nomen iſtius ſpiritui ſancto viluerat: quia peccator erat, quia infirmꝰ regulus. Cuius filius infirmabatur Capharnaũ. Filius eſt, in quo pater affectu paterno ſpecialiter delectatur, quem tenerrimo & toto tãquam ſeipſum confouet amplexu. Hoc in homine interiore animũ intelligimus, quem à primo plaſmate vſque ad Chriſtum, multa ſpiritalium febrium incõmoditate præuentum, nequaquam dubitamus. Capharnaum autem ager pulcherrimus dicitur, & mundus iſte creaturarum ornamentis decoratus, magni opificis ordinatione conſpicuus, ager pulcherrimus non incongruè intelligi poteſt. Cuius colonus homo vtpote aduena & peregrinus, quantò licentiùs peccabat, tantò abundantiùs ægrotabat. Aegrotauit autem hominis portio precioſior, animus videlicet, qui tanquam filius homini debet eſſe charior. Hic cùm audiſſet, quia Ieſus aduenireta Iudæa in Galilæam, abijt ad eum & rogabat eum, vt deſcenderet & ſanaret filium eius, incipiebat enim mori. Iudæa quidem confeſſio ſiue laudatio & glorificatio, Galilæa verò interpretatur tranſmigratio facta. Et Ieſus venit à Iudæa in Galilæam, quando à confeſsione & laudatione, quæ illi ſurſum à ſanctis angelis inceſſanter dabatur, dignatus eſt per carnis aſſumptionem venire ad nos, qui tranſmigrationem feceramus à paradiſo ad huius vallem miſeriæ. Et hunc eius aduentum audiuit regulus:
Zach. 2. d quia illum per Zachariam homo dicere cõperit, lauda & lętare filia Syon, quia ecce ego venio & habitabo in medio tui ait dominus. Cumq́; hæc & his ſimilia de eius aduentu verba Prophetarum audiſſet, abijt ad eum pro filio ſupplicaturus, mores mutaturus, in ipſum crediturus. Abijt ad eum, quia cœpit ad eius fidem aliquantulum accedere. Et rogabat vt deſcenderet & ſanaret filium eius, quem diximus animũ ipſius eſſe: quia per Pſalmiſtam dicebat: Domine in-
Pſal. 145. clina cœlos tuos & deſcende. &, Domine miſe-
Pſal. 40. rere mei, ſana animam meam, qui peccaui tibi. Rogabat vt deſcenderet, hoc eſt, ad humilitatem paſsionis ſe miſericorditer inclinaret, & filium eius, hoc eſt, chariorem eius portionem ſanaret. Non enim poterat animus hominis à peccati morbo ſanari, niſi medicamentũ ei fieret mors ipſius medici. Incipiebat enim peccati languore iam mori. Hic eſt enim ſaucius, quẽ ſicut alibi dicitur: Latrones in via ſemiuiuum reliquêre. *Luc. 10.* Viuit enim ex ea parte qua Deũ poteſt cognoſcere, & quid rectum ſit diſcernere, mortuus verò eſt, ex ea parte qua peccatis tabeſcit & nequitia deficit. Ex toto autem erit mortuus, ſi fuerit in inferno damnatus. Sic ergo incipiebat mori, id eſt, vitiorum lãguore nimium grauabatur, & morti damnationis æternæ propinquabat. Sed ne ex toto moreretur, acceſsit pater ad Ieſum pro eo rogaturus, vt *ipſe* qui vita, qui medicus, qui medicina eſt, obuiaret morti. Poſt mortem enim nulla poſſet inueniri medicina: quia in inferno nulla eſt redẽptio. Quiſquis enim ſemel æternæ damnatiõi traditus eſt, nunquam vlterius redemptionem conſequi poteſt. Dominus autem regulo deprecanti reſpondit: Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis. Inter ſigna & prodigia hoc diſtat, q̃ ſigna *Signa & prodigia.* quidem dicũtur, eò quòd præſentialiter aliquid ſignificent, prodigia verò quaſi porrodicia vocantur, eò quòd porro dicant, porro ſignificent, & aliquid futurum portendant. Et dominus ſigna fecit atque prodigia: quoniam opera eius alia in præſenti aliquid ſignificabant, alia in futurum proſpiciebant. Regulus ergo deſcenſum eius ad ſalutem filij rogabat, dominus autem deſcenſum ſuũ cõmendabat, & regulo ſubtiliter intimabat, dicens: Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis. Ac ſi diceret: Deſcenſus meus ad mortem, & ad inferos quẽ deſideras, ſignum magnum eſt: quia febricitantiũ ſalus eſt, & prodigium magnum eſt, quia reſurrectio mortuorum eſt. Nec fides Chriſtiana in gentibus pullulare poterit, niſi ſigna hæc & prodigia viderit. Dicit ad eum regulus, vnus credẽs ex gentibus, gentium primitiæ præſignatus: Domine deſcẽde, priuſquam moriatur filius meus. Domine quandoquidem deſcenſus tuus ſignum & prodigium magnum eſt, nec pręputium ab infirmitatibus ſuis poterit conualeſcere, niſi ſigna hæc & prodigia meruerit videre: deſcẽde, quoniam melius eſt ſicut præordinaſti, vt deſcẽdas, quàm vt filius meus, id eſt, gentilis populi animus in æternum pereat. Deſcẽde ergo de incarnatione ad paſsionem: quoniam ex paſsione tua conſequetur anima mea liberationem. Huic tantæ fidei ac deuotioni duntaxat, reſpõdit Dominus: Vade, filius tuus viuit. Durum eſt enim intelligere, quòd incredulo & infideli dixerit, vade filius tuus viuit, niſi ſupplicantis fidem, deuotionemq́; cognouiſſet. Præſciuit igitur antequam miraculum faceret, ſubtilem fideliter obſecrantis reſponſionem, & ad miraculi proceſsit oſtenſionem, vt & fides iam credentis procederet in manifeſtationem. Vade, inquit, hoc eſt, ad perfectionem tranſmigra cogitationum, & ſicut audiſti meã incarnationem, expecta etiam paſſionem.

sionem. Iam enim ex hac fidei scintilla filius tuus, id est, animus tuus viuit. Nec quenquam moueat, quòd omnia hæc verba secundum historiam non inueniantur & à regulo, id est, ab humano genere dicta esse domino, & à domino generi humano. Tales enim sunt istæ loquutiones, quales & illæ de canticis canticorum, vbi sponsus ad sponsam, & sponsa ad sponsum, ea verba loquitur, quæ nusquam historialiter reperiuntur. Neque enim tam vocibus quàm rebus fiunt huiusmodi loquutiões. Vade ait, hoc est, ad maiora fidei promouere, & ad spiritualem sensum progredere, quoniam filius tuus viuit ex hac fidei inchoatione, & ex mea prædestinatiõe. Credidit homo, sermoni quẽ dixit ei Iesus, & ibat. Credidit humanum genus, quòd animus suus per Dei gratiam interius viueret: quoniam ex Saluatoris sermone quem veracem esse didicit, hoc audiuit, & ibat proficiẽs in fide & moribus. Iam autem eo descendente, serui occurrerũt ei, & nunciauerunt dicentes, quia filius eius viueret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerat. Et dixerunt ei: quia heri hora septima, reliquit eum febris. Descendente homine, id est, ad seipsum reuertente, & cogitationes suas inspiciente, occurrerunt ei serui sui, qui nõ incongruè rationales hominis sensus intelligun tur, qui debent homini, vtpote domino suo seruire, & quæ iocunda sint nunciare, ac de sospitate totius interioris hominis & animi respõdere, sicut hîc dicuntur nunciasse filium viuere. Hominem enim à Deo descendere, est humanitatem nostram à contemplatione illa parumper auelli, & ad ea quæ intra nos sunt, aliquantulum reuerti, quid sumus, quid egimus, solerter intueri. Seruos autem domino descendenti occurrere, est sensus omnes totius humanitatis obsequio domini parêre, & suo patrifamiliâs quæ sint placitura, deuotè referre. Homo verò iam Dei colloquio roboratus, & scripturarum exercitio recreatus, tanquam indagator discretissimus debet perpendere, & tanquam seruos & amicos sensus suos cõsulere, qua hora filius suus melius habuerit, quando animus suus liberiùs conualuerit. Et hoc est quod dicitur, quia interrogabat horam ab eis, in qua melius habuerat. Sed quid serui responderint, audiamus. Heri, inquiunt, hora septima reliquit eũ febris. Heri, tempus est præteritum. Et nos dum in hac vita sumus, duo tempora sentimus, tertium expectamus. Totum tempus ab Adam, vsque ad Christi passionem, præteritum tempus est. A passione Christi, vsque ad diem iudicij, hodiernum tempus est. A die iudicij quãdo iam corpora nostra fuerint reformata, tertium tempus erit, quod finem habere non poterit. Heri ergo in passione Christi reliquit hominem febris, quoniã Christus vitiorum nostrorum peregrinos & inordinatos seruores, ac variarũ incentiua libidinum cruci suæ affixit, quia languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Sed tam magnum, tamq; diuturnum heri, horas suas habuit, dum per temporũ incrementa tempus temporis succesit. Ab Adam enim vsq; ad Noë, prima hora est, quæ in diluuio alterata est. A Noë in Abraham extẽde, & horam secundam in circuncisione perpende. Tertiam ab Abraham in Moysen, & caue ne prætermittas legem. Quarta à Moyse in Dauid, ibiq; Iudæorum regnum florere videbis. Quintam à Dauid vsq; ad tempus trãsmigrationis, & Israël gloriam marcuisse non negabis. Inde sextam vsq; ad natiuitatem sancti Ioannis dirige, ibiq; legem ac prophetas habere finem intellige. Septimam ab ortu sancti Ioannis vsq; ad passionem saluatoris metire, & ibi totius mundi reatũ crucifixũ collige. Hæc est enim hora septima, in qua febris docente & monente Christo animum nostrum quasi reguli filium reliquit. Et ecce iam in octaua sumus, atq; pro octaua domino psalmum decantamus. Sumus enim in quadam resurrectiõis gloria, in quadam honestatis eminentia, vt non sit iam quoddoleamus, nisi fortè morticinum aliquod post baptismi lauationem vltronei tetigerimus. Itaque tempus præteritũ, vt imperfectionem suam demonstret, septem horis consummatur. Nam si diem perfectam habuisset, horis duodecim clauderetur. Desunt hesternæ diei horæ quinque, vt intelligamus quia nihil lex & tempus illud ad perfectum adduxit, & audiamus vocem Psalmistę conquirentis, Imperfectũ meum viderunt oculi tui. Sed quod illi diei defuit, dies nostra dies octaua, dies diem illuminans suppleuit. Ecce etenim pentateuchũ ablato Moysi velamine reuelata facie legimus, & decalogum ad obseruantiam quinque sensuum nostrorum spiritualiter redigimus, & quinque prudentes à quinq; fatuis virginibus sequestramus. Dies autem nostra horis duodecim extenditur, quoniam ciuitas nostra portis duodecim gloriatur, duodecim Apostolis commendatur, duodecim sportis diuinæ affluentiæ plenitudo & ecclesiæ valitudo circunfertur. Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus, filius tuus viuit. Omnis qui tanquam pater suo præest animo, & ex ratione debet perpendere, & ex seruientium sibi sensuum relatu atq; scripturarum attestatione colligere, quoniam hesterno tempore in Christi, quę est hora septima, passione, cœpit animus hominis per fidem viuere, hoc est credendo sicut oportet in Christi mortem, meruit illicò vitam accipere, & credidit ipse, & domus eius tota. Credit pater, quia peccato iam euacuato quasi febre filij extincta, cupit inexplebiliter & indeficienter adhærere domino. Credit & domus eius tota, quoniam omnes qui in ipso sunt animæ motus, eius volũtati obediunt, & de virtute in virtutem proficiunt, vt ex ipsa consuetudine iam velut coganturbenefacere. His ita discussis, totã adhuc ex ordine

1. Pe. 2. d
Isa. 53. b
Psal. 138.

A ordine lectionem breuiter volumus repetere, vt posimus & ea quæ adhuc aliter de illa sentimus aperire: Erat quidam regulus, &c. Quatuor homines in Euangelio Dominus ad vitam reuocauit. Istum reguli filium, qui incipiebat mori, & significauit spiritum hominis, qui per initium consensus praue delectationis intrinsecus inchoat mori. Et puellam iam mortuam, sed adhuc domo clausam, quæ significauit mentem hominis introrsus per consensum iniquæ delectationis mortuam, & per latentem praui operis perpetrationem. Iuuenem quoque delatum extra portam, qui designauit hominem, cuius spiritalis mors publicè patet in opere. Sed & Lazarum quatriduanum ac fœtidum, qui significauit peccatorem longa consuetudine iacentem in tumulo mortiferæ conuersationis, & spargentem de se fœtorem sordidæ opinionis. In his ergo quatuor mortis gradibus, iste quo nunc reguli filius laborare describitur est primus. Nec est vlla in hoc seculo mors animæ nisi fallor, quæ in aliquo graduum istorum non inueniatur, & idcirco Dominus omnes istos resuscitasse describitur, vt omnes animarum mortes ad vitam reformare monstretur. Sed ad lectionem respiciamus. Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Regulus iste, ratio non inconuenienter intelligitur. Filius eius cogitatus qui
B ex rationabili sensu nascitur. Erat quidam regulus, id est, rationabilis sensus, cuius potentia defectum patiebatur, cuius spiritale regnum fuerat imminutum. Cuius filius infirmabatur, id est, cuius cogitatus & spiritus infirmiter resistebat peccati delectationibus. Infirmabatur autem in Capharnaum. Capharnaum verò interpretatur ager consolationis, & villa consolationis, & significat hunc mundũ in quo temporalem habent consolationem illi quibus dicitur: Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram & de quo legimus, quia ager est mundus. Infirmabatur ergo in Capharnaum, quia in prosperitatibus & diuitijs atque blanditijs huius seculi vires internas amittebat, vt iam resistere noxijs delectationibus nõ valeret. Hic ergo regulus, id est, rationabilis sensus, cùm à doctoribus audisset, quia Iesus aduenire à Iudæa in Galileam, id est, quia saluator veniret à cõfessione peccatorũ in transmigrationem perpetratam hoc est, ad eos qui ad iniquitatem transmigrauerant, abijt ad eum, id est, per spem & deuotionem accessit spiritaliter ad eum vt eum ad se deduceret, & rogabat eum vt descenderet, hoc est, misericordiam suam inclinaret & sanaret cogitatum eius de imbecillitate resistendi blanditijs incipiebat enim mori, id est, consentire peccatis. Dixit ergo Iesus ad eum, increpans in eo tarditatem eorum qui hæsitant in fide. Nisi signa & prodigia videritis non creditis. Non creditis iudicium futurum securitate torpentes, nisi mirabilibus excitemini. Videntes enim signa, solent huiusmodi hominum mentes terreri & credere ad horam. Non creditis mãdatis meis, quia non ea facitis, non creditis promissionibus meis, quoniam has quærere negligitis. Signa & prodigia sunt vobis necessaria, vt per hæc ad fidem quæ per charitatem operatur adducamini. Dicit ad eum regulus in potentia minoratus: Domine descende, id est, beneficium tuæ visitationis aut compassionis ad me clementer humilia, priusquam ex toto per consummatum peccati consensum moriatur cogitatus meus. Dicit ei Iesus: Vade, id est, collabora gratiæ meæ, proficiens in bonis operibus cum adiutorio meo & sic filius cordis tui per profectum iustitiæ viuit. Credidit homo, id est, obediens fuit ratio sermoni quem dixit ei Iesus, & ibat promouendo se in via iustitiæ. Iam autem eo descendente, id est, se humiliante in pœnitentia & affligente, & ad seipsum ab alto contemplationis redeunte, serui occurrerunt ei, hoc est, membra corporis sui subseruierunt ei ad bonum, iuxta illud Apostoli: Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Ex hac obeditione sua nuntiauerũt ei quod interior filius eius viueret. Non enim caro ad bonum seruire parata esse potD rit si interior dominus eius in bona voluntate viuens non fuerit. Vel serui sunt carnales sensus, qui seruire debent rationi. Qui occurrerunt ei, dum se paratos ad obsequium offerũt. Et siue corporis artus, siue carnales sensus intelligantur hi serui, necesse est, vt hi nuntient regulo vitam filij sui quatenus hunc indubitanter viuere sciat: quia non potest ratio veraciter agnoscere cogitatum suum viuere, nisi ejus vitam opera bona sibi certam indicauerint. Non enim sibi aliquis debet credere, quicquid sibi animus de cogitatus sui vita sine operis attestatione respondit. Si enim veraciter interius viuit cogitatus, mox in opere componuntur exteriores motus. Interrogabat ergo, id est, subtiliter inuestigabat horã ab eis, in qua melius habuerat. Opera enim per membra corporis exhibita, hoc respondere poterant. Et dixerunt, id est, causa intelligendi fuerunt ei, quia heri, id est, in præteritorum recordatione peccatorum in hora septima, hoc est, in inspiratione septiformis spiritus, reliquit eum febris, id est, consuetudinaria & feruens ac tremula imbecillitas. Vel heri, id est, dum esset coram Deo in oratione, reliquit cogitatum suum febris. Dies quippè illi erat, dum ipse Deo in contemplatione & oratione assisteret, sed nox facta est dum ad seipsum rediret. Deinde cùm opera sensusque suos clara mentis luce vigilanter aspiceret, dies illi quædã radiauit. Non tamen

Luc. 6. d
Matt. 13. e
In solius fidei iactatores.

A in hac, sed in præterita die, id est, non quando sibi ipsi vigilans attendebat, sed quando Deo precator assistebat, reliquit interna febris cogitatum quasi filium cordis sui. Et reliquit eum hora septima, id est, in illuminatione septiformis gratiæ. Cognouit ergo pater, id est, etiam admonitus experimento carnalium sensuum & artuum obtemperantium sibi in bonum animaduertit rationalis sensus: quia illa hora erat in qua dixit ei Iesus: filius tuus viuit, id est, in qua prius spem eius erexit de salute cogitatus sui. Et credidit ipse rationalis sensus, qui prius perfectè non credebat, & domus eius tota, id est, vniuersa multitudo cogitationũ mentis eius. Et nos itaq; beneficium hoc saluatoris cognoscentes, studeamus si necesse fuerit in nobis ipsis hoc idem experiri, vt quisquis cogitatũ quasi filium viderit inter illecebras delectationũ languere non sinat eum ex toto, sicut filiam Archisinagogi per consensum delectationum & per actionem mori, sed occurrat saluatori salutem peccantium quærenti, & pia supplicatione obtineat ab eo vitam ac salutem eius, præstante ipsius gratia saluatoris, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Lectio sancti Euangelij secundum Matthæum. Cap. XVIII. D.

B IN illo tempore: Dixit Dominus Iesus discipulis suis parabolam hanc: Assimilatum est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Et cùm cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus qui debebat ei decem milia talenta. Et reliqua.

In hac lectione monemur, vt fratribus in nos peccantibus, dimittamus, si nobis à Deo quæ in eum peccauimus dimitti volumus, aut potius si ea quæ iam nobis dimisit, ne rursum à nobis exigat optamus. Ecce enim seruus qui decem milium talentorum erat debitor, vniuersi debiti relaxationem à domino suo consequutus esse narratur: sed quia ipse postmodum conseruo suo denarios centum dimittere noluit, omnia quæ sibi à domino fuerant dimissa coactus est reddere. Debuisset enim conseruo libenter dimittere minora, quæ sibi nouerat à domino dimissa fuisse maiora. Sed iam verba sacræ lectionis seriatim videamus. Assimilatum est, inquit, regnum cælorum homini regi, quia videlicet sicut iste rex fecisse describitur, sic in regno cælorum fieri decretum est. Regnum autem cælorum, vocatur etiam in hoc seculo ecclesia fidelium: quia dum cælestem in terris vitam pro posse suo ducere studeant, iam in eis dominus quasi in angelis regnat. Et ob insigne meritum eorum, tota simul ecclesia, cuius ipsi membra sunt appellatur regnum cælorum, licet in ea multi qui plus terrena quàm cælestia quærunt, nec in suis moribus adhuc Christum sicut oportet regnare sinunt. Homo autem rex, cui regnum istud assimilatum est, mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus intelligitur, de quo aliàs scriptum est. Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam, accipere sibi regnum & reuerti. Qui voluit rationem ponere cum seruis suis, quia placuit ei requirere in iudicio rationem eorum quæ quisque fuerit operatus. Et cùm cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus qui debebat decem milia talẽta. Incipit nunc rationem ponere, quoniam sicut Petrus ait: tempus est vt incipiat iudicium à domo Dei. Incipit nunc rationem ponere quando per infirmitatis molestiam ad lectum & ad mortem pertrahit homines, vt eos de singulis actibus suis in iudicio discutiens rationem reddere cogat. Dum ergo sic cœpisset rationem ponere, id est, ad mortem quoslibet per ægritudinem vrgere, vt cogitarent iam quasi ante tribunal se esse positos, vt ei rationem redderent, oblatus est ei, hoc est, per ministerium angelorum ad mortẽ coactus est, vnus qui debebat ei decem milia talenta, id est, multorum grauium peccatorum perpetrationis reus tenebatur. Denarius enim numerus plenitudinem diuinorum significat mandatorum, propter legis decalogum. Millenarius verò consummatam perfectionem. Talentum autem dicitur esse maximum inter omnia ponderum genera. Decem ergo milia talenta, perfectionem grauium multorumque criminum designant, quæ per plenariam transgressionem mandatorũ Dei sint facta. Et tam graui debito constrictus erat iste, qui nunc dicitur oblatus fuisse regi, id est, qui ad mortem in infirmitate per angelos vrgebatur. Cùm autem non haberet vnde redderet, iussit eum dominus venundari, & vxorem eius & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Non habebat vnde redderet, quia ex seipso habebat vnde in culpam caderet, sed ex seipso non habebat vnde ad veniam resurgeret. Et ideo iussit eum dominus venundari, id est, possidendum dæmonibus in æternam damnationem tradi, & pœnas de illo sumi. Et vxorem, id est, carnalem voluptatem eius & concupiscentiam, & filios, id est, iniqua eius opera, & omnia quæ habebat, id est, verba & cogitationes eius. Vendi- *Vendi pectatur enim cum vxore & filijs & omnibus quę ha- catorem*
bet, vt debitum reddat, qui per mortẽ corporis *quid.*
ab hac vita subtrahitur, & cũ reatu carnalis suæ voluptatis & cupiditatis, & operum atq; verborum & cogitationũ, traduntur malignis spiritibus in æternum possidẽdus, vt perpetuas luens pœnas, diuinę iustitię satisfaciat. Procidens autem seruus ille, rogabat eum dicẽs: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Tunc seruus domino

1. Ti. 2. b. *Luc. 19. b.* *1. Pet. 4. d.*

C

D

A domino procedit, & vt venditionem, id est, damnationem effugiat, submissus obsecrando deposcit, cùm his qui propter peccata sua imminentem sibi mortẽ, vtpote damnandus metuit, humiliter se subdit diuinæ clementiæ, & per veram pœnitentiam ac puram animi intentionem conuertit ad Deum, promittens se in reliquo redditurum Deo omnia quæ debet illi, si impendentem sibi sententiam mortis euaserit. Qui enim vniuersa quæ male egit emendat, & deinceps religiosè viuit, omnia quæ debebat domino reddit. Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei. Seruus humiliter petebat dilationem, & Dominus misericorditer concessit remissionem. Nam dimisit eum, id est, proprio arbitrio relaxauit, concedens ei rursus spatium viuendi. Et per confessionem ac pœnitentiam, dimisit ei debitum omne culparum. Egressus autem seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis qui debebat ei centum denarios. Et tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Dum seruus esset in angustia prædictæ districtionis, stabat quodammodo positus ante faciem Domini. Sed quando dimissus est, vt iuxta voluntatem liberi arbitrij sui bonum adhuc siue malum facere posset, tunc à domino suo egressus est. Dominus enim Deus vbique est, nec potest alicubi quisquam egredi vbi ipse non sit. Sed, vt dixi, tunc egressus est, non loco sed relaxatione sui ferus à domino, quando rursum dimissus est arbitrio suo. Egressus autem inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios. Conseruus iste, alius homo erat, qui Christo regi cum hoc seruire proposuerat. Sed debebat ei centum denarios, quia peccauerat in eum, aliquas illi iniu- *Centum de*
rias faciendo. Centum enim denarij, signifi- *narij pecca*
cant peccata quæ homo in hominem commit- *ta in homi-*
tit, sicut decem milia talenta, significat ea quæ *nem signi-*
in Deum agit: quia sicut quantitas centum de- *ficant.*
nariorum exigua est ad comparationem quantitatis & numeri decem milium talentorum: ita quicquid in nos homo peccat exiguum est & rarum ad comparationem culparum, quas in Deum nocte & die & singulis horis committimus. Licet enim centenarius perfectionem significet, multo tamen pleniorem consummationem designat millenarius. Talentum quoque mira granditate superat exiguitatem denarij. Ex quibus liquido demonstratur, quod ea quæ nos in Deum peccamus magna & multa sunt, ea verò quæ homines in nos peccant, exigua sunt & pauca. Et idcirco si Deus libenter nobis tot & tanta mala quæ in eum commissimus dimittit, multo facilius nos hominibus dimittere debemus pauca & parua quæ in nos ipsi deliquerunt. Sed iste seruus non sic agere voluit. Inuenit enim, vt dictum est, vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eum. Tenebat eum, quia nolebat dimittere quod in se peccauerat. Et suffocabat eum, id est, coangustabat spiritaliter, & extinguere nitebatur in reatu peccati in se ab eo commissi. Debitorem enim conseruum, id est, fratrem in se peccantem tenet, qui non dimittit ei quod in se peccauit, sed memoriam iniuriæ quam ab eo passus est in corde suo reseruat. Quem & suffocat, dum animam eius spiritaliter strangulat & opprimit atque coangustat in periculo peccati non dimittens ei quod in se commisit, sed alligans eum in culpa. Redde, inquit, quod debes, id est, iam nunc sine mora persolue mihi rectum de omnibus iniurijs quas mihi feci sti. Et procedens conseruus eius rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Procedens conseruus eius rogabat eum, quia humiliter ab eo saltem dilationem postulabat, dicens: Patientiam habe, id est, patienter expecta me, & omnia reddam tibi, hoc est, vniuersa quæ in te peccaui emendabo tibi, & bene deinceps me erga te habebo. Ille autem noluit, sed abijt & misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Noluit conseruum suum patienter expectare vt posset emendare, noluit inducias illi concedere, sed absque reuerentia domini sui abijt & misit eum in carcerem. Abijt, hoc est, apostatando & in dexteriora retrorsum eundo, perrexit: & misit eum in carcerem donec redderet debitum, id est, quantum ad suæ voluntatis malignam obstinationem demersit eum in infernum, donec pro culpa sempiternas persolueret pœnas. Sunt enim nonnulli malignæ mentis homines, quorum iste seruus imaginem tenet, qui grauium peccatorum quæ ipsi perpetrauerunt immemores, si & leuiter culpa fratris in se peccantis offendantur, in tantam obstinationem prorumpunt, vt quod dictu quoque nephas est, optent fratrem suum æternis antè perire supplicijs, quàm quod in se peccauerat indulgeant. Videntes autem conserui eius quæ fiebant, contristati sunt valde. Et venerunt, & narrauerunt domino suo omnia quæ facta fuerant. Conserui eius hoc loco sacerdotes & religiosi viri intelliguntur, qui videntes ea quæ nequiter in fratrem ab eo fiebant, contristati sunt valde. Et venerunt, & narrauerunt hæc omnia domino suo: quia redierunt ad cor suum, & ibi diuino conspectui intendentes, conquesti sunt in precibus suis coram eo de his omnibus. Vel sancti angeli possunt intelligi conserui. Cùm enim Ioannes in Apocalypsi vellet angelum adorare, dixit ei angelus: Vide ne feceris, conseruus tuus sum & fratrum tuorum. Conserui ergo sunt angeli. Qui viderunt ea quæ fiebant à malo seruo, & contristati sunt valde: quia nobis ad custodiam deputati cuncta quæ facimus diligenter aspiciunt, & de bonis actibus no-

Quomodo debitũ reddatur Deo.

Apoc. vlt. 6

A stris lętantur, de malis verò contristantur. Non tamen tristitia possunt affici, quia perfecte beati sunt, sed hoc quod eis mala nostra displicent, vocatur eorum tristitia. Valde ergo contristati sunt, id est, valde displicuit eis quod inique fieri viderunt. Et venerunt & narrauerunt domino suo omnia quæ facta fuerant: quia ipsi cuncta quæ gerimus, siue bona siue mala renuntiant Deo, vt sciant quid ipse de his omnibus fieri iubeat. Tunc vocauit illum dominus suus, & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nónne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Ingratum seruum dominus rursum vocat, & cur ipse misericordiam consequutus à domino misereri conseruo noluerit arguit, cùm illum qui perceptę à Deo indulgentiæ immemor noluit indulgere fratri quod in se peccauerat, ad mortem per corporis infirmitatem reuocat, & sic ad iudicium, atque peccata etiam illa in caput eius denuò replicat, quæ sibi iam fuisse per pœnitentiam dimissa gaudebat. Iudicium enim sine misericordia, illi qui non facit misericordiam. Vnde & subditur: Et iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum. Qui enim fratri indulgere noluit, sed eum in carcerem pro debito misit, merito ipse indulgentiam quam perceperat amisit, & in manus tortorum venit. Nam quisquis hominem ad imaginem Dei factum à peccato non soluit rogatus, sed obdurationem mentis suæ quantum in se est, tartareo carceri puniendum tradit, Deo est odibilis, & eandem sibi damnationem indubitanter acquirit. Iratus est ergo dominus eius, id est, asperitatem iustæ vltionis in eum exercuit. Non enim in natura sua Deus irasci potest, qui semper tranquillus & incommutabilis permanet, sed iratus videtur eis quibus vindictam reddit. Ideoque vindicta ipsa vocatur eius ira. Iratus itaque tradidit eum tortoribus, hoc est malignis spiritibus qui torquerent eum in inferno quoadusque redderet vniuersum debitū, id est, sine fine. Quisquis enim semel traditus irreuocabiliter fuerit crudelibus angelis, quorum officium est reprobos torquere, nunquam vlterius valet debitum reddere, quia non potest per pœnitentiam & opera bona quod male gesit emendare, & propterea semper cogitur pœnas sustinere. Ad quid autem hæc parabola intendat consequenter dominus subdendo manifestat. Sic & pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Sicut autem à seruo cuncta quæ dimiserat repetijt, eumque cùm non posset reddere damnauit: quia ille conseruo suo dimittere noluit, sic & pater meus à quolibet ex vobis iterum exiget quicquid illi per pœnitentiam dimisit, si ille fratri suo cuncta quæ in se peccault ex corde non dimiserit. Ita vos singulos C pater meus ad iudicium reuocabit, & quæ misericordia flexus primò dimisit, repetet, vosque tortoribus angelis tradet, si non remiseritis vnusquisque fratri suo, peccatum omne quod in vos frater ille commisit, & remiseritis illud non simulatorię, sed veraciter de cordibus vestris, vt non remaneat in corde, cùm remiseritis illud ore. Non tamen per seipsum pater huiusmodi iudicia facit, sed per filium: quia sicut Apostolus testatur: Iudicabit Deus *Rom. 2.* occulta hominum per IESVM CHRISTVM. Idcirco de cordibus vestris remittendum est fratris peccatum: quia iudicabit Deus occulta hominum, ne nunc in occultis cordium nostrorum latere illud videat & tunc manifestam pro hoc damnationem inferat. Misericordiam & charitatem erga proximum habere studeamus, remittentes ei misericorditer quod in nos deliquit, & puro corde illum diligentes, vt & nos similem vicissitudinem à pio iudice nostro consequamur, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

D. Anselmi enarrationum in Euangelia nonnulla Finis.

ANSELMI D LAVDVNENSIS IN CANTICA CANTICORVM ENARRATIONES.

IN INITIIS LIBRORVM causæ dicendæ sunt, quo modo vel quare compositus sit liber ipse, quas causas Hieronymus proœmium vocat. Autor itaque huius operis de quo agere volumus, trinomius fuit: qui ad numerum nominum suorum tres libros composuit, & eorum intentionem ipsorum nominum interpretatione distinxit. In primo itaque libro affectuose & dulciter, more patris filium pie ammonentis, & quasi lac præbentis, quenq; fidelem adhuc minus validum, & nondum terrenis prorsus abrenunciare volentem erudit. In quo libro pro hac tanta dulcedine, Idida quod dilectus sonat, edicitur. In hoc quippe docet meretricem fugiendam, consortia malorum, & cætera quæ honestate & probitate sunt digna facienda: in mundo tamen, vt diximus, adhuc commorantem. Secundum nomen eius est Coëleth, quod Græce ecclesiastes, latine concionator dicitur. Concionatorem autem illum dicimus, qui in concione hominum, id est, in concilio publicus orator est, prolatione veritatis nullum verens, nullis blandiens: quod in secundo libro suo iste facit. Nam vt quasi quibusdam gradibus ascensionis, ad perfectionem quem doctrina sua attraheret, cui primo misericorditer, legi time tamen terrenis istis cum misericordiæ operibus concesserat vtendum, quoniam carnalem & adhuc infirmum animum cælestia & perfectiora non posse tenere credebat, iam ceu validiorem & ad altiora sumenda potentem, ad despectum omnium terrenorum in hoc secundo libro inuitat: monstratque quam caduca quamque transitoria sint cuncta temporalia, sic dicens, Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Hoc vero ad contemplatiuam, cuncta scilicet mundana despicere, & cælestibus inhiare, pertinet: illud autem quod in primo libro concessum erat, ad actiuam vitam. Cuius præterea rei gratia tantum laborem inchoare in hoc suo tertio libro persuaserit, spiritualiter intendentibus quibusdam terrenis similitudinibus ostendit, ad hoc profecto vt per despectum terrenorum ad gloriam peruenire possemus æternorum. In quo opere Salomon, id est, pacificus dicitur.

Liber iste vocatur Cantica canticorum, & etiam pluraliter, propter multam excellentiam dignitatis. Fecit enim Salomon primum parabolas, scilicet librum prouerbiorum: in quo simpliciter ostendit quomodo recte vteremur B his mundanis, quod pertinet ad actiuā vitam, & canticum simpliciter potest vocari. Dicuntur autem prouerbia præcepta de vita humana per aliquas similitudines. Deinde fecit Ecclesiasten, in quo annunciauit omnia mundana esse contemnenda, vt cum dicit, Omnia sunt vanitas. & est quidā gradus ab actiua ad contemplatiuam: potestque dici canticum simpliciter. Post hos fecit librum istū in quo docet de dilectione Dei, quasi mundo iam cōtempto: quod pertinet ad contemplatiuam vitam. inde vocatur Canticum canticorum, scilicet canticū excellentius prædictis duobus, & cæteris similibus. Nomen huius libri in Hebręo, Sir hasirim, quod valet apud nos, Canticum canticorū. Dicitur Salomon secundum hos tres libros quos fecit 30. habuisse vocabula: secundū parabolas vocatur Idida, id est dilectus. ibi enim instruēs rudes cœpit ab ipsis diligi: per quod nomen significatur Christus, qui per excellentiam dicitur dilectus: de quo Deus, Hic est filius meus dilectus, Matt. 17. Ecclesiastes nomen est libri & actoris, & interpretatur concionator, scilicet diuersos ad idem consentire faciens. Conuocantur namq; diuersi in illo libro vt sibi cōsentiant in cōtemptu mundi: quod est tractum ex similitudine cantoris, qui diuersorum voces in vnam concordiam moderatur. Item per hoc nomen significatur Christus, qui est verus concionator, docens terrena transitoria esse spernenda, & amāda cælestia. Dicitur quoq; ecclesiastes, quia ecclesiam egregie gubernat & ad C vnam fidem cōuocat. Secundum hunc librum dicitur Salomon. i. pacificus. per quod item significat Christū, qui verus pacificus est & conuocans omnes ad sui dilectionem. Dicitur & autor in prouerbijs ethicus, id est, tractans de moribꝰ. Idem in ecclesiaste physicus. i. tractans naturam rerū. In canticis theologus, sermocinans de diuinis. In hoc libro sunt materia, sponsus & sponsa, amici sponsi, qui & paranymphi dicuntur, & amicæ sponsæ. Est autem sponsus Deus, quoniam ipse spōdet se ecclesiæ: scilicet si ei fidem custodiat ne fornicetur cum dæmone, copulabit sibi tandem in nuptijs. Sponsa dicitur ecclesia, scilicet firmi in fide, quoniā perfecte sumens fidem spondet se Deo & renunciat pompis Sathanæ. Dicuntur amici sponsi, velut sancti angeli & perfectiores, vt Apostoli, qui sponsum adiuuant vt amicā suam retineat, commonentes & adiuuantes ecclesiam, ne ipsa cum alieno fornicetur, sed soli Deo adhæreat. Dicūtur amicę sponsę adhuc teneri in fide, qui non plene sciunt sponsum diligere, sed iam exhibent se habiles vt sponsam imitentur, vt sic bene eruditi à sponsa fiāt & ipsi sponsa. De hac autem materia hoc modo agit, scilicet ostendens qualiter in hac vita sponsus alloquatur amicā & per se & per amicos, & quanta affectione recipiat verba sponsi, & qualiter amicę sponsæ ostendat se paratas imitari sponsam, & loD quantur sponsæ, aliquando & ipsi sponso. Salomon enim adhuc tenens donum sapientiæ, illuminatus à spiritu sancto prophetizat qualiter ecclesia ante aduentum Christi, & deinde secundum singulos status vsq; ad finem mundi sit se habitura erga Deum. Est quoq; finis & intentio, vt compellat audientes ad dilectionē Dei. Scribitauté hic autor vt comicus, scilicet nihil ex se dicens, sed inducit ipsas personas loquentes: & quia in nullo amore æquè affectuosa verba amoris inueniuntur, sicut inter sponsum & sponsam, facit eos quasi verbis carnalis amoris loqui. Et sunt hæc prima verba ecclesię iam proximæ aduentui Christi, & nimio amore iam præsentiam eius desiderantis: sicut illi qui dicebant, Putas videbo? putas durabo? putas inueniet me illa natiuitas? Et sicut carnalis sponsa cui iam egregiè per nuncios placuisset sponsus, fastidiens iam legatos, expetens ipsius præsentiam diceret, Veniat ipse, vt presens mecum loquatur, & me osculetur: ita hic dicunt fideles illi proximę ante Christum.

Osculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. oleum effusum nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te.

DEVS ipse sicut prænunciatus est per Patriarchas & per Prophetas, ipse idē iam [Osculetur

A letur me,] id est iam delectet me [osculo,] id est, præsentia [oris sui] id est filij sui, qui dicitur os patris sicut & verbum: quia per ipsum pater mundo manifestatur. [Quia meliora sunt vbera.] hic iam loquitur ecclesia præsens cum Christo. ac si ita diceret, conuertens se ad ipsum præ nimia affectione, Quia vbera, [tua] doctrina euangelica, meliora sunt [vino:] quæ doctrina est dulcis refectio & suauis sicut lac. melior est, [vino]. i. doctrina philosophorum, quæ non nutrit, sed inebriat, & superbire facit recipientes, ducit quæ tandē ad interitum. Vel per vinum accipiamus intellectum carnalem veteris testamenti. possumus etiam per vbera accipere geminam dilectionem, vel duo testamēta spiritualiter intellecta, vel spirituales gratias: & erit tamen eadem sententia cum prædicta. Vbera dico [fragrantia] id est redolentia, & odore suo homines ad se attrahentia. Redolet quippe doctrina illa, & bona opinione ac fama sua ad se attrahit [optimis vnguentis,] id est, per optima vnguenta. Sunt enim in doctrina euangelica vnguenta, id est dona spiritualia quæ sunt optima, quantum ad vnguenta carnalia, quibus solebant inungi amatores, vt melius placerent: vel etiam cœnantes. Hæc autem vnguenta merito optima dicuntur. quos enim inungunt, veros reges ac sacerdotes efficiunt.
[Oleum effusum] Alia causa quare desideraf-
B set eum. quia [nomen tuum] effusum est sicut oleum effusum. Oleum quidem dum in vase est, neque odorem profert, neque dolores sanat, effusum vero & odorem emittit & dolores sanat: ita nomen Dei dum ipse adhuc in sinu patris conclusus teneretur, parum vel nihil cognoscebatur: postquam vero carnem sumpsit presentia sua mundum visitans, seipsum omnibus cognoscendum exposuit, odorem, id est, famam & bonam opinione de se emisit: & infusum per dolores bene recipientium prædicationem suam & peccata sanauit. [Ideo adolescentulæ] scilicet quia tam dignus & tam dulcis es, ideo nō solum ego, sed & [adolescentulæ,] id est, minores & fragiliores, teneri adhuc in fide [dilexerunt te] id est, de omnibus rebus te solum diligendum elegerunt. licet enim ex temporalibus adhuc sibi consolationem sumant, tamen Deum eis temporalibus præponendum iudicant.

Vox Ecclesiae.

Trahe me post te: curremus in odorem vnguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua. Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum Recti diligunt te.

TRAHE me post te.] Videntes contemporanei Christi quasi iā imminere ipsius ascensionem, & absentiam consolationis ipsius, rogant eum vt trahat eos post se, id est imitatores C
sui faciat eos. Et proprie dicit [Trahe] quasi quadam violentia. Videtur enim fieri violentia, vbi corpus natum in peccatis à peccatis liberatur. [Curremus in odorem.] Vox amicarum sponsæ. Audientes bonitatem sponsi, & maiores velle imitatores eius fieri, dicunt sponsæ, scilicet doctoribus suis, iam degustata dulcedine Dei: Tu vis ire post eum, & nos certe curremus tecum, id est, laborabimus tecum obtinere gaudium nuptiarum, positi & fundati [in odore] id est, in prædicatione & fama tua quæ nos attrahit, quæ est [vnguentorum tuorum] id est, procedens ex donis spiritualibus per quæ operaris. Bene dicit [curremus] Non enim pigritando & segniter agendo perueniemus ad illud cæleste brauium. [Introduxit me rex.] Vox ecclesiæ ad minores quos educauit. Audientes quidem eos Deum desiderare, volunt eos ad idem inuitare, vt si ita responderent illi maiores: dicitis quia mecum curretis: & bene currendum est: quia eo peruenientibus summa refectio est. Et hoc ostendit sibi patere cum *dicit*, [Introduxit me rex,] id est manifestam cognitionem dedit [in cellaria] id est, in secreta ecclesiæ, scilicet vt sciam quid significent mysteria, sicut in baptismo spiritum dari, infantes sola gratia saluari, & similia quę nō patent omnibus. Vel per cellaria accipiamus plenitudinē
D beatitatis, id est æternitatem vitę, sicut in cellarijs reponi solet copia magna bonorum, spe autem iam perfecti viri in beatitudinem æternitatis sunt introducti. [Exultabimus.] Vox minorum qui aliquantulum per fidem proiecti audentiam sponso loqui in hæc verba, Quia tu domine spōsam tuam iam in secreta tua introduxisti, ideo & nos præparabimus nos idoneos, vt cum ea introducamur: & hoc est [exultabimus] scilicet in corpore, id est, bene operabimur cum exultatione [& lætabimur] in anima, quia lætitia bona cogitabim⁹. vel [lætabimur] scilicet, si bona fecerimus, non coacti sed voluntarie: & hoc, [in te] id est, omnia tibi attribuemus tanquam primæ causæ, à qua omne bonum radicaliter procedit: & hoc faciemus [memores vberum tuorum,] id est, suauis tuæ doctrinę [super vinum] sicut superius dictum est. [Recti diligunt te] scilicet bene debemus in te exultare, & te diligere, quia omnes qui recti sunt hoc faciunt, quare nisi hoc fecerimus, recti esse non possumus. Patet finis in omnibus prædictis, quia siue perfectiores siue minores imitari velimus, ad dilectionem Dei eorum verbis inuitamur.

Vox Ecclesiae item.

Nigra sum, sed formosa, filiæ Hierusalem, ficut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Nolite considerare quod fusca sum, quia decolorauit me sol.

Filij

A Filij matris meæ pugnauerunt contra me: posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodiui. Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie: ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.

NIGRA sum] Vox sponsę ad minores. Audiens namq; sponsa promissionem minorum quod vellent cum ea currere, timens ne deficiant in persequutione, vtpote hi qui nōdum nisi solam dilectionem Dei gustauerant, & reputant sanctos pro insanis, quia habentur in mundo contemptibiles, præmoneteos vt mala non considerēt, s. vt propter hoc desistant à promissione, sed attendant quæ merita pro persequutione obtineant: vt hoc modo dicat: Vos dicitis quod mecum curretis, sed tunc oportet vos de nigrari in corpore, sicut ego propter multas tribulationes sum nigra exterius. Et ponit effectū pro causa. Exterius quidem sum nigra [sed] interius [formosa] i. bonis virtutibus ornata vobis dico [filiæ Hierusalem] i. quas ego genui ad fidem, qui etiam iam pacem videtis. Hi autē minores ideo filię dicuntur quia fragiles sexus sunt, & cito decipi & deuocari à fide possunt: & quia maior custodia & diligentia est eis adhibenda quam filijs, s. fortioribus, & quia isti cōfirmati generant aliquos, dico, quia nigra sum
B [sicut tabernacula Cedar,] id est sicut Cedar habitans in tabernaculis. Cedar fuit filius, vt dicitur Gen. 25. & 1. Paral. 1. Ismael, sed adeò nequam vtà nullo in domū reciperetur, sed semper in tabernaculis habitabat, de quo Origenes: Manus eius in omnes, & omnium manus in ipsum. [Nigra sum sicut Cedar] formosa sicut [pelles Salomonis.] Pelles quidem in quibus habitabat Salomon erant bene expilatæ, & rubricatæ, varijs picturis ornatæ: ita sancti viri expilati sunt omni superfluitate, & sunt ornati multis generibus virtutum. Bene comparat sanctos pellibus, quia sicut pellis dicitur corium mortui animalis, ita sancti mortificantes seipsos efficiuntur quasi simpliciter pelles, & bene subiunxit [Salomonis,] quoniam istæ pelles, scilicet sancti sunt illud tabernaculum in quo militat verus pacificus.

[Nolite considerare] Dico quia nigra sum, sed nolite hoc attendere, vt propter hoc desistatis ab incœpto: [quia sol,] id est Christus, qui est vera claritas [decolorauit me] scilicet propter ipsum hæc omnia passa sum qui tandē mihi remunerare poterit. [Filij matris meæ] Ostēdit per quos ministros suos Deus eam in persequutionibus sic probauit, scilicet per filios matris meæ quæ me prius generauit in carnalitate. Debuisset mihi esse mater spiritualis, & me nutrire lacte diuini intellectus. Qui fratres mei [pugnauerunt, contra me] diuersis generibus persequutionum: & ita persequendo [posuerunt me custodem in vineis,] id est, in ecclesijs C
gentium. [Vineam meam,] id est, vineam quā naturaliter excolere & custodire debuissem, [non custodiui] hic notamus illum statum Ecclesiæ quando Apostoli de Iudæa se transtulerunt ad gētes, sicut dicit Apostolus Paulus Act. 13. Quia vos repulistis, & indignos verbi Dei vos ostendistis, ecce conuertimur ad gentes. [Indica mihi] Vox ecclesiæ illorum, quæ dimissa Iudæa incipit iam ædificare in gentib. & precatur hic Deum non ipse, sed in persona eorum qui nouiter conuertuntur: & precatur hic Deū, vt det eis cognitionem sui, s. cognoscant in quibus habitet Deus vt eos imitentur: cognoscant etiam qui sunt hæretici vt eos non sequantur: vt ita dicat, Posita sum custos in vineis, & vt eas possim custodire, & inde tibi fructum præsentare, [indica mihi,] id est nouis istis: quod certe est ad honorem tuum [vbi pascas,] id est, in quorum operatione tu reficiaris, vel [vbi pascas,] id est quibus pastum præbes vt corpus tuum vel refectionem diuini verbi. Indica etiam mihi [vbi cubes,] id est, quiescas, scilicet vbi nulla offensio te inquietet [in meridie,] id est, in splendore maiestatis tuæ, vel in feruore charitatis: scilicet qui non sunt in vespere, vt iam in eis dilectio frigescat, neque in mane vt modo sit in eis tenera. Indica dico tu [quem diligit anima mea,] id est, tota affectio mentis meæ: & supponit causam cur hoc precetur [ne incipi- D
am,] id est, ideo precor vt indices, ne incipiam, id est, isti de gentibus noui, adhuc in fide incipiant [vagari,] & deuia tenere [post greges sodalium tuorum,] id est, imitando hæreticos, qui dicuntur sodales Christi, quia vt potius decipiant prædicant aliquid veritatis, consentientes Christo, sed diuersi sunt hæreses inter seren do. Si autem per omnia consentirent, non sodales, sed quasi ijdem ipsi dicerentur. Vel sodales quia ipsi se eius sodales & amicos dicunt. Greges bene dicit quia & multi sunt, & sine ratione vera.

Si ignoras te ô pulchra inter mulieres, egredere & abi post vestigia gregum, & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorū. Aequitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea. Pulchræ sunt genę tuę sicut turturis. Collum tuum sicut monilia. Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.

Ecclesia.

Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea cō morabitur. Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.

A SI ignoras te] Vox ſponſi: & facit hic tria. mi natur, blanditur ſponſæ, ponit etiam facultates quibus Eccleſia cognitionem ſui poſsit obtinere. Continuatio. Quæris cognitionem mei? ad quam neceſſe eſt tibi [ô pulchra] virtutibus & electione mea vtte cognoſcas ſcilicet dignitatem tuam quam per fidem dedi tibi: & dando tibi corpus & ſanguinem meum, inſuper cętera ſpiritualia dona, quia ſi ignoras te in qua dignitate ſis, ex hoc quod ſponſa mea es, [egredere] de conſortio Eccleſiæ [& abi] id eſt, longe fias ab Eccleſia; vt etiã perdas virtutes quas prius habebas. abi dico [poſt veſtigia] id eſt imitando opera [gregum &] ſic [paſce hœdos,] id eſt in fœtidis actibus tuis delecteris, & ſint tibi paſtus: & hoc [iuxta tabernacula paſtorum] imitando eos qui ſe dicunt paſtores & in tabernaculis Deo militantes, & non ſunt, ſed hæretici. vel iuxta tabernacula verorum paſtorum & non intra. Volunt enim hæretici autoritatem ſuarum immunditiarum trahere ex ſcripturis ſanctis in quibus viri ſancti militãt Deo, vt quidam dicti Nicolaitæ quorum hæreſis reprobatur, Apoc. 2. b. & ab Eccleſia in ca. quidam autem hæretici. 24. q. 3. qui prædicant mulieres communicandas, & dicunt, quia Apoſtolus dixit omnia eſſe communicanda, & alia huiuſmodi. [Aequitatui meo] Poſitis minis ponit blanditias, acſi diceret: Si te ignoras egrede
B re: ſed non debes egredi vel te ignorare, quia ego ſic honoraui vt te amicam meam facerem, & de Aegypto liberarem quod fuit præfiguratum in liberatione filiorum Iſraël de Aegypto Exod. 12. Educitur autem gentilitas de Aegypto, id eſt, de tenebris infidelitatis, & de poteſtate Pharaonis, id eſt, de iugo diaboli, per mare rubrum quia per baptiſmum vbi ſubmergũtur omnes inimici, id eſt, omnia peccata, & hoc dicit [aſsimilaui te æquitatui] id eſt, illi in quibus militabam enti in curribus, id eſt inter currus vel in tempore curruum Pharaonis. Per currus in quibus ſedebant potentes, notatur ſuperbia vel volubilitas huius mundi, [Pulchræ ſunt genæ tuæ] Poſitis minis, & blandicijs oſtendit ei ineſſe facultates quibus cognitionẽ ſui poſſet retinere. Dixi, ſi ignoras egredere, quod nõ oportet te facere quia habes genas, & collum quibus potes veram cognitionem tenere. Genæ dicuntur pars illa hominum quæ terit cibũ, & mittit in ventrem: ita in Eccleſia dicuntur genæ altiores illi qui ſcripturas terunt, & earum capaces faciunt inferiores: & ſicut in genis eſt ſignum pudoris, ita illi ſemper pudorem prędicant, & caſtitatem, quæ genæ ſunt [pulchræ] ſcilicet multis virtutibus, & ſunt [ſicut turturis] quia ſicut turtur nunquã habet niſi vnum ſponſum, nec cantat niſi gemendo: ita iſti ſolũ Chriſtum habent ſponſum, & gemunt ſępiſsime pro delictis ſuis, & aliorum. Colli officium eſt vt per illud cibus tritus deſcendat in ventrem, & vt continnet corpus capiti. per quod ſignifican C
tur diſcipuli illorum altiorum, ſicut fuit Timotheus ad Paulum, per quos ſcripturæ deſcendunt ad inferiores, & hi per prædicationem ſuam iungunt Eccleſiam Chriſto. [collum] dico ens [ſicut monilia] Monile monet aliquos vbi ſe recipiant, & munit pectus habentis, ne aliquis manus injiciat: ita iſti doctrina ſua & muniunt Eccleſiam ne adulter diabolus manus injiciat: & monent minores de Eccleſia vbi ſe recipiant & ſequantur. [Murenulas aureas.] Vox amicorum ſponſi. Volentes iuuare ſponſum, quomodo Eccleſia in cognitione ſui permaneat, dicunt, Sponſus dat tibi genas, & collum, & nos dabimus ornamenta aurium. Si idem loquuntur hæc qui ſunt genæ vel collum, non nocet. Murenula dicitur à murena quæ plicat ſe in orbem, & ſignificamus per murenas ſententias orbiculatas & perfectas, quibus ornant ſancti aurem interiorem, id eſt intelligentiam. [aureas,] id eſt diuina ſapientia, & charitate conditas [vermiculatas argento,] id eſt, diſtinctas eloquio optimo. Vel ſententias, & ſapientiam quam in ſe habent, ſciunt honeſtis poſitionibus vnicuique ſecundum modũ ſuum diſpenſare, ſapientibus prout ſunt, humilibus ſimiliter. Argentum quod metallum eſt melius tinniens quàm cætera: & per ipſum eloquium ſignificatur. Et hoc faciemus dum rex eſt in accu-
D bitu, id eſt, in confeſsione Dei, ſcilicet corpora liter remotus ab Eccleſia: vel reportatur hoc ad ſequentia [Dum eſſes rex.] Vox Eccleſię ſic reſpondentis. Sponſus, & amici ſui dant mihi talia ornamenta, & ideo [dilectus meus mihi,] id eſt, ad meum honorem, [commorabitur inter mea vbera,] id eſt, in intimo amore meo: & eſt præmiſſa cauſa, acſi diceret: Merito debeo eum diligere: quia ipſe dedit mihi nardum ſcilicet virtutes, & hoc dũ eſſet [in accubitu ſuo,] id eſt, paſsione, reſurrectione ſcilicet quia ipſe paſſus fuit, & reſurrexit, ex hoc virtutes mihi dedit, quæ dederunt [odorem ſuum] id eſt, ſibi conuenientẽ videlicet bonam famã. Vel [dũ eſſet rex in accubitu ſuo,] id eſt, quia tranquillitatem mentis meę elegit in qua habitaret, ideo [nardus mea dedit odorem ſuum,] Nardus eſt vnguentũ quod fit de humili herba: & vocatur ipſa herba ſimiliter nardus, per quã ſignificatur humilitas, & eſt calidę naturę, per quã ſignificatur charitas. dilectus inquam [commorabitur inter vbera,] & ipſe erit mihi & triſtitia magna, & gaudium magnum. ſ. de omnib. aduerſis quæ ipſe paſſus eſt dolebo, & de quibus nõ grauatus eſt, ego gaudebo, & hoc dicit, [Faſciculus myrrhæ] Per myrrham notatur amaritudo, quia ipſa eſt res amariſsima, & ideo ex ea vncta corpora manent integra: quia præ nimia amaritudine vermes non accedunt. Per faſciculum notatur multitudo amaritudinum. Erit item [dilectus meus mihi botrus Cypri,] id eſt magnum

A gnum gaudium. Per botrum habemus vinum in quo eſt lætitia. Cyprus eſt locus in quo creſcit optimum vinum. Congaudet Eccleſia ſpõſo, ſicut de reſurrectione & ſimilibus. Dixi cõmorabitur dilectus meus inter vbera mea, & hoc [in vineis Engaddi,] id eſt, in Eccleſijs, vbi eſt fons hœdi, quia ibi lauãtur fœtidi in baptiſmo, & fiunt candidi. Engaddi autem interpretatur fons hœdi, vel tentatio oculorum. Eſt autem Eccleſia in tentatione oculorum poſita in hoc mundo, in quo omnia ſunt nobis propoſita ad tentandos oculos.

Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum.

Vox Ecclesiae.

Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. lectulus noſter floridus, tigna domorum noſtrarum cedrina. laquearia noſtra cypreſsina.

ECCE tu pulchra.] Vox ſponſi audiens erga ſe tantam affectionem ſponſę quod dixerat, Dilectus commorabitur inter vbera mea, reſpondet ſibi: Quia tanto amore maneo apud te, ecce tu es pulchra: quod bis ponit, nota eam pulchram & corpore & anima. [Oculi tui columbarum,] id eſt, columbini, ſcilicet, ſimplici
B ter intuentes, & carentes felle & inuidia.

[Oculi tui,] id eſt, prædicatores tui, qui tibi prouident vt oculi corpori, erunt [columbarũ] Intranſitiue dictum eſt, id eſt, erunt re vera columbæ, id eſt ſeptem virtutes habentes, quæ denotantur per ſeptem naturas columbæ. Columba enim ſecus fluenta habitat, vt viſo accipitre ſe mergat & euadat: meliora grana eligit, alienos pullos nutrit, roſtro non lacerat, felle caret in cauernis petræ nidificat, gemitum pro cantu habet. Ita prædicatores ſancti ſecus diuinę ſcripturæ fluenta quibus eorum irrigantur corda, inhabitant, vt eorum muniméto ab incurſu diabolico euadant: meliora grana, id eſt, meliores ſententias, ſcilicet non hæreticorum eligunt. Alienos pullos, id eſt, homines primum à Chriſto alienatos, qui pulli, id eſt, filij diaboli fuerant, doctrina ſua nutriunt & exemplo. Roſtro non lacerant, id eſt, bonas ſententias hæreticorum more lacerando non peruertunt. Felle carent, id eſt, ira irationabili carẽt. In cauernis petræ nidificãt, id eſt, in plagis mortis Chriſti qui eſt petra firmiſsima, nidum ponunt, id eſt, in fide mortis Chriſti refugium, vel ſpem ponunt. Per nidum quippe refugium & ſpes deſignantur. Columba enim aduenientę imbre ad nidũ fugit, & ſpem in nido habet. Gemitũ pro cantu habet, id eſt, ſicut alij delectantur in cantu, ita ipſi in tribulatione & gemitu, Habet etiam hanc naturam columba vt viſionem amiſſam recuperet: ita quoque prædicatores & prouiſo res Eccleſiæ aliquo dono ſancti ſpiritus amiſſo C
per aliquod delictum, recuperant illud, ſicut Dauid qui ſpiritum prophetiæ quem amiſerat recuperauit. Habet item hanc naturam quod gregatim volat. Eodem modo prædicatores gregatim, id eſt, catholicam fidem tenentes, tẽdunt ad alta greſsibus bonorum operum atq; virtutum. Nam quot bona opera facimus, tot greſsibus ad Deum properamus. Alis ſe defendit columba, ita boni prædicatores ſententijs patrum ſe muniunt atque defendunt.

[Ecce tu] Vox ſponſæ. Tu ſponſe pulchram me vocas, & talem me oportet eſſe quia tu pulcher es, & ideo niſi pulchra eſſem tibi coniungi non poſſem. [Pulcher] dicitur ſecundum diuinitatem [decorus] ſecundum humanitatem. [Lectulus] ſponſus pulcher, & ſponſa pulchra, & ideo operimenta eorum pulchra. Per lectulum habemus eos in quibus Deus quia parumcunq; quieſcit in quibus ipſe quieſcit, non offenditur Eccleſia ſed quieſcit. Hi autem tales ſunt floridi, id eſt, habentes initia bonorũ operum, per florem ideo accipimus initium: quoniam flos prędedit fructũ. [Tigna domorũ] per tigna accipimus fortes illos qui portant pondus Eccleſiæ qui ſunt cedrini. Cedrus eſt arbor imputreſcibilis, & odore ſuo vermes occidit: ita iſti quoniã habent ęternitatem iam ſaltẽ ſpe & prædicatione ſua & bona fama interficiunt vitia in cordibus aliorũ. [Laquearia] ſunt depen D
dentia à tignis, & ſunt ornamenta domus & per hoc ſignificantur illi, qui dependentes à perfectioribus ornant Eccleſiam inſtitutione bona, & fama qui ſunt cypreſsini. Idem de cypreſſo quod dictũ eſt de cedro. Cum dicit [domorũ veſtrarum] dat nobis intelligere Eccleſiam illam de gentibus iam aliquantulum adultam.

Vox Christi.

CAPVT II.

EGo flos campi & lilium conuallium. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.

Vox Ecclesiae.

Sicut malus inter ligna ſyluarum, ſic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius quẽ deſideraueram ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo. Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

EGO flos] Vox ſponſi, & commouet Eccleſiam ad paſsionem ſuſtinendam, & proponit ſe eis ad exemplum, quia ſine ſua neceſsitate

multa

A multa ſuſtinuit: vt ſi diceret, Vocaui te pulchrã & tu es, [ſicut lilium inter ſpinas.] Sicut enim ſpinæ vento motæ lacerant lilium ac perforãt, ſic filiæ, id eſt, mollitijs ſeculi dediti, inſpiratione diaboli agitati, laniant ſanctam Eccleſiam, nec tu debes fugere, immo ſis lilium: quia ego cum non indigebam fui lilium, id eſt, ego fui flos campi, & fui lilium, ſcilicet punctus multis perſequutionibus, ego quidem qui fui liliũ vt pungerer, fui & lilium, id eſt decus conuallium id eſt, humilium. Bene Chriſtus flori comparatur, quia ſicut flos per ſe naſcitur, & eſt decus cãpi, ita Chriſtus ſine humano ſemine natus decus fuit Eccleſiæ & totius mũdi. [Sicut malus] Vox Eccleſiæ ſic dicentis, Amicus meus commonet me ad paſsionem, & ego parata ſum obtemperare ei, freta eius ſuſtentamento, qui eſt [ſicut malus.] Sicut malus attrahit viatores, & odore fructus & bona vmbra, deinde ipſius fructus refectione potius quam cæteræ arbores: ſic Chriſtus & odore bonæ operationis & vmbra, id eſt, protectione, quod confert ſpiritualibus donis: & fructu, id eſt, Euchariſtia melius quam aliquis omnium. & inde ſubiungit, [Sub vmbra illius ſedi] id eſt, in protectione ipſius contra æſtum diaboli quieui [fructus eius] id eſt, corpus & ſanguis, vel refectio diuini verbi dulcis [gutturi meo] id eſt, cordi meo. Præter hæc etiam [introduxit me rex] ſcilicet qui po-
B tens eſt me ſuſtentare & defendere in omni tribulatione [in cellam] in aliquantulam collectionem gentium, quæ eſt concluſa fide & operibus ſicut cella, ſic multiplicauit Eccleſiam [vinariam] dicit quia Eccleſia propinat vinum, id eſt, amorem Dei quo inebriantur bibentes, adeò vt obliuiſcantur parentum & prioris vitæ. Cum iſtis [ordinauit in me charitatem] id eſt, ordine diſpoſuit in me charitatem, ſ. vt in primo loco ſecũdum dignitatem diligam Deum, & eum ex totis viribus, deinde proximũ, & hoc diuerſis gradibus: primo loco patrem, ad vltimum inimicum, & hoc propter Deum. Fundatur autẽ hoc ordine charitas in nobis, vt prius noſipſos diligamus, & poſtea proximum, id eſt vt eandem naturam quam in nobis ſaluari volumus, vbique eandem ſaluari velimus, & quia naturam noſtram diligimus, ad dilectionẽ creatoris huius naturæ perducimur: & ita dilectio Dei quæ dignior habetur, poſterior tempore habetur. Vnde Ioannes: Si quis fratrem quem videt non diligit, Deum quem non videt quomodo poteſt diligere? 1. Ioan. 4. Et quia hæc mihi fecit, ideo [amore] eius [langueo] id eſt, vſq; ad defectum carnis me affligo. & quia ſic langueo, ideo [fulcite me] id eſt, ferte mihi cõſolationem ex initiatis & perfectis. per flores initia, per mala matura opera ſcilicet perfectorum. Sunt enim conſolationes ſanctorum bona opera aliorum. [Læua eius] Dicit Salomon Prou. 3. Lõgitudo dierũ in dextera eius, & in ſiniſtra eius diuitię & gloria: & ita hic accipimus C
per læuam ſeu ſiniſtram temporalia, per dexterã æterna. & inde dicit ſponſa: Amore eius langueo, ſed ipſe me non deſeret, quia læua eius, id eſt, hæc temporalia ſunt ſub capite meo, id eſt, ſub mente mea, quia mens mea hæc contẽnit: & tamen his ſubſtentatur: non poſſet enim vigilare & cætera huiuſmodi facere, ſi corpus his non reficeretur. Læua dico ſub capite [& dextera eius] id eſt, æternitas tandem recipiet me quam modo obtineo ſola ſpe. Sicut læua indignior eſt quam dextera, ſic temporalia æternis.

CHRISTVS.

Adiuro vos filiæ Hieruſalem per capreas ceruoſq́ue camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoaduſq; ipſa velit.

ECCLESIA.

Vox dilecti mei. Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles. Similis eſt dilectus meus capreæ hinnuloque ceruorum. En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos & dilectus meus loquitur mihi: Surge, pro D
pera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni. Iam enim hyems tranſijt, vmbra abijt & receſsit: flores apparuerunt in terra noſtra: tempus putationis aduenit. Vox turturis audita eſt in terra noſtra, ficus protulit groſſos ſuos, vineæ florentes dederunt odorem ſuum. Surge, amica mea, ſpecioſa mea, & veni columba mea, in foraminibus petræ in cauernis maceriæ. Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

[Adiuro vos.] Vox ſponſi. Videns amicam ſuam amore eius languere, & iam totam in trãquillitate mentis, & contemplatione perſiſtere, præcipit minoribus & ſubditis ne peccatis & inobedientijs dimoueant illã ab illa quiete: vt ſi ita diceret, quia amica mea amore meo lãguet, ideo [vos adiuro filiæ Hieruſalem] id eſt, qui eſtis generati in viſione pacis, [per capreas ceruosq́; camporum] id eſt, ſi vultis habere capreæ naturas & cerui, quas habent ſancti. Natura capreæ eſt alta petere, clari intuitus eſſe, vnde dorcas vocatur, id eſt, clarè videns: munda pabula eligere, ſi transfigatur ſagitta ſcit ſeipſam ſanare: ita ſancti & altitudinem virtutum petunt, & ſcripturas clare & ſubtiliter intuentur, & mundo pabulo diuini verbi reficiuntur, & ſi aliqua ſagitta diaboli vulnerãtur, pœnitentia &

A tia & oratione curant ſe, currentes ad Chriſtum qui quaſi dictamus eijcit ferrum de vulneratis. Cerui hæc natura eſt, vt uelociter currat, & cum plures tranſeunt de loco ad locum, adiuuant ſe inuicem ſuſtinere onera capitum, deglutiunt ſerpentem, & poſtea recurrunt ad viuum fontem, quaſi hauſto eijciunt venenum & renouãtur: ita ſancti velociter currunt per hunc campum mundi tendentes ad veram patriã, & portant inuicem onera ſua compatientes ſibi & neceſſaria miniſtrantes, & ſi aliquando venenum id eſt, inſpirationem diaboli receperunt, recurrunt ad Chriſtum fontem viuum, quo & venenum diaboli quod receperunt euomãt, & Deo renouantur. Si tales fieri vultis filiæ Hieruſalem. i. vos adhuc teneri [adiuro vos] ne amicã meam ſuſcitetis, id eſt, ab illa quiete mentis in qua languet contemplando Deum dimoueatis, vt oporteat eam laborare pro vobis: neq; euigiletis, vt quoquomodo eius quietem peccãdo pro quo ſi perceperit laborabit, interrumpatis, & ſi non oporteat eam laborare. [vox dilecti mei,] Vox ſponſæ. Intelligens affectionem ſponſi erga ſe cum interdixit ne excitetis. Vox hęc inquit, eſt dilecti mei, id eſt, qui hoc præcipit me diligit: & quia dixit [quoaduſq; ipſa velit] intelligo quod vult vt deſcendã ad aliquos generãdos Deo: ad quod dat mihi exemplum
B ſui & auxilium, de quo item dat nobis Apoſtolus & exemplum & authoritatem, cum dicit ad Phil. 1. Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto multo melius, manere autem in carne neceſſarium propter vos ſcilicet ad tempus. [Ecce iſte.] Ponit exemplum ipſius, acſi diceret: Bene debeo deſcendere ad aliquos adquirẽdos Deo, quia ecce ſic fecit ipſe, & hoc eſt, Iſte qui ita me commonet venit in naturam humanam, [ſaliens in montibus] id eſt, pedes ponens & habitans in illis qui ſunt montes ſecundum perfectionem & eminentiam virtutum, & etiam eos ſalire fecit ſicut Paulum, quem ex perſequutore cito fecit ſummum prædicatorem, ſaliens dico in montibus [tranſiliens colles] per quos illos aliquanto inferiores mõtibus, in quibus licet nõ ita Deus ſaliat ſicut in Apoſtolis & in cæteris montibus, tamen tranſilit eos, id eſt, vmbra ſua tangit eos, quia quandam cognitionem myſteriorum ſuorum oſtendit eis, licet non adeo plenam ſicut perfectiſsimis. [Similis] & bene poteſt ſalire, quia ſimilis eſt capreæ, quia nunquã naturas capreæ adeo quiſquam habuit vt Chriſtus. Similis eſt [hinnulo ceruorum.] ipſe eſt enim filius ceruorum, id eſt, prophetarum & patriarcharum qui veloces cerui fuerunt. Chriſtus hinnulo comparatur: quia ſicut hinnulus leuis eſt, nulla carnis mole oppreſſus diſtinctus maculis: ita Chriſtus nulla carnis mole preſſus fuit, & diſtinctus omnib. virtutibus. [En ipſe] Oſtenſo exemplo in Chriſto oſtendit ſibi auxilium eius adeſſe, acſi dicat: Laborare debeo in adquiſitionem aliorum ſicut ipſe fecit: & C
perficiam, quia eſt paratus auxiliari mihi: quod eſt, Ipſe, [ſtat] paratus vt auxilium ferat incipientibus, [poſt parietem noſtrum] id eſt, in carne noſtræ naturæ, quæ in alijs præter Chriſtum proprie dicitur paries, quia eſt murus inter Deum & homines: quoniam caro eſt fomes peccati. Habent aliæ translationes, poſt ædificationem: quia quicunque incipiat ædificare in virtutibus, Chriſtus ſtat poſt [parietem] id eſt, latenter adminiſtrat auxilia [reſpiciens per feneſtras] id eſt, viſitans & conſolans eos manifeſte, per apertas ſcripturas, vt per euangelia, vel per miracula manifeſta, [proſpiciens per cancellos,] id eſt, per ſtrictas & obſcuras ſcripturas, vt per prophetias, vel per incognita miracula, vel per Iudæorum excæcationem, & cætera. Cancellus eſt ſtrictum foramen maceriæ. [Dilectus meus loquitur mihi] & proſpicit me, & commonet me vbi eum annunciem hoc modo [Surge,] id eſt, deſcende de tua contemplatione vt aliquos mihi lucrerĭs. [Propera] quoniam tempus breue eſt. [Amica mea] id eſt, quã ego de omnibus elegi [columba] propter ſimplicitatem, [formoſa] ſecundum virtutes, & ſic [veni] quia alios adquirere eſt tuum ad me venire. [Iam enim.] Hæc quoque verba Chriſti, ſed ſponſa repræſentat ſibi dicta. a. d. Dico ſurge, prædica, & prædicatio tua non erit infructuoſa, quia infidelitas & perſecutio iam ceſſauit D
in gentibus, & hic eſt, [hyems,] id eſt, infidelitas iam ceſſauit in gentibus, non quod adhuc fidem recepiſſent, ſed habiles ſe præbebãt. [Vmbra] id eſt, perſecutio, id eſt, grando contundens [iam abijt & receſsit] id eſt, in tantum iam ceſſauit, vt qui perſequebantur, modo ſequantur, [flores] id eſt, initia virtutum [apparuerunt in terra noſtra,] id eſt, in Eccleſia, quæ eſt bene culta. [Tempus putationis,] id eſt, purgationis, id eſt, ſuperflua reſecandi per pœnitentiam, & ſi qui noluerint, per excommunicationem extra Eccleſiam abijciendi. [Vox turturis] id eſt, admonitio Spiritus ſancti, bene recepta, [in terra noſtra.] Turtur quæ alta petit, propriè Spiritum ſanctum ſignificat, cuius eſt conferre altitudinem virtutum. Columbã item quæ in vallibus habitat, propriè ſignificat eundem ſpiritum, quia ipſius eſt dare humilitatem. [ficus] id eſt, Iudæa [protulit,] & dimiſit [groſſos ſuos] id eſt, inanes fructus ſecundum carnalem intellectum legis: qui non perueniunt ad maturitatem, quia non perducunt ad perfectionem. Iudæa propter inania opera ſua ficui comparatur, quæ fructus facit inanes, id eſt, groſſos qui nunquam perueniunt ad maturitatem. [Vineæ] id eſt, Eccleſiam ingredientes [florentes] id eſt, bene operari incipientes [odorem dederunt] id eſt, bonam famam de ſe emiſerunt. Per hæc omnia ſcilicet cum dicit: Perſecutio iam ceſſauit,

& alia

A & alia huiuſmodi, notat ſtatum Eccleſiæ iam bene in gentibus adultæ,& propter hoc, [Surge amica mea ſpecioſa,] labora in alijs, & ita [veni columba mea in foraminibus petræ] Nidificat quidem columba in petra, ſed non clauſa:potius vbi ſunt foramina, id eſt, receptacula, & protectiones contra miluos & cæteras importunitates. Per petram habemus Chriſtum propter ſoliditatem: in quo ſunt foramina id eſt, receptacula, quia ipſe nullum reijcit ad ſe venientem, & ipſis eſt protectio contra hæreticos & cæteras impugnationes diaboli: vel per foramina recipiantur plagæ propriæ Dominici corporis quas iubetur Eccleſia annunciare, & in ipſis fidem veſtram fundare. AEdificat quoque columba in cauernis maceriæ. Dicitur maceria coadunatio lapidum, vbi ſic ſunt lapides ordinati quod nullus defluat, & ibi ſunt cauernæ, id eſt, quædam receptacula. Per maceriam ſignificantur, qui ex diuerſis gentibus aggregantur in vnione fidei Eccleſiæ, & ſic ſunt ordinati vt nullus defluat vel diſſentiat à catholica inſtitutione, & in ipſa ſunt cauernæ, id eſt, ipſi ſunt receptacula omnium ad ſe venientium, & talis breuiter eſt collecta ſententia. [Surge amica] & ſis [columba] in foraminibus petræ & cauernis maceriæ, id eſt, cum ſimplicitate annuncia Chriſtum qui non excludit venientes, ſed protegit: & prædica plagas ipſius, &
B vitam ſanctorum annuncia imitandam, in quibus erit refugium ad eorum ſectam accedentibus. [Oſtende mihi] Hæc quoque verba ſunt ſponſi, ſed Eccleſia repræſentat ea. Dixit mihi ſponſus, ſurge & hæc etiam dixit: Oſtende mihi, id eſt, vt placeat mihi & etiam vt mihi ſis honori. [faciem tuam] id eſt, bonam operationem tuam [& vox] id eſt, admonitio & correptio [tua ſonet in auribus meis] id eſt, ſis mihi delectabilis, & vere placebis mihi, quia ſuauis es, [& facies tua decora] id eſt, opera pulchra, cuius vox & opera aliquando mihi diſplicuerint.

Capite nobis vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas. nam vinea noſtra floruit. Dilectus meus mihi & ego illi qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ. Reuertere, ſimilis eſto dilecte mi capreæ hinnuloq; ceruorum ſuper montes Bethel.

CAPITE.] Iterum verba ſponſi, ſed Eccleſia repræſentat ea: & rogat ſponſus amicos ſuos, vt iuuent Eccleſiam, ſcilicet remouendo hæreticos: ac ſi dicat: Dilecte mihi ſurge: & amicis ſuis, [Capite] id eſt, circumuenite, & ſententias eorum falſas & inutiles demonſtrate [vulpes] id eſt, hæreticos, qui propter callidita tem vulpi comparantur. vulpes [paruulas] id eſt, qui ſe humiles & iuſtos oſtendunt vt potius decipiant, ideo dico [capite] quia [demoliuntur,] id eſt, foueas faciunt & corrodunt vineas. [Nam vinea] & opus eſt, vt capiãtur, quia vinea, id eſt Eccleſia de gentibus, quoniam magna cura exolui, [floruit,] id eſt, iam initia quę dam in ſe oſtendit virtutum, cuius fructum parant hæretici impedire. [Dilectus meus,] acſi dicat, Prædictis modis monet me amicus meus, & ipſe dilectus meus ſemper eſt mihi auxiliator, & ego ideo ero ei obediens, & adhęrens in quantum potero vt adquiram aliquos [illi qui paſcitur] id eſt, delectatur & reficitur [inter lilia] id eſt, in operibus illorum qui ſunt lilia, id eſt, candidati in virtutibus, [donec aſpiret dies,] id eſt, communis reſurrectio, quæ erit lux vera, & reficiet nos omni exultatione poſt labores huius vitæ [&] donec [inclinentur vmbræ] id eſt, tranſeant ignorantiæ huius vitæ. Interim delectatur Deus in bonis operibus noſtris quæ poſtea non erunt. [Reuertere] Ipſa Eccleſia volens laborare ad correctionem aliorum gentilium rogat ipſum Deum vt iuuet eam, ſcilicet oſtendat ſemetipſum illis acquirendis: & hoc eſt, [Reuertere,] id eſt, condeſcende iſtis, & aſpira eos interius, quia aliter labor noſter erit infructuoſus : vel reuertere, quia ab eis per peccata primi parentis receſsiſti: reuertere ad cognitionem, & vt habites in iſtis. dico [Reuertere & eſto ſimilis capreæ hinnuloque ceruorum.] Natura capreæ & hinnuli eſt, vt licet in ſummitate montium habitent, D deſcendant tamen in colles vt ab inferioribus videantur. [capreæ] dico entis [ſuper montes Bethel] id eſt, domus Dei. Cum enim Chriſtus habitet in montibus, id eſt, in eminentioribus propter virtutes, rogatur deſcendere ex ipſis [& per ipſos] vſque ad cognitionem inferiorum.

CAPVT III.

IN lectulo meo quæſiui per noctes quem diligit anima mea: quæſiui illum & non inueni. Surgam & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea: quæſiui illum & non inueni. Inuenerunt me vigiles qui cuſtodiunt ciuitatem. Num quem diligit anima mea vidiſtis? Paululum cum pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea: tenui illum, nec dimittam donec introducam eum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.

IN lectulo meo] Vox minorum, & vbi oſtenditur conuerſio minorum, manifeſtatur effectus prædicationis maiorum: acſi ita reſponderent modo minores: Tu mater noſtra precaris Deum vt nos inſpiret, quod nobis neceſſe eſt: quia aliter ad ipſum venire non poſſumus, quia per priorem vitam voluptatũ noſtrarum inueni-

A inuenire ipſum non poſſumus, & hoc eſt quod dicit, [In lectulo meo,] hoc eſt, in mundanis voluptatibus, in quibus omnino quieſcebam, [quæſiui illum.] Mens enim cuiuſque naturaliter ſomniat bonum & inueſtigat. Quæſiui illum dico, ſed [per noctes] id eſt, per ignorantias, ſcilicet per hæc temporalia, vt ſi quis per diuitias expectat ſufficientiam. Illum quidem [quem] modo [diligit anima mea,] id eſt, tota affectio mentis meæ, [& non inueni illum.] Non enim poteſt aliquis Deum adipiſci per has dilectiones. Quod bis ponit [quæſiui:] notat affectionem quærentis, & multiplicitatem inquiſitionis. [Surgam] &c. Quia in lectulo non inueni, ideo ſurgam à lectulo, ſcilicet relinquam mundi appetitum, [& circuibo] ſcilicet fragiles diligenter conuertam, & inquiram cognitionem Dei [ciuitatem] ſcilicet matrem meam Hieruſalem, conuocationem quidem ſanctorum, quæ mihi prædicauit [per vicos] id eſt, inquirendo ab illis qui ſtrictiora præcepta ſectantur. [Per plateas] accipimus illos qui laxiora præcepta ſequuntur, vt coniugatos quibus licitum eſt mundo vti. [Quæſiui illum & non inueni.] Ponit cauſam quare ab iſtis quærat, quoniam prius quæſiui vbi non erat, & non inueni. [Inuenerunt me] Dixi ſurgam, ſurrexi & quæſiui & me quærentem inuenerunt, id eſt, meam affectionem cognoue-
B runt [vigiles] id eſt, ſancti paſtores qui cuſtodiunt eccleſiam Dei. Cum dicit ſe prius inuentam quam inueniſſe, notat nobis vigilantiam & diligentiam quam debent habere paſtores in eccleſia, ſcilicet vt ex quo mouetur aliquis compunctione, parati ſint paſtores vt eum cõmoneãt, & ad notitiam Dei pertrahant. [Num quem diligit.] Inuenerunt me vigiles ita dicentem eis, [Num vidiſtis,] id eſt, cognitionem amici mei habuiſtis: per hoc quod dicit prius loquutum quærentem, cum prius à vigilibus inuentus eſſet, notat diligentiam & magnam affectionem quærentis. [Paululum.] Quęſiui ab illis, ſed eorum oſtenſione contenta non fui, ſed tranſiui altius quærendo eum, & per ipſos, quia ipſi me inſtruxerunt quomodo eum quærere debemus, & tandem [inueni] ſcilicet bonitatem & dulcedinem aliquantulum deguſtaui. [paululum] ideo dicit, quia ſine magno labore cognitio Dei habetur. Ex quo enim percipit Deus affectionem quærentis, ipſe ſeipſum offert, & ſponte ingerit. Inueni dico & [tenui,] id eſt, firmiter adhæſi. [nec dimittam donec introducam eum in domum matris meæ,] id eſt, in plenitudinem gentilitatis, quæ me in carnalibus deſiderijs educauit [& in cubiculum genitricis meæ,] id eſt, donec faciam aliquos de gentibus ſibi lectulum in quo quieſcat ſine offenſa. Matrem dicit quantum ad educationem, genitricem quantum ad creationem: & notatur hic eccleſia in eo ſtatu in quo plenitudo gentium ſubintrauit. C

Adiuro vos filiæ Hieruſalem, per capras ceruoſque camporum, ne ſuſcitetis neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit. Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris & vniuerſi pulueris pigmentarij? En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos.

ADIVRO vos] Vox ſponſi. Videns namque Chriſtus affectionẽ huius introductę gentilitatis, quæ dicit, [Introducã eum in domum matris meæ,] præcipit iterum ſubditis ne eam inquietent, ſicut ſuperius fecit de matre iſtius. [Quæ eſt iſta.] Vox Iudæorum. Videntes tam plenariam conuerſionem gentilium, admirantes dicunt, Quæ eſt iſta quæ aſcendit] de virtute in virtutem tendens peruenire ad ipſum Deum [per deſertum,] id eſt, per totam gentilitatem, quæ dicitur deſertum ab omni cultu diuino, ſcilicet ſine circumciſionibus & cæteris inſtitutis legalibus, quæ nos habemus. Aſcendit dico [ſicut virgula] id eſt, recta & gracilis, attenuato corpore, non impinguato, quæ virgula ſit [fumi] id eſt leuis, nullo pondere peccatorum prægrauetur, quin libera altum petat D [fumi] dico nõ qui noceat oculis, ſed qui procedat [ex aromatibus] ſcilicet ex quolibet genere virtutum: & determinat ipſa aromata per partes cum dicit [myrrhæ & thuris.] Per myrrham ſignificamus illos qui dediti ſunt amaritudinibus carnis vt martyres. Per thus, quod orationes ſignificat, habemus illos qui orationi inſiſtunt, & talis eſt ſententia, Aſcendunt quidam per mortificationem, quidam proferunt Deo bonum odorem, ſcilicet deuotionem orationum, & non ſolum per hæc duo genera virtutum aſcenditur, ſed per vniuerſum puluerem. Per pigmentum accipimus quaſdam virtutes: per puluerem eas redactas in quandam vilitatem. non enim valent virtutes in arrogantia, ſed debet homo vilem ſeipſum reputare, recognoſcens ſe ſibi nunquam poſſe ſufficere. [En lectulum Salomonis.] Vox ipſius eccleſiæ de gentibus reſpondentis. Inuitat eccleſia de gentibus Iudæos ad amorem Chriſti, ſicut regina Auſtri 3. Reg. 10. a. de longinquo veniens audire ſapientiam Salomonis eos præſentes & familiares ad idem inuitaret. Tu quæris quæ ego ſum, & ego tibi dico quia ſponſa ſum Salomonis, & hoc potes cognoſcere per hæc interſignia ſua quæ omnia in me reperies. hoc dicit, En lectulum, Salomon, id eſt, in manifeſto habes, quia inter nos eſt lectulus, id eſt, tales ſunt inter nos in quibus quieſcit ſine offenſione verus pacificus, & hunc lectulum [ambiunt ſe-

A xaginta fortes,] id est,custodes habemus in ecclesia. Per sexaginta habemus perfectos in decem præceptis. Fortes ideo dicit,quia humiles sunt & potentes resistere aduersarijs: & hi omnes sunt electi [ex fortissimis Israël,] id est,virorum qui vident Deum,& omnes hi sunt [tenentes gladios] id est,verbum Dei,omnesque bene sciunt illo gladio percutere [&] hoc est, [ad bella doctissimi.] Hic datur nobis intelligi quod tales debeant pastores esse, qui cum habeant diuinam scientiam interius, sciant etiam conuenienter eam exponere prædicando vnicuique secundum modum suum. [Vniuscuiusque ensis] id est, verbum Dei vnicuiq; eorum commissum facit vnusquisq; [super femur suú,] id est,carnem suam, quia vnusquisq; mortificationem carnis quam alijs prædicat,in seipso ipse demonstrat [propter nocturnos timores] id est,propter occultas diaboli concursiones & suggestiones.

Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum,ascensum purpureum, media charitate constrauit propter filias Hierusalem. Egredimini & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate quo coronauit eum mater sua in die desponsa-
B tionis illius,& in die lætitiæ cordis eius.

FERCVLVM fecit.] Ostendit hic ecclesia quædam intersignia Salomonis in se inueniri per quæ cognosceretur sponsa veri pacifici.ostendit & alia. [Ferculum] dicitur sella portatoria,dicta à ferendo,in qua sedet iudex.acsi diceret, Præter hæc prædicta fecit in nobis quosdam iudices, in quibus & per quos ipse iudicaret, & hos tales nó elegit debiles vel immundos,sed [de lignis libani.] Per ligna notamus quod robusti sint, nec frangantur aduersis. Per libanum quod interpretatur candidatio, significatur quod mundi sint & canditati virtutibus. [Columnas] id est, sustentatores, iudices scilicet perfectiores in quibus alij innituntur,fecit [argenteas] id est,clare tinnientes summo nitore diuini eloquij. [Reclinatorium aureum.] Reclinatorium est illud in quo reponitur caput alicuius ad requiem:per quod intelligimus illos qui diuinitatem Dei potius intuentur, & hi sunt aurei,id est,radiantes charitate & sapientia. [Ascensum] id est,ascendentes per gradus virtutum qui quasi non ascendunt, quia ex se nil boni faciunt, sed Christus ascendit in eis, per quem vel cuius auxilio bonum omne facimus. Hos tales fecit purpureos, id est, paratos cuilibet persequutioni, & hoc [constrauit,] id est,ornauit [charitate] scilicet vt charitas cæteris omnibus virtutibus esset ornamentum, sicut perpulchre deducit B. Paulus 1. Cor. 13. Charitate dico [media] id est, quæ ab omnibus posset æqualiter participari, vel [constrauit] charitate, id est, cæteras omnes virtutes inferiores, & constratas, quia nisi per charitatem nihil proficiunt, vt ample declarat D. Paulus 1. Corin. 13. vel media videlicet prædicta vt ferculum, & cætera in medio posita constrauit: & hæc omnia ornamenta posuit in nobis rex [propter filias Hierusalem] id est, propter minores & adhuc teneros animandos, vt & ipsi properent ad istas dignitates, scilicet vt frant ferculum, ascensus, & reliqua omnia similiter: Vel propter [filias Hierusalem] dicamus, propter Iudæos scilicet, vt Iudæi considerantes dignitatem nostram conuertantur. [Egredimini.] Item vox ecclesiæ de gentibus ad Iudæos. acsi diceret, Per hæc omnia ornamenta potestis me cognoscere sponsam Christi, & ideo vt vos talia habeatis [filię Sion,] id est, vos Iudæi. Ponit Sion pro tota Iudæa. Egredimini, id est, dimissa carnalitate Christo adhæreatis, & vt egredi positis, [videte,] id est, considerate [regem Salomonem] id est, Christum [in diademate,] id est, in victoria passionis quam consequutus est per matrem suam scilicet synagogã, quæ eum cruci affixit. Vel aliter [considerate] Christum [in diademate,] id est, in passione in qua coronã deuicti diaboli obtinuit: qua passione [coronauit eum mater sua] scilicet synagoga quę eum cruci affixit. Mater dico quę coronauit eum [in die desponsationis illius] id D
est Christi, & quando Christus factus est sponsus ecclesię, scilicet in vtero virginis primo. Dicitur enim thalamus sponsionis venter illius, quia illic diuinitas iungens se humanæ naturæ, à qua per peccatum diuisa fuerat, spondet se deinde cæteris eiusdé naturæ. Secundo & melius ad propositum, dicimus sponsionem factam esse in passione his qui in ipsa fidem fundauerant. O filiæ Sion cognoscite ipsum regem [in die lætitiæ cordis eius,] id est, resurrectionem & ascensionem & alia cõsiderate, quæ omnia vos reuocabunt ad amorem ipsius.

CAPVT IIII.

Quam pulchra es amica mea. quam pulchra es: oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecꝰ latet. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. Dentes tui sicut grex tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro. Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas. Sicut coccinea vitta labia tua, & eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali Punici, ita genæ tuæ absque eo quod intrinsecus latet. Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium, Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ

A preæ gemelli, qui pascuntur in lilijs donec aspiret dies,& inclinenter vmbræ. C

QVAM pulchra es.] Vox sponsi considerantis affectionem illius gentilis Ecclesiæ,quæ vellet quascunque posset in amicas sibi attrahere, commendat eam inde. [Oculi,] id est, tui prouisores & diligenter intuentes scripturas, sunt columbini,id est,simpliciter intuentes, & omni interiori simplicitate fulgentes. oculos dico columbinos [absque eo quod intrinsecus latet,] id est, præter intentionem quæ longe pulchrior est, [Capilli tui] id est, proxime adhærentes capiti & subtiles ac graciles sicut veri pauperes,sunt [sicut grex caprarũ.] Grex propter multitudinem:capræ dicuntur,quia & alta petunt & cæteras virtutes habent capræ, quas prædiximus [quæ ascendunt de monte] id est,de eminentia virtutum tendentes ad perfectionem montem dico [Galaad] id est, vbi est aceruus testimonij. Sancti enim non continent virtutes tacite,sed proferunt multipliciter testimonium Christi. Galaad dicitur ideo aceruus testimonij,quia Iacob & Laban aununculus eius ibi construxerunt aceruum lapidum quasi pacis suæ testimonium. [Dentes tui] scilicet qui sunt in genis fundati, & per quos conteritur cibus,sunt illi sancti,qui conterunt scripturas & inferioribus intelligibiles reddunt, & hi
B tales sunt [sicut greges tonsarum.] greges,quia multi tonsæ ideo,quia sicut ouis in tõsione deponit vetustatem suam:ita isti deposuerunt omnem suam vetustatem [quæ ascendunt de lauacro] Ascendunt quidem sancti ad virtutes de lauatione baptismi, & omnes secundum maiorẽ sui partem tam oculi quam caput & dẽtes, sunt generantes deo filios ex vtroq; populo scilicet Iudaico & gentili. [Omnes] sunt [gemellis fœtibus.] quia vnusquisq; fidem habet & opera. [Sicut vitta coccinea labia tua.] Vittæ officium est, capillos constringere circa caput, ita labia, id est,prædicatores per quos loquitur deus, cõstringunt capillos Christo, ne diffluãt à capite. Coccineam dicit propter dominicæ passionis rubedinem. Vel per capillos possunt accipi cogitationes, quæ à mente dependent & eam ornant. Ipsæ enim cogitationes coercentur prædicatione diuini verbi,& circa mentem constringuntur. [Eloquium tuum,] i. doctrina tua [dulce] nutriens sicut lac. [Sicut fragmen mali Punici.] Malum Punicum exterius est rubeũ, sed cum frangitur intus apparet candidum. [Ita genæ tuæ,] id est sancti illi perfectiores intus sunt sicut dẽtes: exterius suat triti multis persequutionibus, & sunt viles mundo: interius verò cogniti inueniũtur cãdidi multis virtutib. [Absq; eo quod intrinsecus latet] id est intẽtione quæ longe pulchrior est. [Sicut turris Dauid collum,] id est sancti per quos descendunt scripturæ ad inferiores habent & cætera officia colli: suntque sicut [turris] id est, defensio aliorum ad eos cõfugientium, in qua habitat & militat verus Dauid [quæ] turris [est ædificata cũ propugnaculis] id est, firmis & optimis sententijs, quibus procul pellãt insultantes inimicos. [Mille clypei] sunt immorantes circa collum, habent illi propugnacula: prodeuntes verò ad bella accipiunt ab illis qui collum sunt, vniuersas sententias quibus se protegant, & hoc dicit per mille clypeos: & accipiunt etiam alias sententias quibus deuincant alios & sibi attrahãt: & hoc est quod supponit, [omnis armatura fortium. Duo vbera] id est prædicatores tui, in quibus continetur doctrina sancta ex gentili & Iudaico populo: vel etiam ipsi populi qui doctrina nutriuntur, sunt [sicut duo hinnuli capreæ gemelli] id est, virtutes hinnuli habent & capreæ, & sunt gemelli, id est, sibi similes, & assentientes in eadẽ institutione. Vel possumus accipere per vbera duo testamenta, quæ iam à se non dicuntur dissentientia: vel potest dici de omnibus prædictis. [pascuntur] id est reficiuntur & delectantur [in lilijs] id est in candidatione & suaui odore bonorum operum. Interim dico [donec aspiret dies] scilicet æterna beatitudo, [& inclinentur vmbræ] id est transeant istæ ignorantiæ.

Vadam ad montem myrrhæ, & ad colles thuris. Tota pulchra es amica mea, & ma- D
cula non est in te. Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis, de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus Pardorum. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum & in vno crine colli tui. Quam pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa. Pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua, & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuæ paradisus malorum Punicorum, cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula, & cinnamomum cum vniuersis lignis Libani, myrrha & aloe cum omnibus primis vnguentis. Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quę fluunt impetu de Libano. Surge Aquilo & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.

VADAM ad montem myrrhæ] ac si dicat ipse sponsus: Talia sunt membra tua, & ego præter hoc faciam omnia meliora, conferen-

A do & multiplicando gratiam, & hoc dicit, Vadam, id est, conferam gratiam ad montem myrrhæ [& ad colles thuris.] Per montem myrrhæ habemus martyres, per colles thuris confessores qui præsentant domino suauem odorem orationum: & merito hoc tibi faciam, quia [tota pulchra es & macula] id est criminale [nō est in te] & quia talis es, [veni] ad me [de Libano] id est de bona operatione facta in vita, [veni] secundum animam, scilicet anima exiens de corpore. [veni de Libano] quia candor virtutum & bona operatio perducit ipsam ad Deum: veni resumendo corpus in communi resurrectione, & tunc [coronaberis] id est, victoriarum retributionem accipies. In corpore & anima coronaberis [de capite Amana] id est, de maioribus illorum in quibus vigilat diabolus, vt aliquos dilaniet diabolus. Amana namq; interpretatur dens vigiliarū. & coronaberis [de vertice Sanir] id est, de principibus illorū qui per quasdam ignorantias & fatuitates decipiunt homines. Sanir interpretatur nocturna auis, & per hoc intelligimus ignorātias & occulte decipientes. & cum his coronaberis [de Hermon] id est, conuertes aliquos qui erant Hermon, id est, anathema, quod est separatio: videlicet tales reuocabis domino qui iam non tantum dicebantur separati, sed ipsa separatio à Deo. Coronaberis dico [de cubilibus] id est,
B de illis in quibus cubat & quiescit leo, id est, diabolus manifeste sæuiens. & hæc est sententia, præmium recipies, & pro apertis persequutionibus sicut pro supra dictis: & coronaberis [de montibus pardorum] id est, de hæreticis quos de inimicis etiam cōuertis, qui dicuntur montes pro nimia elatione: pardi, quia distincti sunt varijs sectis & hæresibus, sicut pardus varijs maculis. [Vulnerasti cor meum.] Dico, veni coronaberis, quia valde te diligo: & hoc dico, vulnerasti cor meum dilectione tua. Sororem eam nominat, quia de eadem natura est secundum humanitatem, & cohæres regni per gratiam adoptionis, vt deducit D. Paulus Roman. 8. c. & ad Galat. 4. a. [Vulnerasti dico cor meum.] Repetitio præ nimia affectione dilectionis. vulnerasti dico [in vno oculorū] id est quia vniuntur in me vna conspiciēdo & inquirendo illi qui sunt in te oculi, & similiter illi qui sunt crines tui, ideo etiam vulnerasti cor meum. quia [mammæ tuæ] id est, doctrina tua quod est lac nutriens [sunt pulchræ] id est suauiter Deo nutrientes populos. [vbera tua] id est, ipsa tua doctrina, sunt [pulcheriora vino] id est omni mundana sapientia quæ inebriat & superbire facit habentes. [& odor] id est bona fama spiritualium gratiarum quę in te sunt, superat [omnia aromata] id est omnia terrena vnguenta, & propter hoc ideo [sponsa] vulnerasti cor meum quia [labia tua] id est prædicatores sancti, per quos loqueris, sunt [fauus] id est vas mel continens, id est, dulcissimam doctri- C
nā, & non alijs denegantes, sed sunt [distillans] fauus, quia verbo alijs præbent nutrimentum. [sub lingua tua] id est, in absc̄dito cordis tui: quod dicitur esse sub lingua, quia quod ibi est manifestatur per linguam. est [mel & lac] educans paruulos, educās & adultos. Per lac, quod est nutrimentum puerorum habemus doctrinam qua minores educātur: per mel quod pueri gustare nolunt, nec vbera matris parum inde tacta, sed adulti libenter comedunt, habemus doctrinam qua maiores pascuntur. Vel aliter, [mel, & lac] id est hæc corporea aliméta, [sunt sub lingua tua] id est, inferiora, & indigniora quam lingua tua, id est, spirituali doctrina, quæ est in lingua tua, [& odor vnguentorum tuorum] id est bona fama operum tuorum quibus tegis pudenda, est [sicut odor thuris,] id est ita placens Deo, sicut bona deuotio in orationibus sanctorum. placent enim Deo simul ista in aliquo, orationes & bona opera alterum enim non placet sine altero. [Hortus cōclusus.] Ideo cum prædictis vulnerasti cor meū, quia es proprie hortus, id est proferens diuersa genera virtutum, in quibus ego delector, & pascor, sicut hortus profert diuersa genera herbarum. [hortus] dico [conclusus] id est munitus, & vallatus fide, & operibus, quod nunquam in te pateat aditus inimicis, & furibus. Es [etiam fons signatus.] Fons dicitur ecclesia propter baptis- D
mum, à quo lauantur omnes qui sunt ecclesia. Vel fons, quia ipsa ecclesia habet in se diuinam sapientiam, de qua fluunt multæ aquæ, scilicet doctrinæ multæ. Quod dixit bis hortum, fuit ex nimia affectione diligentis: vel per hoc dat intelligere hortum ex Iudæis, & hortum ex gentibus. [Emissiones tuæ] Vocauit eam hortum, modo ponit cuiusmodi fructum proferat hortus iste, id est, mala Punica, & similia, & hoc dicit [Emissiones.] id est, illi quos tu generas Deo, sunt mala Punica, id est rubei, & parati cuilibet persequutioni [cum pomorum fructibus] id est, cum maturis pomis. Per hæc accipimus sanctos illos qui licet non sint dediti passionibus, faciunt tamen matura opera, quorum odore Deus reficitur, & hæc talia poma sunt mihi [paradisus] id est deliciæ. delectatur enim Deus in talibus sicut aliquis in paradiso. Iterum emissiones tuæ sunt [cypri cum nardo.] Cyprus enim est virga gracili quæ crescit in magnam altitudinem, & habet grana vnde fit regium vnguentum: & habet secum nardum, quæ herba humilis est. Per cyprum habemus sanctos qui crescunt in multam altitudinem virtutum, & proferunt grana, id est, bona opera, quibus vngitur ac delectatur Deus: & semper sunt cum humilitate quæ per nardū significatur. Iterum emissiones tuæ sunt [nardus cum croco.] Crocus est herba habens aureum florem, per quem intelligitur diuina sapien-

A sapientia, quæ non debet in aliquo esse cum timore, sed cum nardo, id est cum humilitate. Sunt etiam emissiones tuæ pariter [fistula, & cynamomum] Fistula est herba rubeum habēs corticem, & purgat optime tumores pulmonis: & cynamomum est vilis coloris scilicet cinerei. Per fistulam accipimus illos qui habent in memoria passionem domini, quæ aufert tumores à cordibus eorum, & faciunt seipsos viles, & comparabiles cineri, nil de se præsumentes, sed omnia bonitati Dei attribuentes. Dico emissiones tuas. hæc [cum omnibus lignis Libani] id est, emittis pariter cum supra dictis omnia ligna, id est omnes fortes & robustos ad sustinendum pondus Ecclesiæ, qui sunt Libani. i. candidati in virtutibus. Sunt etiam emissiones tuæ [myrrha & aloe,] id est, illi qui maiores & minores patiuntur persecutiones. Aloe namque minus amara est quā myrrha: Vel per myrrham accipiamus passionem martyrij. Peraloen quæ gustu amara est, & interius recepta sanat, accipiamus mortificationem carnis per vigilias & ieiunia, & similia: quæ licet ad faciendum videantur grauia & intolerabilia, tamen interius animam sanant. [Cū vniuersis primis vnguentis,] id est omnia sunt prima vnguenta, id est dona spiritualia, quæ sunt prima & digniora omnibus carnalibus vnguentis, vel per prima vnguenta accipiamus charitatem, quæ pri-
B ma est inter omnes virtutes. Ostendit fructus: modo ponit vnde ipse hortus habeat irrigationem, quasi diceret, In horto est [fons,] i. baptismus, vel diuina sapiētia: fons dico [hortorum] irrigans hortum ex Iudæis & hortum ex gentibus, & non talis fons qui possit cito euacuari, sed qui sit [puteus,] i. altus & profundus, quia quanto magis inquirit diuina sapientia, tanto profundior inuenitur. Profunda sunt ea quæ in baptismo significantur, puteus dico [aquarū] ex quo [fluunt] aquæ, fluunt quidem ex diuina sapientia aquæ, quæ lauant & mundas reddunt animas. fluūt quoq; ex baptismo aquæ, id est, dona Spiritus S. quæ in baptismo recipiuntur. Aquarum dico [viuentiū] id est, animas viuificantium. [quæ] currunt ad correctionem inferiorum [de Libano,] id est, de maioribus & de perfectis qui sunt candidati in virtutibus. Fluunt dico & non parce, sed abundanter & impetuose. [Surge aquilo] Quasi dicat, hortus meus tales debet fructus emittere, & vt fructus eius non pereat. [Surge aquilo,] id est, tu diabole, & fuge, Arbores congelat aquilo, quia frigidus est, vt fructum destruat: ita diabolus constringit congelatq; remouendo charitatem à corde hominum, ne proferant Deo fructum bonæ operationis. Surge dico aquilo [& veni auster,] id est vente calide, scilicet spiritus sancte, cōferens ardorem charitatis, [& perfla hortum.] remouendo congelationem infidelitatis & inspirando dilectionem Dei: [&] sic [fluant aromata illius,] i. fructus, scilicet odoramenta C
bonorum operum. Vel aliter, Quia amica mea talis hortus est & huiusmodi fructus emittere debet, ideo surge tu aquilo, id est diabole, & cō moue eam: & tu auster, spiritus sancte, tepida aura tua refice eam, & perfla vterq; hortum meum. Aquilo enim commouens arbores facit eas germinare, vt auster succedens fructum faciat producere. ita persequutio succedente feruore charitatis gratia spiritus sancti facit Ecclēsiam fructificare.

Veniat dilectus meus in hortum suum, vt comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum soror mea spōsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis: Comedi fauum cum melle meo, bibi vinū meum cum lacte meo. Comedite amici & bibite, & inebriamini charissimi.

VENIAT dilectus.] Vox ipsius sponsę de gentibus. Attendens quidem Ecclesia, quod Christus ita commendasset eam, vocans hortū & similia, & etiam præcepisset austro vt eam perflaret, precatur ipsum vt ipse idem veniat, scilicet multiplicando in eam gratiam suam, Quasi dicat, Quia huiusmodi fructum facere debeo quod per nunquam possum, Veniat ergo, id est gratiam suam in me multiplicet, quod est veni
re ipsius: & ita [comedat,] i. satietur bonis po- D
mis, scilicet operibus suorum, pomis dico quæ sunt fructus, id est, non in flore sed in maturitate, scilicet maturis & perfectis operibus suorū delectetur. [Veni in hortū] Vox sponsi ad ecclesiā. Precatis vt veniam in hortum, sed ego iā veni, i. gratiam conferendo & multiplicando visitaui ecclesiam meam, & hoc est quod dicit, Veni in hortum [meum] & de hoc horto meo [messui myrrham meam,] i. collegi & reposui in secretarijs myrrham, id est martyres sanctos quos martyres collegi [cum aromatibus meis] id est aromata, id est, confessores meos quorū orationibus ego delector, sicut aliquis bonis odoramentis. [Comedi,] id est facile & cū delectatione accepi, & reposui illos qui etant fauus [cum melle,] id est ita stillantes dulcissimā doctrinam, scilicet messui aliquos prædicatores: vel aliter, Myrrham messui, & alios qui erant maturi: qui nondum erant maturi, ad perfectionem duxi, vt mihi fructum faceret, & hoc est, [Comedi,] id est in corpus meum transduxi quosdam, efficiendo eos fauum meum. [Bibi vinum,] id est similiter in corpus meū reduxi quosdam qui fuerant vinum, & etiam fide & veritate feruentes & alios inebriantes doctrina [cum lacte] id est cum simplicibus meis qui sunt nutriti lacte, id est doctrina fidei, non alta sentientes: & hos bibi, id est cum delectatione & sine labore mihi incorporaui: vel bibi, quia maturos tales ad beatitudinem assumpsi. [Co-

A medite.] Vox ſtem ſpõſi ad amicos, & commonet eos, vt remota infidelitate per ipſum, quia ſunt quidam adhuc tepidi & torpentes, laborent in eis, & remoueant ignorantias cordis ab ipſis. Et notatur hic ſtatus Eccleſiæ ſecundum hæc tempora noſtra, vbi fidelius prædicatur: Quaſi dicat, Ego comedi quoſdam & bibi, & vos amici mei comedite & bibite, id eſt, delectamini in his qui in prædicatione veſtra praua opera & ignorantias dimiſerunt. Comedere dicit de eis quos oportet conterere & cum labore adquirere. Bibere dicit de illis qui cito adquieſcunt. [Bibite] dico [& inebriamini,] id eſt, pre nimia delectatione corrigendi eos, qua ſi ebrij dimittite omnes curas temporales, & obliuiſcimini totius veſtræ perſequutionis, vt ipſos puros Deo reddatis.

Ego dormio, & cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulſantis: Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenũ eſt rore, & cincinni mei gutti noctium. Expoliaui me tunica mea, quo modo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius. Surrexi vt aperirem dilecto meo. Manus meæ
B ſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni ſunt myrrha probatiſſima. Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat atque tranſierat.

EGO dormio.] Vox Eccleſiæ, quaſi dicat, Præcipis nobis laborare & prædicare ad ædificationem aliorum, ſed [ego dormio,] id eſt in tranquillitate mentis me contuli, dormiens & ceſſans à ſollicitudinibus mundi, [& cor meum vigilat,] id eſt ratio mea Deo intenta ſola cœleſtia contemplatur, ſicut bona amica etiam dormiens amicum ſomniat. [Vox dilecti.] Dico dormio, ſed oportet me quietem interrumpere, quoniam eſt vox, id eſt, admonitio dilecti mei [pulſantis,] id eſt, per multa ſigna & dicta ſanctorum me ad prædicationem commonentis, per hæc verba, [aperi mihi] i. prędicãdo fac aperta corda aliorum mihi, i. ad honorem meum. & vt mihi ſit habitatio in eis. Dixi aperi mihi, & opus eſt, [quia caput meum,] i. quidã prælati in eccleſia mea ſunt pleni, id eſt, habent abundantiam ignorantiarum munitarum quæ per rorem ſignificantur qui in noctibus cadit. Vel caput meum, id eſt, ego ipſe in illis ſum plenus [rore. & cincinni mei.] Cincinni dicuntur capilli retorti & male adhærentes capiti: & per hoc ſignificantur illi qui licet ſint de Eccleſia, tamen retorquent ſe & ſubterfugiunt diuina præcepta, & ſic elongando à capite ſunt pleni guttis, id eſt, magnis erroribus [noctium.] quia illi errores ex ignorantiæ cæcitate proue- C
niunt. [Expoliaui.] Sic me commonet ſponſus, ſed quomodo ego reſumam curam temporalem, vt præuideam correptis in cibo & ſimilia, quæ iam me exui omnibus iſtis? & hoc dicit: Expoliaui [me tunica,] id eſt, dimiſi omnes curas temporales, quas agebam ſuccinctus tunica. [Laui pedes meos,] id eſt, lachrymis piæ compunctionis purgaui etiam cotidiana & leuia, quę quaſi puluis adhærent affectionibus noſtris, & [quomodo inquinabo eos.] Neceſſe eſt autem prædicatoribus formam & geſta iraſcentis quandoque aſſumere pro faciliori correctione quorundam peccatorum: & ſic videntur in tali zelo inquinare conſcientias ſuas: veruntamen quia ſic aliquos Deo lucrantur, à Deo multiplex præmium recipiunt. [Dilectus meus.] Dixi, quomodo implicabor curis ſecularibus prædicando alijs, ſed oportet me facere, quia cum Dominus inſpiret eos, & paratos exhibeat ad recipiendum, ego quomodo negarem officium meum? & hoc eſt quod dicit. Dilectus meus [miſit,] id eſt, inſpirauit inferioribus meis, [manum ſuam,] id eſt, auxilium ſuum & operationem ſuam, ſcilicet quomodo ipſe operatus eſt, & in quibus eum imitari debeant, & quomodo ipſe auxilietur volentibus, ſecundum eum operari, & hoc per foramen, id eſt, latenter eos viſitando. [& ad tactum eius,] id eſt, ad inſpirationem D
paſſionis & aliorum quæ fecit, & ſui auxilij. [intremuit,] i. intra ſe tremuit, dolens de preteritis, ad meliora appetẽs inſtrui. [Surrexi] Vox ſponſæ proferentis obedientiam ſuam, quaſi dicat. Inferiores mei iam contremuerunt inſpiratione ipſius, & ideo ego ſurrexi, ceſsãdo aliquã do à quiete contemplationis, & reſumendo laborẽ prædicationis. [vt aperirẽ] corda aliorum ad perfectã Dei cognitionẽ, & ſtatim [manus,] i. operationes [diſtillauerunt myrrham,] i. fuerunt amare. Oportet enim prædicatores in ſemetipſis demonſtrare mortificationem carnis, qui idem alijs faciendum denunciant. Nemo enim carnẽ quæ fomes eſt peccati, nutriendam denunciat. [Digiti mei,] i. quædam diſcreta opera mea, ſunt [pleni myrrha probatiſſima,] i. oſtendit maximas carnis mortificationes, & prędicando & proferendo exemplum ſui. [Aperui dilecto meo,] id eſt corda aliorum præparaui ad cognitionem Dei, & hoc feci remouendo [peſſulum] ab oſtio. Per oſtium accipimus ignorantias & cæcitates quæ obſtruunt corda, ne promoueantur ad bene agendum. Peſſulum dicimus cauſam qua aliquis in huiuſmodi ignorãtijs detinetur: vt ſi quis gaudens in mundanis, prætendat excuſationem, quia ſit ſuſtentator viduæ matris. [At ille declinauerat.] Dico quia aperui oſtium, ſed antequam aperuiſſem, ipſe declinauerat, id eſt, ſeipſum eis manifeſtarat. Et hic tangit bonitatem Dei, qui ex quo inceperit

A ceperit aliquis eum velle, ipſe eſt paratus adiuuare, & pro muneribus ſuis ei præmium reddere. Dico declinauerat, ſed cum [tranſierat,] id eſt, incomprehenſibilem ſe eis oſtenderat.

Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt. Quæſiui, & non inueni: illum vocaui & non reſpondit mihi. Inuenerunt me cuſtodes qui circumierunt ciuitatem, percuſſerunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum cuſtodes murorum.

ANIMA mea.] Vox illorum inferiorum quos ſupra ventrem vocauit, vel ipſius eccleſiæ corrigentis, ſed in perſona correctæ, vt ſic dicat, Dilectus meus viſitauit me mittendo manum ſuam per foramen, & admonuit per prædicatores ſuos: & ideo [anima mea,] id eſt, ratio & intellectus liquefactus eſt, id eſt, calore ſpiritus ſancti illuminatus, & à duritia infidelitatis ſeparatus, [vt dilectus loquutus eſt,] id eſt poſtquam Dei vocem & admonitionem audiui. Dixi, quia declinauerat & tranſierat, & quia tranſiuit, [quæſiui eum,] id eſt, perfectam cognitionem ipſius obtinere laboraui. & non inueni. [Vocaui,] id eſt preces immiſi vt ipſe ſeipſum perfecte mihi indicaret [& non reſpondit mihi,] id eſt, effectum vocationis non ob-
B tinui. Sic quærentem [inuenerunt me,] id eſt, affectionem meam cognouerunt veri illi paſtores quos vigiles vocat, quia vigiliam & diligentiam adhibent, vt ſuos greges cuſtodiant, & alios Deo adquirant, [qui circuibant ciuitatem] diligenter ſcilicet inquirebant ſingulos, vt errantium ignorantias corrigerent. Dico, quia inuenerunt & [percuſſerunt,] id eſt; ad compunctionem me commouerunt dolore & recordatione præteritorum, [vulnerauerunt me] amore Dei [tulerunt pallium meum,] id eſt, remouerunt à me omnia operimenta erroris [cuſtodes murorum,] id eſt, maiores, vt epiſcopi qui cuſtodiunt illos qui ſunt muri & defenſio aliorum, vt epiſcopi & alij tales, quos ſupra vigiles vocauimus.

Adiuro vos filiæ Hieruſalem, ſi inueneritis dilectum meũ, vt nuncietis ei quia amore langueo. Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto ô pulcherrima mulierum. Qualis eſt dilectꝰ tuus ex dilecto, quia ſic adiuraſti nos? Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex milibus.

ADIVRO vos.] Modo introducta loquitur, & commonet compares ſuos vt iuuent eam quærere, & hoc innuit cum dicit, [Si inueneritis dilectũ vt nũcietis ei quia amore langueo] vt cognita dilectione & affectione mea, ſeipſum plene manifeſtet mihi. [Qualis eſt dile- C
ctus tuus.] Vox illius qui monetur ad quærendum. Quaſi dicat, Rogas vt quæram & tibi indicem, ſed prius notifica quibus ſignis cognoſcam dilectũ tuum. & hoc eſt quod dicit, Qualis eſt dilectus tuus ſecundum diuinitatem [ex dilecto. Qualis eſt dilectus tuus] ſecundum humanitatem. Ideo autem quæro qualis eſt, quia audio eum mirabilem. Ideo quia ſic adiuraſti nos. [Dilectus meus.] Vox illius quæ modo commonebat alios vt inquirerent & indicarẽt ſibi amicum ſuum: & deſcribit eis quædam de ipſo, vt iſtum talem imitentur, & multo altiorem intelligant. & hoc eſt quod dicit, Dilectus meus [candidus] id eſt, dealbatus multa virtute [rubicundus] propter paſsionem [electus ex milibus,] id eſt, ex vniuerſis rebus, quia inter omnia nihil aliud melius potuit inueniri per quod poſſet genus humanum redimi.

Caput eius aurum optimum. Comæ eius ſicut elatæ palmarum nigræ quaſi coruus. Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſsima. Genæ illius ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentarijs. Labia eius lilia diſtillantia myrrham primam. Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyachinthis. Venter eius eburneus, diſtinctus ſaphiris, Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes au- D
reas. Species eius vt Libani, electus vt Cedri, Guttur illius ſuauiſsimum, & totus deſyderabilis. Talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus filię Hieruſalẽ. Quo abiit dilectꝰ tuus, ô pulcherrima mulierum, quo declinauit dilectus tuus? & quæremus eum tecum.

CAPVT eius.] Modo deſcribit eum ſecũdum humanitatem, modo demonſtrat eum ſecundum alteram partem, id eſt, ſecundum diuinitatẽ. [Caput eius] id eſt, diuinitas quæ eſt caput dominici hominis, eſt [aurum optimũ,] id eſt, diuina ſapientia Dei optima & perfecta per quam fecit omnia. Comæ eius,] id eſt, illi adhærentes capiti, ſubtiles & graciles ſunt [ſicut elatæ] id eſt, ſemper tendentes ad ſuperiora. Elatæ quidem dicuntur rami palmæ qui in ſummo exeunt, & ſemper in altum ſe dirigunt, & ferunt eos triumphatores: & ideo bene comparat eis capillos Chriſti, qui ſunt veri triumphatores, [quæ] tales comæ ſunt [nigræ] id eſt, deſpicabiles mundo. [ſicut coruus,] id eſt, loquaces & garruli ſicut coruus. Vel aliter, Similes coruis: quia natura corui eſt, vt non paſcat pullos donec ſint nigri, id eſt, ſimiles ſibi. Interim autem reſident in ore eorum muſculæ venientes ad quendam ipſorum fœtorem, & illas deuorant: ita ſancti nullum paſcere volunt cibo

A spirituali, quem non videant similem sibi, id est diabolo renunciantem, & catholicæ fidei obedientem. [Oculi eius,] id est, illi qui subtili intuitu penetrant scripturas, & alijs præuident. sunt sicut [columbæ super riuos & iuxta fluenta plenissima.] Columbæ est natura nidificare vel ædificare iuxta aquam, vt se reficiat inde, & vt videat ibi vmbram milui vel accipitris, vt possit effugere: ita sancti iuxta aquas, id est, diuinas scripturas immorantur, vt inde reficiantur, & ibi sibi præuideant ab insidijs diaboli. Per riuos accipimus minores doctrinas, vt expositiones & sermones sanctorum. Per fluenta plenissima accipimus doctrinam Euangeliorum, vbi plene humana correptio continetur. Colũbas dicit lacte lotas, quia fideles illi quos oculos vocat, sunt purgati & mundati [lacte,] id est, suaui & dulci doctrina, & dilectione spiritus sancti. [Genę illius,] i. superiores illi sancti qui terunt scripturas, & inferioribus intelligibiles reddunt, sunt [sicut areolæ,] id est, terra bene culta & plantata ab ipso Deo. Areolæ dico [aromatum,] id est, de quibus suauissimi odores orationum & operum præsentantur Deo. & hæ [areolæ,] id est, hi sancti sunt [consitæ à pigmentarijs,] id est, à sanctis Apostolis & Prophetis, qui ipsos ædificant doctrina sua & plantant, qui dicuntur pigmentarij, quia terunt omnia reducendo ad humilita-
B tem, sicut pigmentarij species terunt ad puluerem. [labia eius] id est, prædicatores per quos loquitur, sunt [distillantia] id est, annuncia [myrrham] id est, amaricationes carnis. nullus enim prædicator docet carnem nutriendã. [primam] dicit, quia maxime debet caro mortificari: quia quanto magis caro mortificatur, tanto potius fit robustior spiritus. [Manus eius] id est, operatores etiam in secularibus actibus, qui ideo dicuntur manus eius, quia etiam in his talibus operatur Deus, sunt [tornatiles] id est, planati & suaues, vt in eis Deus non offendatur. sunt [aureæ] id est, diuina sapientia operantes. sunt etiam [plenę hyacinthis] id est cælo. sunt enim boni operatores manuum, intenti prorsus cælestibus, & per diuinam sapientiam sciunt operari. per hyacinthum significamus cælum qui est aërij coloris. [Venter eius] id est, mollior pars ecclesiæ, vt coniugati qui licentius mundo vtuntur, sunt [eburnei] id est, casti. Elephas enim frigidę naturæ est, vnde per ebur castitatem significamus. Ebur enim adeo frigidæ naturę est, vt superpositus pannus ebori, carbone non vratur. Venter dico [distinctus saphiris] id est, aliquando intentus cælestibus. Oportet enim aliquando coniugatos intendere curis mulierũ, aliquando etiam persistere in contemplatione, cuiusmodi Apostolus vocat diuisos. 1. Corinth. 7. f. Per saphirum qui est aërij coloris, accipimus cælum. [Crura illius.] id est, illi qui sunt prope nouissima tempora, vt illi qui portant eum & annunciant in C
his nouissimis temporibus, sunt [columnæ] id est, sustentatores aliorum [argenteæ,] fulgentes & resonantes nitore diuini eloquij. [fundatæ super bases aureas] id est, super Apostolos & prophetas qui sunt aurei: quia pleni charitate & sapientia. [Species eius vt Libani,] quasi dicat, Quid enumerarem singula? [Species eius.] id est, ipse totus, scilicet caput & corpus, sunt vt [Libanus.] id est, candidati & redolentes. [Electus.] id est, ipse Christus secundum propriam personam, [vt cedrus.] quia sicut cedrus dignior arbor est inter omnes alias, ita Christus vltra omnes homines est: & vt illa imputribilis est, & odore suo vermes occidit, sic Christus spiritualiter. [Guttæ illius,] id est, verbum interius, scilicet sensus verborũ ipsius, est suauissimus omnibus qui recipiunt. Quid plura? [Totus] est [desiderabilis.] Ecce descripsi vobis qualis esset dilectus meus filiæ Hierusalem, vt & vos ipsi quem talem cognoscitis, fortiter adhæreatis, & mihi de eo debetis credere. quia [ipse est amicus meus,] id est, mihi familiaris ac bene notus. [Quo abijt.] Vox item illorum qui monentur quærere, & audita qualitate ipsius, quærunt quasi locum & terram in qua eum quærãt, sicut seculares amicæ sibi inuicem loquerentur, & moneret aliqua aliam vt iuuaret eam ad quærendum amicum suum: vt sic dicant, [O pulcherrima mu- D
lierum.] id est, inter omnes mulieres,] id est, philosophos, qui dicuntur mulieres, quia nutriunt alios in iuis sectis. Pulcherrima dico, indica mihi quo abijt, id est, infra quem locum potero eum inuenire. Hoc dicit secundum hoc quod est incomprehẽsibilis, scilicet secundum propriam essentiam ipsius. [Quo declinauit,] dicit secundum hæc quæ de eo sciri possunt. quasi dicat, Indica mihi qui sunt illi, in quibus habiter Deus, & quibus conferat Deus cognitionem sui, & quare quęrimus: quia ecce [quæremus eum tecum.] Et notatur magna affectio inter eos qui ita se inuitant ad inquirendam cognitionem Dei.

CAPVT VI.

Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt ibi pascatur in hortis & lilia colligat. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi qui pascitur inter lilia.

DILECTVS meus.] Vox illorum qui inuitant alios ad quærendum Deum, vt sic dicant, Vos quæritis, Quo declinauit dilectus meus, & ecce annuncio vobis, quia in ecclesia sua notus est, & ibi habitat, & hoc dicit, [Descendit in hortum suum,] id est, de cognatione angelorum suppliciter se humiliauit, carnem

A nem sumendo, vsque ad cognitionem hominum. descendit dico [ad areolam,] id est, ad illos qui sunt areola, id est, qui sunt bene culta terra, & plantata secundum voluntatem Dei. Areola dico [aromatum,] id est, illi qui proferunt Deo suauem odorem orationum & operum. Descendit dico, ad hoc [vt pascatur] & delectetur [in hortis,] id est, in fidelibus ecclesiæ suæ. [& lilia colligat,] id est, assumat & reponat in secreta sua, [lilia,] id est, candidatos in virtutibus, vel colligat & attrahat quosdam in ecclesia sua quos faciat lilia, id est, candidatos omni virtute. [Ego dilecto.] Et mihi iterum de hoc debes credere, quia ego [dilecto meo] obsequor in quibus possum, & sum bene ei familiaris: & ideo [dilectus meus] adest [mihi] præbens auxilium suum, & cognitionem suam, [qui pascit] & delectatur [inter lilia.]

Pulchra es amica mea, suauis & decora sicut Hierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata. Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerũt de Galaad. Dentes tui sicut greges ouium, quæ ascenderunt de lauacro. Omnes gemellis
B fœtibus, & sterilis non est in eis. Sicut cortex mali Punici, sic genæ tuæ absque occultis tuis. Sexaginta sunt regina, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea, perfecta mea. vna est matri suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt reginæ, & concubinæ laudauerunt eam.

PVLCHRA es.] Vox sponsi. Audiens Christus affectionem ecclesiæ, ideo eam commendat cum dicit, [Pulchra es amica mea] &c. Pulchram dicit secundum hoc quod habet tantam voluntatem eum cognoscendi: suauem propter hoc quod alios inuitat ad idem, non inuidens sponsum suum alias habere amicas: decoram dicit secundum opera. [Sicut Hierusalem,] id est ita pulchra sicut Hierusalem cælestis, & decora sicut mater tua, scilicet ecclesia illa quæ te generauit & educauit. [terribilis] inimicis, [vt castrorũ acies.] quia in te milito, & tu militas in seruitio meo, sicut in castris militatur. & es [ordinata] per institutionem sanctorum. [Auerte oculos.] Tu es ita commendabilis, sed tamen desiste putare quod modo credis, vt possis pertingere ad perfectã cognitionem mei. & hoc dicit, [Ante oculos tuos,] id est, intelligentiam quam exerces ad cognitionem plenam mei: vel oculos ipsos subtilius intuentes. [quia ipsi aduolare,] id est, separari ab omni cognitione humana, [me fecerunt] scilicet: quia quanto quis subtilius & altius De C
um scrutatur, tanto eum altiorem & incomprehensibilem cognoscit. Modo, quia dixit: Auerte oculos, ne ista conquereretur se esse indigniorem matre sua, Id est Hierusalem, commendat eam sicut fecit superius matrem, cum dicit: [capilli tui] &c. Dixit: Auerte oculos, & tamen habes oculos, &c. æque pulchra, sicut illa Ecclesia quæ te prædicauit. Non ideo dixit vt oculos auertat quod peccatum sit, Deum plenè vel le cognoscere, sed est peccatum putare posse adipisci. [Sexaginta sunt reginæ] Reginæ vel vxores dicuntur omnes illi in sancta Ecclesia, qui ex sola dilectione Dei non spe lucri secularis Deo filios generant: concubinæ verò qui non ex dilectione Dei, sed gratia boni temporalis prædicant, & Deo tamen bonos filios generant. Concubinæ autem ejiciuntur de domo patrisfamilias, sed filij retinentur. Adolescentulæ dicuntur illi qui generantur. Et hoc dicit propter has pulchritudines: habes & reginas & reliquas quæ dicuntur sexaginta. Per sexaginta, qui conficitur ex decem & sex, scilicet perfecti in decem præceptis legis secundũ sex opera misericordiæ. Per octoginta, qui conficitur ex octo & decem, habemus eos, qui licet decem præcepta aliquantulum custodiant & prædicent, tamen versantur in secularibus. Octogenarius autem cum in malo accipitur, temporalium curas & implicamenta de- D
signat, quia & seculi cursus quatuor circumagitur temporibus, & mundus ipse quatuor climatibus, Oriente, Occidente, Aquilone & Austro dirimitur. Concubinæ igitur sunt, qui amore temporalium Christum annuntiant. [Vna est columba mea.] Cum dicat tot membra Ecclesiæ, vellet aliquis discordiam & nunquã vnionem inueniri in Ecclesia, & ideo hoc removendo dicit: Quamuis tot partes dixerim Ecclesiæ, ipsa tamen vna est, id est, in fide vnita: & est vna matri suæ, id est, ita est vna sicut mater sua, id est Ecclesia illa, quæ istam nutriuit & educauit doctrina suaui. & est [vna genitricis suæ]. i. sicut genitrix sua, & sicut prædicatores illi, qui eam conuerterunt, & accipit matrem quantum ad instructionem, genitricem quantum ad conuersionem. & quia talis est sicut per omnia supradicta manifestatum est, ideo quæcunque aliæ [filiæ viderunt eam] admiratę sunt eam, [& reginæ & concubinæ prædicauerunt eam [beatissimam] propter gloriam venturam & [laudauerunt eam reginæ] & concubinæ de virtutibus secundum præsentem vitam.

Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.

QVAE est ista] Vox Iudæorum qui videntes tan-

A tes tantum profectum eccleſiarum in gentibus, incipientes moueri ad compunctionem admirantes, non inuidentes dicunt, [Quæ eſt iſta] id eſt, qualis & quanta, [quæ progreditur ſicut aurora] id eſt, per terram diffunditur, ſicut aurora [conſurgens,] in qua ſunt quidam, [vt luna] id eſt, illuminantes tenebroſos: quidam [vt ſol,] id eſt, illuminantes etiam quoſdam claros, & ſunt quidam in ea terribiles hoſtibus, quidam ſunt [acies caſtrorum] ſcilicet muniti vallo fidei, & ordinati multis virtutibus.

Deſcendi in hortum nucum vt viderem poma conuallium, & inſpicerem ſi floruiſſet vinea, & germinaſſet mala Punica. Neſciui: Anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab. Reuertere reuertere Sunamitis, reuertere reuertere vt intueamur te.

DESCENDI] Vox ſponſi, vt ita reſpondeat Iudæis, Quæritis quæ ſit iſta? ipſa quidem eſt amica mea & hortus in quem ego deſcendi. [Nucum] ideo, quia in nuce habetur exterius amaritudo, intra teſta quædam fragilis, intus eſt nucleus dulcis: eodem modo ſancti exterius amaricationes multas ſuſtinent intra corpus, quod eſt teſta fragilis, verum intus quidem eſt dulciſsimum, quod eſt anima ornata
B multis virtutibus. deſcendi dico [vt viderem,] id eſt, probarem & auxilia per gratiam conferem illis qui ſunt [poma,] id eſt, matura opera Deo proferentes, & conualles ſunt, id eſt, humiles. [& inſpicerem.] Inſpicere Dei eſt gratiam conferre, & fideles probare. [ſi vineæ] id eſt, hi quibus magnus cultus impenditur. [Floruiſſent] id eſt, initia virtutum protuliſſent [&] ſi [mala Punica] id eſt, illi qui paratos ſe oſtendunt cuilibet paſsioni. [germinaſſent] id eſt, aliquem fructum Deo adquiſiſſent. Neſciui] Vox Iudæorum compunctorum. Dicis quia hæc eſt amica tua, & inſpicis eam conferendo ei dona ſpiritualia: ego quidem neſciebã, quia [anima mea] id eſt, ſcientia quam in lege habui ſecundum carnalem intellectum [conturbabit me,] id eſt conturbatũ à cognitione Dei reddidit [propter quadrigas Aminadab,] id eſt propter quatuor euangelia Chriſti, quæ mihi videntur deſtruere legem, quam prius acceperam. Aminadab interpretatur ſpontaneus domini, vel pro populo, per quem ſignificatur Chriſtus, qui ſponte ſe Deo obtulit, & hoc pro populi redemptione. Per quadrigas quæ ferun tur quatuor totis, intelligimus Euangelium quod fertur per totum mundum quatuor euangeliſtis, [Reuertere, reuertere] Vox eccleſiæ de gentibus. Cognoſcit quidem errorem Iudæorum, commonetq; eos ad conuerſionem. & ponit quater, Reuertere: quia reuocat eos de quatuor mundi partibus. Sunamitem vocat eam, id eſt, captiuam à diabolo in Babyloniam, C id eſt in confuſionem vitiorum. Fuit quidem quædam Sunamitis captiuata in Babylonia. [Reuertere] dico [vt intueamur te] id eſt, vt in te vitam noſtram conſpiciamus, vel vt te prę nimia bonitate miremur.

CAPVT VII.

Quid videbis in Sunamite, niſi choros caſtrorum? Quam pulchri ſunt greſſus tui in calciamentis, filia principis. Iunctura fœminum tuorum ſicut monilia quæ fabricata ſunt manu artificis. Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Venter tuus ſicut aceruus tritici, vallatus lilijs. Duo vbera tua ſicut duo hinnuli gemelli caprææ, collum tuum ſicut turris eburnea. Oculi tui ſicut piſcinæ in Eſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis. Naſus tuus ſicut turris Libani quæ reſpicit contra Damaſcum. Caput tuum vt Carmelus, & comæ capitis tui ſicut purpura regis iuncta canalibus. Quam pulchra es & quam decora chariſsima in delicijs. Statura tua aſsimilata eſt palmæ, & vbera tua botris.

QVID vide.] Vox Chriſti. & commonet Eccleſiam gentium, vt laboret ad conuerſionẽ D Iudæorum, quia non erit inutilis labor & prædicatio eorum, quaſi dicat: Tu rogas eam vt reuertatur, à quo non eſt ceſſandum, quia videbis [in Sunamite] id eſt, in Iudæis captiuitatis à diabolo [choros] id eſt, cantantes & pſallentes Domino, choros dico [caſtrorum] id eſt, in quibus militet Deus, & qui ſunt bene muniti. [Quam pulchri] Item commonet Eccleſia de gentibus ad prædicationem Iudæorum propter aliam cauſam, ſcilicet, quia multum vtile erit & magnum fructum Deo faciet hæc nouiſsima Eccleſia in qua erunt Iudæi conuerſi. Nõ tamen dicitur quod omnes Iudæi tandem conuertantur, ſed maior pars. Ideo labora tu Eccleſia de gentibus ad conuerſionem Iudæorum, quia valde erunt [pulchri] illi [greſſus tui] id eſt vltimi fideles qui te & doctrinam tuam portabunt. pulchri dico [in calciamentis] id eſt, in mortificatione carnis. quia de mortuis animalibus fiunt calciamenta: vel in calciamentis, id eſt in Apoſtolis & alijs ſanctis quorum exemplis & autoritate protegentur vltimi, ſicut pedes calciamentis. [filia principis] id eſt Dei, Vel poteſt hic eſſe vox Chriſti ad ipſos Iudæos per apoſtrophen. [Iunctura fœminum,] id eſt coadunatio duorum populorum [ſicut monilia] quia muniunt & monent quidem alios, vt conſiderantes ſuam pulchritudinem & dona ſpiritualia quæ in ipſis vigent, velint ſibi adhærere. muniunt verò ſubditos cõtra inſidias diaboli,

Aboli, & docent eos caſtitatem. Monilia dico [fabricata] potentia & operatione ſummi [artificis,] id eſt, Dei ipſius.

[Vmbilicus tuus] In hac parte ventris mulier habet ſeminariũ generationis, & per hanc partem quæ eſt in ventre, habemus illos qui cum ſint inter carnales vt coniugati, habent tamen ſeminarium prædicãdi & generandi Deo filios. & hi tales ſunt [crater,] id eſt, potans & inebriãs alios Dei dilectione. crater dico [tornatilis,] id eſt, ita planatus ſecundum voluntatem Dei, vbi manus Dei nullam inueniat offenſam, qui crater [nunquam] indiget [poculis.] quia huiuſmodi ſanctis nunquam deficiet doctrina qua potent alios. Vel vmbilicus ideo dicuntur huiuſmodi ſancti prædicatores, quia ſicut vmbilicus eſt in medio ventris, ita iſti ſunt in medio populi concionantes, & reconciliantes eos Deo. [Venter tuus,] id eſt, illa mollior pars eccleſiæ, qui alios non generant, [ſicut aceruus tritici vallatus lilijs.] Aceruus ideo dicit, quia multi ſunt tales in eccleſia. Tritici dicit, quia & tales ſunt ſuauis cibus & delectabilis Dei, & ſunt vallati, id eſt, bene muniti [lilijs,] id eſt, in virtutibus. [Duo vbera,] id eſt, prædicatores, qui ſunt vbera, ſcilicet vaſa lactis, id eſt doctrinæ ſuauiter educantis. hi tales ſunt [hinnuli,] quia leues & agiles ad currendum, non prægrauati pondere carnis. [gemel-
B li] dicit, quia ſicut gemelli fratres licet ſint diuerſi, tamen ſibi ſimiles, ita hi duo populi Iudæorum & gentilium ſibi ſimiles erunt, quia eandem inſtructionem legis & ſequentur & docebunt [capreæ] quia capreæ virtutes habebunt. [Collum tuum,] id eſt, illi qui in eccleſia nouiſsima officium colli habebunt, erunt [ſicut turris] quia ad eos confugientes defenſionem inuenient. [eburnea] dicit propter caſtitatem. [Oculi tui] id eſt, illi ſancti præuiſores & ſubtiliter ſcripturarum profunditatem intuentes. ſunt [ſicut piſcinæ,] id eſt aquæ reficientes doctrina verbi Dei omnes ſitientes. [in Eſebon,] quod interpretatur fingulum mœroris, ſunt ſancti illi qui ſunt oculi, & aquæ dicuntur, & in Eſebon: quia ſemper cincti ſunt mœrore & propriorũ & aliorum delictorum, quæ piſcinæ, id eſt, doctrinæ ſunt [in porta] id eſt, parati ad refectionem [filiæ multitudinis,] id eſt multorum filiorum. Sunt enim quaſi in porta: quia omnibus qui accedere volunt parati ſunt vt eos ſpirituali aqua reficiant. [Naſus tuus.] In naſo continetur diſcretio boni ac mali odoris: & per hoc ſignificantur illi qui habent diſcretionem bonorum & malorum, vt diſcernant qui ſint bonæ voluntatis, & eos inſtruant, & qui ſint ſimulatores & doloſi, & eos reijciant. Hi tales ſunt [turris Libani] turris: quia fugientibus ſunt oportuna munitio: Libani, quoniam candidati ſunt virtutibus. Vel turris, quia ſicut turris fortis eſt munitio, ita ſancti in diſcretione ſua non vincuntur, quia C fortes, ſicut in electione ſua nec falluntur, vt bonum iudicent malum, vel, malum bonum [quæ reſpicit contra Damaſcum] Fuit quidem Damaſcus contraria ſemper Hieruſalem, & ciues ſuos inuicẽ ſubtrahebant, & interpretatur Damaſcus potus ſanguinis: per quã ſignificantur perſequutores ſanguinolenti qui perſequutionem inferunt, vel gaudent in malis aliorum: contra quos reſpiciunt prædicti ſancti, vt aliquos ciues iſtis ſubtrahant, & in corpus ſuum traducant. [Caput tuum,] id eſt, mens tua, vel altiores in eccleſia, ſunt [vt Carmelus] id eſt habentes ſcientiam circumciſionis, Intelligunt enim per præputium amputatum, vbi eſt ſedes libidinis, & per quod generatio tota ſuccedit, amputandam à nobis omnem veterem generationem, ſcilicet depoſitionem omnium ſordium, quæ tandem perfecta erit in communi reſurrectione. Carmelus interpretatur ſcientia circumciſionis. [Et comæ capitis] id eſt illi qui proxime adhærent capiti eccleſiæ, ſcilicet veri pauperes qui Chriſto proxime adhærent, ſunt etiam quaſi ornamentum ipſius capitis. Hi tales ſunt [ſicut purpura regis,] id eſt, imitatores paſsionis Chriſti, qui verus rex eſt: purpura dico iuncta canalibus,] id eſt paſsio eorũ ſit iuncta & dependens à canalibus, id eſt à cogitationibus, & cordibus, ſcilicet vt cum proponant ſe imitatores paſsionis Chriſti, non ſit hoc ſe- D cundum exteriora tantum, ſed etiam ſecũdum interiora. Dicuntur canales vaſa illa in quibus tinguntur purpuræ: & ſicut purpura ſi bene adhæreat canali melius tingitur, ita iſti paſsioni Chriſti melius adaptãtur, ſi per exteriora, & interiora ſe compaſsibiles oſtẽdant. [Quam pulchra.] Quid per ſingula? [Tota pulchra es] ſecundum interiores virtutes, [& decora] ſecundũ opera, [in delicijs,] id eſt in omni ſpirituali refectione. [Statura] id eſt directio [tua] ſicut palmæ. Sicut enim palma in altũ ſemper fertur, ita fideles iſti ſemper tendunt ad altitudinem virtutum, [& vbera tua] id eſt, doctrinæ tuæ ſimiles ſunt [botris,] id eſt, vino. ſicut enim vinum, ita doctrinæ tuæ inebriant.

Dixi, Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius. Et erunt vbera tua ſicut botri vineę, & odor oris tui ſicut odor malorum. Guttur tuum ſicut vinũ optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labijſq; & dentibus illius ad ruminandum. Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius. Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Mane ſurgamus ad vineas, videamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt, ſi floruerunt mala Punica. Ibi dabo tibi vbera mea. Mandragoræ dederunt odorem ſuum in portis noſtris. Om-

nia

A nia poma noua & vetera dilecte mi seruaui tibi.

DIXI, Ascendam] Ponit aliam causam quare ecclesia de gentibus prædicare debeat Iudæis, vt si ita diceret, Tu prædicare debes, quia vtilis erit prædicatio tua, & multi conuertentur: tum quia conuersi tales & tam probi erunt, sicut dictum est: tum quia ego ipse veni proprie eos redimere, vnde dictum est, Matth. 15. Non sum missus nisi ad oues quę perierunt domus Israël. & hoc dicit, [Dixi,] id est ab æterno disposui ascendam in palmam,] id est in crucem, in qua dicitur quædam pars fuisse de illa arbore: vel in palmam quia ibi obtinuit victoriam diaboli, & de obtentu mundi triumphauit. Dixi ascendam [& apprehendam fructus eius,] id est generabunt mihi filios, & proferent bonas operationes. Modo conuertit se ad eam sponsus ipse, cum dicit, [& vbera tua,] id est doctrinæ tuæ [sicut botri] non hederæ, sed vineæ,] id est & dulces ad bibendum, & inebriantes aliquos qui diligenter eos audiunt, [& odores tui,] id est fama & deuotio tuorum [sicut] odores [malorum] sicut enim poma odore suo aliquos attrahunt: ita isti etiam fama sua sibi aliquos attrahunt & sociant. Erunt quidem valde boni illi vltimi Iudæorum, sicut ostendit Apostolus qui dicit, Roman. 11. b. Et si
B diminutio eorum diuitiæ sunt gentium, quanto magis plenitudo eorum? licet enim non omnes conuertantur, tamen maior pars eorũ conuertetur. [Guttur,] id est verba interiora, scilicet sensus verborum tuorum, est [sicut vinum optimum,] id est nutrientia, & inebriantia homines, vt faciant obliuisci totius vitæ suæ prioris. [Dignum dilecto] Vox ecclesiæ. & commendat verba illa quæ etiam tam digna sunt vt ea Christus à Deo patre accepisset, vt ita dicatur, Dico tuum guttur sicut vinum optimum, & adeo optimum vt sit [dignum dilecto meo,] id est Christo [ad potandum,] id est vt Christus ea potet, id est sine labore, & cum delectatione [labijs] id est, prædicatoribus [& dentibus] id est fortioribus, qui scripturas conterunt dignũ [ad ruminandum,] id est, dignum vt labia, & dentes ruminent, scilicet terant & laborent ad intelligendum. [Ego dilecto meo] quasi dicat, Mihi credendum est, quia ego adsum et semper familiaris ex conscientia secretorum, & ipse me diligit, & hoc dicit [Ad me conuersio eius] id est, ad me amorem suum conuertit. [Veni dilecte.] modo ecclesia audita commonitione Christi parata que ad prædicandum Iudæis, inuitat sponsum vt secum sit in prædicatione illa auxilium sibi conferens: quasi dicat, præcepisti mihi prædicare Iudæis, quod nihil proderit sine auxilio tui: & ideo [dilecte mi veni,] id est aspira eos interius, [& egrediamur,] id est, extra gentes gradiamur [in agrum,] id est ad præ-
dicationem illorum qui sine magno labore faciunt fructum, & [commoremur in villis,] id C
est in ædificatione & ordinatione ipsorũ [Mane surgamus] id est studiose laboremus. qui enim studiosi sunt, mane surgunt ad opera sua. Per vineas accipimus illos in quibus laboratur antequam fructum reddant, & [videamus si vineæ,] id est illi tanto labore exculti, [floruissent] id est, initia virtutum emisissent [si flores] id est, illi in quibus iam apparent initia virtutum [fructum] id est, matura opera, [parturiunt.] & videamus, [si mala Punica,] id est futuri martyres adhuc [floruissent.] Dixi, Veni dilecte, ad quos quidem mecum debes venire, quia [ibi dabo tibi,] id est, ad tuum honorem [vbera mea,] id est, doctrinam meam qua tibi optimos acquiram filios [Mandragorę.] Dico quia ibi dabo tibi vbera mea, quod bene potero facere, quia ipsi Iudæi iam dederunt mihi bonam opinionem suæ conuersionis, scilicet idoneos se exhibentes ad recipiendam fidem. Mandragoræ sunt herbæ, & habent similitudinem cum humanis membris absque capite: per quod significantur Iudæi carentes capite, id est Christo. Per portas intelligimus fidem, quia est porta, & introitus omnibus ad salutẽ. [Omnia poma.] Dixi quod darem tibi vbera mea, quod vere faciam, quia [seruaui tibi,] id est ad honorem tui, sententias noui ac veteris testa-
menti, quibus tibi aliquos fructus faciam. quæ D
sententiæ, & suauiter sunt redolentes, & audientes ita dulciter attrahunt sicut poma.

Quos mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniã te solum foris & deosculer te, & iam me nemo despiciat? Apprehendam te & ducam in domum matris meæ, & in cubiculũ genitricis meę. Ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

QVIS mihi.] Hic ostenditur effectus prædicationis ecclesiæ: quia loquuntur Iudæi audientes sibi annunciandũ Christum, & accensi amore ipsius prorumpunt in hæc verba, [Quis mihi det,] id est, vtinam aliquis mihi annunciet [fratrem meum,] id est, Christum de carne mea natum [sugentem vbera matris,] id est educatum doctrina synagogæ. Modo ex nimio amore conuertit se ad ipsum. Quis mihi det dico [vt te inueniam foris] id est, vt hominem te cognoscam in quo turpiter erraui. [& deosculer te] id est, delecter in agnita tua humanitate [& iam me nemo] despicabilem putabit, qui prius fui contemptui omnibus. [Apprehendam te] id est, qui prius fueramus à te separati modo tibi firmiter adhærebimus. Ap-
prehen-

A prehendam dico [& ducam in domum matris meæ,] id est, illos qui modo seruiunt synagogæ, Christo faciam seruire, & [in cubiculum genitricis meæ,] id est, quosdam de synagoga tales efficiam in quibus cubet ac quiescat sine offensa Deus. [Ibi,] id est dum te filijs synagogæ annunciabo, [me docebis.] quia ego aperiam os, & tu illud adimplebis sicut promisisti, Psal. 80. [& dabo tibi poculum,] id est conuertam tibi multos de Iudæis qui erunt tibi poculum, id est, delectabilis potus, & refectio per bona opera sua, & in multis virtutibus. Cuiusmodi potum sitit Deus, vt ipse dixit in cruce, Sitio, Iohan. 19. scilicet traduco in corpus meum genus humanum. Poculum dico [ex vino condito,] id est, quod poculum sit vinum, id est viri calentes amore Dei, & alios inebriantes dilectione Dei. Quod vinum est conditum, id est, confectum multis speciebus, id est, virtutibus diuersis ipsorum sanctorum, & dabo etiam poculum [mustum] scilicet vinum calidum, feruens ac bulliens: per quod significantur sancti martyres feruentes ad amorem martyrij, qui etiam dicuntur mala granata quia exterius rubei propter passionem, interius candidi propter virtutem. [Læua eius,] & bene debeo laborare vt tales sibi adquirã, quia ipse mihi confert solatium, & per temporalia, & per spem æternorum.

B

Adiuro vos filiæ Hierusalem, ne suscitetis neque euigilare faciatis dilectam donec ipsa velit. Quæ est ista quæ ascendit de deserto, delicijs affluens, innixa super dilectũ suum? Sub arbore malo suscitaui te. Ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua. Pone me vt signaculũ super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum, quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.

ADIVRO vos.] Vox sponsi. Audiens namque Christus tantam affectionem ecclesiæ Iudæorum, commendat eam sicut & superiores: & præcipit subditis ne eam inquietẽt. [Quę est ista.] Vox ecclesiæ de gentibus. Videns namq; filiam suam ecclesiam de Iudæis ad tantam perfectionem peruenisse gaudens, non inuidens, cum admiratione dicit, [Quæ est ista quæ ascendit] per gradus virtutum, [de deserto,] & infidelitate sua, in qua erat deserta à Deo. [affluens delicijs,] id est, abundans multis virtutibus [innixa super dilectum suum,] id est Christum quem habet fundamentum omnis recte incedens. [Sub arbore malo.] Vox Christi ad ecclesiã illam de Iudæis modo conuersam, & commendat eis dilectionem suam. Conueniens namque erat vt cum liber iste totus sit de dilectione Dei, in fine sui tractatus commendaret dilectionem. Continuatio. In- C
nixa est ecclesia de Iudæis super me dilectum suum. [Pone] igitur tu ecclesia de Iudæis [me super cor tuum,] id est, regentem cor tuum & cogitationes tuas. Et aliter, [Super,] id est compressorem totius iniquitatis tuæ, pone dico [vt signaculum,] id est vt pateat amicis te continere mea secreta: & inimicis item pateat te non esse de eorum secta, vel ab eis secreta quæ habes esse clausa & ignota. Vel signaculum, scilicet ita me pone vt teneas in corde imaginem mei. scilicet disponas te similem mihi & in passione & in omnibus alijs pro tuo modo. & pone me [super brachium tuum] id est, operationem tuam, vt me rectorem habeas in omnibus operibus tuis. pone dico [vt signaculum] id est vt per ipsa opera pateat amicis te esse familiarem mihi. ac de consortio eorum inimici te intelligant alienam à vita & moribus eorum: & quod hoc debeant facere, præmissa est causa, cum dictum est, [Sub arbore malo] quasi dicat, Merito debes me ponere super cor tuum, quia mortuam in peccatis liberaui te & hoc dicit, Te iacentem & languidam [sub arbore,] id est, sub peccato facto per arborem [malo,] id est in peccato primi parentis. Vel languidam sub peccato crucis quę item fuit de arbore hac, id est malo. Legitur enim in libris Græcorum, quod de eadem arbore in qua peccauit Adam, ramus quidam allatus fuit Hierosolymam, & D
ibi plantatus excreuit in magnam arborem, de qua postea facta sit crux Domini: vt ex quo mors venerat eodem vita repararetur. Dicitur quoque Adam in eodem loco sepultus, in quo postea fixa fuit crux Domini. [ibi,] id est in arbore illa [corrupta fuit &] violata [mater,] id est synagoga. Per corruptam notat peccati pœnam in quacumque in sententia, qua ex crucifixione Domini habuerunt Iudæi pœnam, scilicet destructionem illam quam intulerunt eis Titus & Vespasianus. Cum dicit violatam, notat æternam damnationem quam ex peccato illo habuerunt omnes qui non resipuerunt. Continuatur & aliter versus iste sic, Dixit Ecclesia me dilectum suum, & merito debes me diligere, quia ego liberaui te à peccato primi parentis. [Quia fortis est] Videlicet ideo debes me ponere super cor tuum, quia dilectio mea fortis est sicut mors. Sicut enim mors non potest impediri quin veniat, ita dilectio Dei non potest aliqua persequutione impediri quin saluationem faciat, vt deducit Paulus Roman. 8. g. Vel sicut mors destruit corporeos sensus, ita dilectio Dei. Qui enim dilectione Dei bene occupatus est, iam non trahit ex visu aliquam delectationem carnis, nec ex cæteris sensibus. Vel sicut mors, id est, ipse diabolus qui est causa totius mortis. Sicut enim diabolus suis inimicibiliter damnationem confert, ita dilectio Dei saluationẽ. [Æmulatio,] id est
effectus

A effectus dilectionis, scilicet efficere ea quę dilectio, exigit sunt dura & importabilia carni. [sicut infernus] id est, insatiabilis est illa æmulatio. Nulli enim in quo abundat dilectio, videtur satis sua dare vel cætera facere quæ exigit dilectio, immo semper vellet plus facere.

Lampades eius lampades ignis atq; flammarum Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

LAMPADES eius.] item describit naturam illius dilectionis, quasi dicat, Ad illam dilectionem festinare debetis, quia [lampades eius,] id est, ardores huius dilectionis, sunt sicut [lampades ignis,] id est ardores sancti spiritus, & hoc est quod dicit, [ignis.] Sicut enim ignis calorem ministrat, ita spiritus sanctus æstum dilectionis: & quia posset esse ignis qui non luceret, dicit [ac flammarum,] id est, tales sunt lampades dilectionis quod etiam luceant, scilicet illi qui habent has dilectiones lucent alijs, quia alios illuminant verbo & exemplo. Possumus etiam per lampades accipere homines illos in quibus habitat dilectio sicut in lam
B pade ignis. [Aquæ multę] Ostendit iterum aliam naturā dilectionis vt & nos amplecti ipsam vellimus, vt ita dicatur, Talis est dilectio. Hanc vero dilectionem neque minæ neque persequutiones paruæ vel magnæ poterunt extinguere. Per aquam accipimus minas & huiusmodi paruas tribulationes, quia extingunt humanos amores. Per flumina habemus maiores aduersitates. [Si dederit homo.] Item commendat dilectionem hanc, vt fortiter nos inuitet ad eam conseruandam, cum dicit esse talem hanc, pro qua si det aliquis [omnem substantiam,] id est, vniuersam possessionem suam, & super seipsum despicit eam, id est, despicabilem iudicabit ad comparationem quam obtinebit.

Soror nostra paruula, & vbera habet. quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est? Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea. Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.

SOROR nostra] Dicit sponsus, Lex dilectionis tam grauis est, sed soror, id est ecclesia de Iudæis quæ dicitur soror Christi, quia & de eadem carne, & cohæres regni cum Christo, vt nouiter conuersa est, paruula adhuc tenera in fide [& vbera,] id est, doctrinam [non habet] ex se, & ideo nisi auxilium ei præbeamus, legem dilectionis ferre non poterit. [Quid faciemus.] Dicit sponsus ad amicos suos, Quia C soror nostra adhuc paruula est, oportet vt conferamus auxilia ei, & [quid faciemus ei in die quando alloquenda est? [In hoc præsenti tempore in quo instituenda & alloquenda est vt post hanc vitam digna inueniatur, quę Christo copuletur in nuptijs. [Quid faciemus] dico hoc scilicet [si murus est,] id est, si aliqui sunt in hac ecclesia qui sint murus & defensio aliorum. [ædificemus super eum propugnacula argentea,] id est, sententias quibus sciant se defendere & alios impugnare, & hæc [argentea,] id est tinnientia compositione eloquij, scilicet sapientes & eloquentes faciamus eos. [Si ostium est,] id est si aliqui sunt in hac ecclesia introducentes [compingamus illud,] id est, aliquid apponamus quod sit eis ad honorē, compingamus dico [tabulis,] id est, tales adiungamus qui sint tabulæ, id est subtiles & bene dotati ad voluntatem Christi, vt isti tales sint auxilio eis qui sunt ostium. tabulis dico [cedrinis,] id est, tales adiungantur qui sint cedrini, id est imputrescibiles, & odore suo vermes occidentes.

Ego murus & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. Vinea fuit pacifico, ea quæ habet populos. Tradidit eam custodibus, vir affert D pro fructu eius mille argenteos. Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, & ducenti his qui custodiunt fructus eius.

EGO murus] Vox ecclesię Iudæorum proferentis perfectionem suam, vt ita dicat, Dicis, si murus est ædificemus. Ego quidem murum habeo, id est, quidam sunt in me qui sunt murus & aliorum defensio, & sunt in me [vbera,] id est doctores sancti qui sunt [sicut turris] inexpugnabiles & inuincibiles in doctrinis suis. Dico quia hoc habeo & ex eo tępore [ex quo facta sum coram te,] id est, in beneplacito tuo [quasi pacem reperiens quæ prius discordiam per peccatum habueram. [Vinea fuit.] Ostendit ecclesia de Iudæis quod ipsa debeat in Christo pacem reperire: quia ecclesia de gentibus quæ nullum Dei cultum receperat, pacem cum Deo reperit & hoc dicit. [Vinea,] id est, ecclesia de gentibus in cuius cultu maxime laborandum [fuit pacifico,] id est, pacem inuenit cum Deo. [in ea] supple pace [quæ habet populos] id est in qua pace sunt multi cum Deo gentilium, dico quia vinea fuit pacifico, & propter hoc [tradidit eam custodibus] id est ordinauit in ea pastores, & doctores, vel angelicos custodes: cuius ecclesiæ tanta dignitas est vt ille qui vir vult esse, id est, viriliter agere afferat diuidendo conuenienter [mille argenteos] id est, omnia quæ de mundo habet, afferat dico & præsen-

A præsentet Deo [pro fructu eius,] id est pro vita æterna quæ est fructus ecclesiæ. [Vinea mea.] Vox sponsi. Dixisti quia ecclesia de gentibus mihi esset in pace, non solum ea placet mihi, sed vniuersa [vinea mea,] id est, omnis ecclesia tam de Iudæis quam de Gentibus [coram me est,] id est, in beneplacito meo semper existit. [Mille tui pacifici,] id est, omnium simul oblata possessio corā me est. [His autem qui custodiunt fructus eius] vt sancti pastores qui prouident, ne sancti subditi amittant fructus æternitatis, sunt [ducenti] argentei, id est, duplex præcium. Ducenti enim duplex est ad centum. Custodes autem sanctæ ecclesiæ duplex precium Deo offerunt, quia & se immaculatos Deo obseruant, & alios lucrantur, & ideo duplici præmio remunerantur.

Quæ habitas in hortis, amici auscultant te, fac audire vocem tuam. Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ hinnuloque ceruorum super montes aromatum.

QVAE habitas in hortis.] Quia sponsus modo Ecclesiæ dixerat, Vinea mea coram me, & cætera talia, ne ecclesia putaret statim adsumi ad nuptias, præmonet eam vt iterum dum non assumitur, laboret & operetur, vt bene parata nuptijs copuletur: & hoc dicit, Tu sponsa B quæ nondum duceris in thalamum, sed adhuc habitas in hortis. vnusquisque enim fidelium habitat in hortis, id est, in ecclesia. [fac me audire,] id est, dignam te effice auditui meo: & habes per quos perferas mihi tam orationes quam opera, vt mihi placent, amicos meos, & hoc est quod dicit, [amici auscultant,] id est, parati sunt vt bona opera tua Deo præientent. Ad hoc quidem fiunt litaniæ in ecclesia, vt per sanctorum intercessionē dominum placidum inuenire mereamur. [Fuge dilecte mi] quia me oportet habitare in hortis, nec possum adhuc sociari tibi in thalamo sic sicut vis, id est sustineo mihi abesse præsentiā corporis tui. Hoc autem rogo vt condescendas nobis, & cognitionem tuam nō solum perfectis, sed per ipsos ostende inferioribus. Et hoc dicit. [Assimilare capreæ hinnuloq; ceruorum] scilicet descende in colles vt videaris ab humilibus. Tu dico habitans super montes, id est, villis altioribus qui sunt eminentes in virtutibus. [Montes dico aromatum,] id est de quibus profertur Deo odor virtutum ac bonæ operationis.

Finis Enarrationum in Cantica.